F. Mutis
3864

BIBLIOTECA NACIONAL DE COLOMBIA
BOGOTA
LIBROS RAROS Y CURIOSOS
BIBLIOTECA NACIONAL
BOGOTA
SALAS GENERALES

581.9729 J125
F. Mutis 3869

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

# SELECTARUM STIRPIUM AMERICANARUM HISTORIA,

IN QUA
AD LINNÆANUM SYSTEMA DETERMINATÆ
DESCRIPTÆQUE SISTUNTUR PLANTÆ ILLÆ, QUAS IN INSULIS MARTINICA, JAMAICA, DOMINGO, ALIISQUE, ET IN VICINÆ CONTINENTIS PARTE, OBSERVAVIT RARIORES; ADJECTIS ICONIBUS IN SOLO NATALI DELINEATIS.

VINDOBONÆ,
EX OFFICINA KRAUSIANA.
MDCCLXIII.

...NACIONAL DE COLOMBIA BOGOTA LIBROS RAROS Y CURIOSOS
BIBLIOTECA NACIONAL BOGOTA SALAS GENERALES

# FRANCISCO I.

## ROMANORUM IMPERATORI
## SEMPER AUGUSTO,
## GERMANIÆ ET HIEROSOLYMARUM
## REGI,
## MAGNO DUCI HETRURIÆ, DUCI
## LOTHARINGIÆ, &c. &c. &c.

## DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

N. J. JACQUIN.

# IMPERATOR AUGUSTISSIME,

BIBLIOTECA NACIONAL
BOGOTA
SALAS GENERALES

*Scientiæ extenſæ & nobiliſſimæ, quam Naturalem vocamus, & quæ mortalibus ea data felicitate videtur, ut poſſint omni paſſu ſtupendis ex operibus ſuis ſapientiam ſummi Creatoris infinitam intelligere ac venerari; hujus, inquam, ſcientiæ, quam,* TU PRINCIPUM AUGUSTISSIME, *& ſumptibus illuſtras regiis, & habes in deliciis* TUIS, *non infima certe pars eſt illa, quæ in plantarum cognitione verſatur, auditque* Botanica.

*Hæc exculta noſtro quam maxime ævo, auctaque incredibiliter; tum etiam nobilitata Regum Magnatumque favoribus eximiis; nec cultorum minus debita periculis & ſudori;*

*nunc ad iſtud certitudinis ac decoris erecta fa-ſtigium ſpectatur, quod illi optarunt fortaſſe majores noſtri, ſperare auſos vix credo fuiſſe.*

*Quum tamen, quæ deſiderantur ad Rei Herbariæ perfectionem, ſuperſint innumera; & ad hanc accelerandam contribuere pro viribus dataque occaſione teneatur publicæ utilitatis amans quisque Botanicus; hinc etiam ego, ſecutus genium meum, raraque ad hunc uſus opportunitate, conferre aliquid cogitavi & debui in artis laudatæ ampliationem. Quod ut nuncupem Sacræ* CÆSAREÆ MAJESTATIS TUÆ *Auguſto Nomini, conceſſit mihi illa, qua proſequi me ſemper dignatus es, & quæ memoria mea excidet nunquam,*

*ſumma*

*ſumma* TUA *atque innata Clementia. Ad nuncupandum vero me movit cauſa non levis.*

*Deſcribuntur enim in hoc opere ſtirpes illæ, magnam partem quas nunc alit hortus elegantiſſimus* TUUS, *quas ut deſcribere poſſem, ſtudioſa impulit* TE TUA *in Hiſtoriam Naturalem propenſio, ſolaque magnificentia* TUA *effecit. Scilicet nullis parcens ſumptibus, tribusque adjunctis in auxilium itineris ſociis, mihi in mandatis dediſti, inſulas adire Caribæas vicinamque Continentis Americanæ plagam; ubi quidquid in tribus Naturæ regnis occurreret* TUA *dignum attentione, id colligerem, transmitteremque, ſplendidiſſimis* TUIS *Naturæ Gazophylaciis dicandum.*

*Pate-*

*Patere igitur,* CÆSAR CLEMENTISSIME, *deponi ad pedes* MAJESTATIS TUÆ *hoc opus. Da, iisdem, quibus ortum debet ſuum, titulis auſpiciisque ſuperbiat, in lucem publicam proditurum.* Ut, *ſi qua ex hoc fiat ſcientiæ amœniſſimæ acceſſio, quæ forte eſt non mediocris; ſi qua hinc nata emanet utilitas; ſi denique artis amatoribus voluptas creetur aliqua; id omne ſoli* TIBI *referri oportere acceptum, reſciſcat ſera poſteritas.*

# PRÆFATIO.

QUas per quadriennium in America torrida peregrinanti contigit mihi obſervare ſtirpes rariores, has ad Rei Herbariæ augmentum, eorumque, qui ſcientiæ huic amœniſſimæ ſtudium navant, oblectationem, enumerare in hoc opere, & qua potero perſpicuitate, tradere inſtitui. Qua in re ſi gratam eruditis operam me poſuiſſe, intellexero, nunquam erit, quod pœniteat me aut laborum, quos improbos ſuperavi, aut vitæ diſcriminum, in quæ plurima veni: ſed horum tunc jucunda ſemper accidet recordatio. Sicubi vero Botanicorum exſpectationi minus fecero ſatis, confido fore, ut cum materiæ amplitudo & diverſitas, tum peregrinantis conditio, habeant aliquid legitimæ excuſationis. Si quid autem præter voluntatem erraverim, lubens feram errati animadverſionem.

Numeroſa profecto in Hiſtoria Naturali remotæ ab Europa regiones iſtæ offerunt perito indagatori, eaque ſingularia ſæpe, pulcherrima, omnique digniſſima attentione: at cuncta hæc unius uti non aſſequitur hominis induſtria, ita nec ingenium capit. Quis enim (ut in ſola Botanice maneamus,) credidiſſet, poſt inventas in triplici ſuo ad inſulas Caribæas itinere editasque a magno Plumiero plantas, ibidem adhuc tot latuiſſe alias, quæ ante paucos annos per clariſſimum Bro-

wneum meoque haud ita pridem ex opuſculo innotuerunt orbi? Et quin ſic quoque confecta res ſit, tantum abeſt, ut aſſerere audeam, ſolam ſtirpium feraciſſimam Martinicam poſſe adhuc diu ſufficere indefeſſi excurſionibus Botanici, priusquam exhauriatur. Nam ipſe ego examinavi non paucas, conſpexi plures, quas adumbrare vetuit vel præceps occaſio vel aliarum occupationum multitudo, omnino mihi viſas incognitas. Adde, quod Gramina & Cryptogamas de induſtria neglexerim in univerſum: præterquam enim quod eram tunc temporis in hiſce diſcernendis difficilioribus minus verſatus, & quod definiri iſtiusmodi plantæ ægre poſſunt absque inſtituta comparatione congenerum & collata authorum lectione, quo adminiculo deſtituebar utroque; inde etiam aliarum obvia quærenti copia facile ſuperabat vacui temporis momenta; ita quidem ut in lucris ponerem, iſtis omiſſis, in has incumbere examinandas, quæ diuturnam operam haud poſtularent; adferendo ſcilicet hoc pacto ſtirpibus obſervatis acceſſionem multo uberiorem.

Plumierus, qui ad littora Caribæarum appulit Botanicorum primus, omnia ibi nova, incognita Europæis, ſuaque annotatione digna offendebat. Poterat igitur brevi ditare Botanicam ſtirpium rariſſimarum indice locupletiſſimo; quem & confeciſſe illum ſummo cum molimine, grata erga magnum virum & perpetua apud omnes extabit memoria. Eodem fere tempore in inſula Jamaicenſi idem præſtitit celeberrimus Sloaneus. His ſucceſſimus poſt dimidii ſæculi intercapedinem ego & clariſſimus Browneus. Ad omnem vero paſſum nos ſalutabant plantæ a viris modo laudatis jam citatæ, quas inter minus recte ampleve deſcriptas ſuſcepimus nobis præ cæteris illuſtrandas, atque his alias nedum obſervatas adjecimus plurimas. Venient fortaſſe poſt nos alii, qui ſunt reliquas inveſtigaturi; ut ſic aliquando Flora perfici Caribæa, atque in lucem prodire Europæam venuſtiſſima valeat.

In ordinandis ſtirpibus meis, viri celeberrimi Caroli Linnæi Syſtema Sexuale adoptavi, atque aliis ſponte prætuli omnibus: non quod hoc omni parte abſolutum haberem, nec probe intelligerem expertus, Naturæ non raro illud vim inferre, & multis iisque ſæpe inevitabilibus vitiis laborare, quibus tamen nec aliorum carent Syſtemata alia: ſed

quia

quia major & diuturnior in hoc perficiendo opera fuit poſita a pluribus; quia plantas complectitur in hunc usque diem bene perſpectas plerasque; & quia hodie generalius eſt receptum. Nam quod ad illos ſpectat, quibus Naturale Syſtema ſolum jactatur atque in pretio eſt; ego certe, cogitationibus ipſos & deliciis delectari ſuis, uti facile patior, ſic illos rogatos velim, opinionem meam ne ferant moleſte; dum Syſtema vegetabilium quodcunque nihil eſſe aliud judico quam merum ſtirpium pro lubitu definitarum vocabularium methodicum. Nec idcirco inficias eo, in Cruciformibus puta paucisque aliis, Naturam videri terminos claſſibus ſtatuere fixos, qui vel ad ipſas usque in Medicina vires ſe extendunt: unde omnino ſequitur, affinitates habitus ſtructuræque in plantarum cognitione ſummæ eſſe conſiderationis oportere, & magnam ſæpe, ſi caute procedatur, adferre in Materiem Medicam utilitatem. At vero nullas Natura leges a nobis aſſumit, quas ipſa prior non poſuit, deditque. Quapropter affinitates, quia has in rebus productis ſervari a Natura videmus, inveſtigare ſedulo nos decebit, quando nata inde doctrina amplior ſine dubio penſatura eſt adhibitos labores. Sed quis noſtrum affinitatibus ſingulis ſuos conſtituet fines? Donec in noſtram notitiam perveniant creata omnia, id nullus animo confidet prudenti: da, pervenerint; idem Naturæ adverſari inſtituto, forte tunc tandem intelligemus. Optimo igitur ſummoque jure Varietates & Individua ad Species reducimus certas, & Naturam ducem habemus. Has autem Species ſi velimus ad Genera Naturalia cogere, ubique Naturam deſiderabimus; quæ præſcriptos limites tranſiliens, & noſtris nullatenus ſe accommodans ſaltibus, more pergit ſuo illudere humanis ingeniis. Erunt itaque arte facta Genera omnia, quæ ob hoc ipſum nullum unquam condere poterunt Syſtema Naturale. At opus eſt tamen illis; opus eſt Claſſibus, & Methodo; quibus noſtram inſcitiam ſublevemus atque memoriam, ne multitudine obruamur: quare juvat factitiis e Syſtematibus aliquod, conſilio noſtro convenientius, in auxilium vocare; quorum ne optio deeſſet egenti, omni induſtria caverunt hujus ævi Botanici.

Magnum ſane in Speciebus diſcrimen paſſim obtinet quoad ipſum factitii Generis characterem. Nos igitur oportet, omnes & ſingulas bene perſpectas habere, ſi hunc talem cupiamus, qui cunctas fideliter

ſpecies ſuas reddat. Id quidem huc usque deficit in Generibus plurimis, & deficiet diu; donec cœperimus attente adnotare prodereque ſcriptis omnia illa, in quibus novæ imprimis minusque obviæ ſpecies a communi charactere deflectant; idque in Individuis pluribus, ne caſu naturæ luſum characteris partem dicamus. Hinc ego in deſcriptionibus meis, ad vivam ſemper ſtirpem concinnatis, & ad incudem ſæpius revocatis, momenta vel minima adduxi; in variantes partes, qua potui diligentia, inquiſivi; atque hæc propoſui ſermone, non eleganti illo quidem comptoque, ſed compendioſo & perſpicuo, quali principes hodie in arte viri uti conſueverunt. Proſpexero ſic etiam Botanicis, poſt me fortaſſe olim easdem regiones inviſuris, tædioque ipſos, quod multum ego devorare debui, levavero certe; ſine ulla enim hæſitatione plantas determinabunt jam vulgatas ilico, omiſſasque rite diſtinguent.

Fore autem nonnullos, exiſtimo, quibus diligentia mea videbitur nimia, quoties advertent, tantam me curam impertiviſſe geometricæ partium dimenſioni. Lubens profiteor, me hic ultra vulgus non ſapuiſſe; & fruticem fruticem, arborem ſemper me vocaſſe arborem, nulla habita gemmarum ratione. Uti enim pro legitima & ſtabili obtinenda ſtirpium definiendarum diſtinctione, minus apte & rariſſime recurritur ad magnitudinis ſtatum, niſi quando proportionem ſervet illa certam; ſic contra in plantæ alicujus deſcriptione antea mihi incognitæ ſi cuncta docear, ſola magnitudine qualicunque excepta, videor mihi rei ſummam deſiderare, nec, qualem optarem, poſſe iſtiusmodi plantæ ſpeciem mihi fingere. At, inquies, quam hæc ipſa magnitudo nihil variat magis. Sed propterea mediocrem illam ubique elegi; indicavique, ſi cui eſſet ſubjecta inconſtantiæ.

Deſcripſi porro plantas, quales has ipſa America dedit mihi ſpectandas. Hoc ideo monitos Botanicos volo, ſi quando ex meis aliquam obviam in caldariis ſtirpem habeant, ab expoſita deſcriptione in una alterave parte diſcrepantem, ne ſcilicet ſuſpicentur, aut diverſam a mea ignotamque ſtirpem ſe eſſe adeptos, aut falſa & erronea me tradidiſſe. Vidi enim ſæpenumero in ſolo natali plantas, ſive Americanas, ſive Europæas, elegantiſſimas & adſpectu jucundas; easdem-

que,

que, dum colebantur in hortis, nativi oblitas decoris, ſqualere totas: alias iterum iſtic habitus ſui negligentia prætereuntium fugientes attentionem, hic pulcritudinem conſecutas novam, omnium ad ſe allicere oculos, nec implere poſſe.

Virent etiam perpetua fronde in loco natali perennes ſtirpes illæ, quibus folia decidere non indicavi; etſi in caldaria Europæa translatæ non ſemper in hoc morem patrium ſequantur. Antheras autem examinavi, explosо nedum polline turgentes; quando figuram exhibent ſtabilem magisque propriam: quum effœtæ mutationem ſubire ſoleant ingentem, & induere habitum generaliorem.

Baccarum in loculamenta diviſionem legi fixæ ſubjeci; ut tum diviſæ illæ dicantur, quando easdem conſpicuum diſſepimentum, a ſeminibus pulpaque diverſum, ſeparat in plures partes; quod ſi abſit, unicum continere loculamentum cenſeantur. Si enim ſola ſeminibus interpoſita pulpa poſſit quoque loculos formare, omnes ferme polyſpermæ evadent multiloculares, & plane erit inutilis loculamentorum in baccis conſideratio.

Cum autem agebatur de imponendo ſtirpi incognitæ novo nomine, (quæ profecto res, modo ne barbari ſimus, nec confuſionem pariamus, arbitraria magis mihi videtur quam ſeveriſſimis legibus eſſe obnoxia,) jure quodam meo frui inventor volui; & vel a Græca lingua utpote aptiore nomina derivavi; vel illuſtris Plumieri veſtigia premens, illa deduxi a viris, qui, quod bene de ſcientia noſtra meriti eſſent, digni videbantur, quos Flora compenſaret Botanica immortalitate. Nec veritus hic ſum illorum, inter omnes pauci qui ſolos ſe melius ſapere ſibi gratis fingunt, mordacia ſemper, puerilia ſæpe & ridicula judicia. Donec enim pro me, quos ſequar, habebo Tournefortium, Boerhavium, Dillenium, Juſſiæos, Linnæum, Hallerum, Burmannum, ipſumque etiam (reliquos ut taceam eruditiſſimos viros) Linnæanæ induſtriæ hoſtem acerrimum Heiſterum; donec, inquam, in re mere arbitraria ſimilium virorum ſententia exemploque ero ſuffultus, parvi pendam iſtorum irritos & futiles cachinnos. Non equidem iſtiusmodi nomina aliis præpono; imo qualecunque ſignificans præ

omnibus reliquis eſſe ſeligendum, perſuaſiſſimum habeo: ſed quam raro ſincerum tale occurrat, & quam difficulter in magno novorum generum numero iſtiusmodi nomina componi & omnibus tribui poſſint, fatebitur expertus. Expeditum quidem hic fuiſſet confugium, ſi, quæ apud Pedacium Dioſcoridem occurrunt ſtirpium hodie incognitarum antiqua & exoleta nomina, hæc plantis ilico meis indidiſſem. Sed ſacra iſta ſemper habui; putavique, ſicuti non temere illa ſtirpibus Græcis aut in citatis apud veteres regionibus creſcentibus, ita nunquam Americanis ſimilibusve exoticis imponi aut attribui oportere. Qua in re ultra modum excedentes Botanici Materiei Medicæ hiſtoriam inenodabili mulctarunt confuſione. Nec etiam, quas nunc ignoramus celebratas priſcis temporibus plantas, ignorare ſemper fato quodam tenemur. Evenire poteſt, quæ nobis negetur, ea uti gaudeant felicitate poſteri; ut his illarum plurimæ innoteſcant, cognitæque uſurpata non juſte ab aliis nomina ſibi ſua vindicent.

Si quis eſt, qui miretur meam maleque taxet in recenſendis plantarum viribus medicis inopiam, illi reſpondeo: ſolere has barbaros, ſi quas noverint efficaciores, ceu ſolas ſibi relictas a novis hoſpitibus ſuis opes, alto perpetuoque abſcondere ſilentio, nullo vel pretio vel promiſſis emendas. Aliarum autem plerarumque ſtirpium vires minus quidem ſpectatæ ſunt; & hæ prædicantur tam vagæ, & ipſæ tam numeroſæ in uſum vocantur, ut medico opus eſſet annos in eodem loco conſidente, qui per repetita experimenta veras detegeret, diſtingueretque a dubiis & falſis: id quod a peregrinatore cæterum occupatiſſimo neutiquam eſt poſtulandum.

In citandis authoribus cavi ſedulo, ne deciperer ſimilitudine; quem haud infrequenter errorem ſummos etiam Botanicos erraſſe, neminem vel mediocriter in horum lectione verſatum fugere poteſt: unde obſcuritas & diſſenſio, neceſſe eſt, oriantur. Id contingere tunc ſolet præcipue, quando de non viſis nec ſatis ſuſe ab aliis deſcriptis judicium ferre, nimium properamus.

Quum obſervabam, nomina plantarum vernacula crebro differre vel ipſis in pagis villisque vicinis, generaliora, ſi qua erant, notavi; omiſi cætera, quæ farraginem dumtaxat attuliſſent inanem.

Icones, quibus hoc opus illuſtravi, a me fuerunt in ipſa America ad vivas plantas magnitudine naturali delineatæ. In his perficiendis omnem adhibui curam, ut eſſent exactiſſimæ; atque ita illas ornavi, ut ne oculis placerent magis, quam litarent veritati. Sculptori etiam ſumma aſſiduitate adfui; quo id impetravi, ut adamuſſim reſpondeant ſculptæ delineatis.

Atque hæc ſunt, quæ præfari debui; ut aliquam darem operis inſtitutique rationem.

BIBLIOTECA NACIONAL DE COLOMBIA
BOGOTA
LIBROS RAROS Y CURIOSOS

CON-

# CONSPECTUS PLANTARUM,

QUÆ

# DESCRIBUNTUR IN HOC OPERE.


Alpinia ſpicata *pag.* 1. *tab.* I.
Juſticia ſpinoſa 2. II. f. 1.
- - - ſeſſilis 3. II. f. 2.
- - - pectoralis 3. III.
- - - euſtachiana 4. IV.
- - - hirſuta 4.
- - - nitida 5.
- - - martinicenſis 5. II. f. 3.
- - - carthagenenſis 5. V.
- - - pulcherrima 6. II. f. 4.
Utricularia montana 7. VI.
Iris martinicenſis 7. VII.
Hirtella americana 8. VIII.
Hippocratea ſcandens 9. IX.
Tamarindus indica 10. X.
Hapalanthus repens 11. XI.
Comocladia integrifolia 12.
- - - dentata 13. CLXXIII. f. 4.
Triplaris pyramidalis 13. CLXXIII. f. 5.
- - - ramiflora 14.
Petitia domingenſis 14. CLXXII. f. 6.
Callicarpa integrifolia 15. CLXXIII. f. 7
Aquartia aculeata 15. XII.
Ixora alternifolia 16. CLXXVII. f. 8.
Peteſioides laurifolium 17.
Scoparia dulcis 17.
- - - procumbens 18.
Peteſia tomentoſa 18.
Chomelia ſpinoſa 18. XIII.
Sideroxyloides ferreum 19. CLXXV. f. 9.
Hedyotis americana. 20.
Spermacoce ſpinoſa 21.
Fagara tragodes 21. XIV.
Ciſſus ſicyoides 22. XV.
- - trifoliatus 23.
- - alatus 23. CLXXXII. f. 10.
Cuſcuta americana 24.
Myginda uragoga 24. XVI.
Heliotrop: gnaphalodes 25. CLXXIII. f. 11.
Convolvulus martinicenſis 26. XVII.
Ipomæa carnea 26. XVIII.
- - - filiformis 27. XIX.
- - - repanda 28. XX.
Echites biflora 30. XXI.
- - umbellata 30. XXII.
- - adglutinata 31. XXIII.
- - trifida 31. XXIV.
- - quinquangularis 32. XXV.
- - ſuberecta 32. XXVI.
- - toroſa 33. XXVII.
- - repens 33. XXVIII.
- - ſpicata 34. XXIX.
- - corymboſa 34. XXX.
Plumeria rubra 35.
- - - alba 36. CLXXIV. f. 12.
- - - inodora 36.
- - - pudica 37.
Cameraria latifolia 37. CLXXXII. f. 86.
Tabernæmont: citrifolia 38. CLXXV. f. 13.
- - - laurifolia 39.
- - - cymoſa 39. CLXXXI. f. 14.
- - - amygdalif: 39. CLXXXI. f. 15.
- - - grandiflora 40. XXXI.
Varronia curaſſavica. 40.
- - - macroſtachya 41.
- - - martinicenſis 41. XXXII.
- - - globoſa 41.
- - - humilis 41.
- - - mirabiloides 41. XXXIII.
- - - alba 41.
Cordia Sebeſtena 42.


Cordia

Cordia juglandifolia 43.
- - Geraſcanthus 43. CLXXV. f. 16.
Beurreria ſucculenta 44.
- - - exſucca 45. CLXXIII. f. 17.
Ehretia tiniſolia 45.
- - ſpinoſa 46. CLXXX. f. 18.
Tournefortia maculata 47.
Rauvolfia nitida 47.
- - - hirſuta 47.
- - - tomentoſa 48.
Cerbera Thevetia 48. XXXIV.
Solanum bombenſe 49.
- - - havanenſe 49. XXXV.
- - - triſte 50. XL. f. 2.
- - - racemoſum 50. XXXVI.
- - - ſubinerme 50. XL. f. 3.
Lycium americanum 50.
Chryſophyllum Cainito 51. XXXVII. f. 1.
- - - jamaicenſe 52.
- - - cæruleum 52. XXXVII*
- - - microphyl. 53. XXXVII. f. 2.
- - - argent: 53. XXXVIII. f. 1.
- - - glabrum 53. XXXVIII. f. 2.
Jacquinia armillaris 53. XXXIX.
- - ruſcifolia 54.
- - linearis 54. XL. f. 1.
Sideroxylum fœtidiſſimum 55.
- - - pauciflorum 55.
Achras Zapota major 56. CLXXXII. f. 19.
- - Zapota 57. XLI.
Rondeletia odorata 59. XLII.
- - - diſperma 59.
- - - trifolia 60. XLIII.
Chimarrhis cymoſa 61.
Cinchona caribæa 61. CLXXIX. f. 95.
Portlandia grandiflora 62. XLIV.
- - - hexandra 63. CLXXXII. f. 20.
Laugieria odorata 64. CLXXVII. f. 21.
Morinda muſcoſa 65. XLV.
Pſychotria carthagenenſis 65. CLXXIV. f. 22.
- - domingenſis 66.
- - herbacea 66. XLVI.
Coffea occidentalis 67. XLVII.
Chiococca racemoſa 68.
- - - nocturna 68.
Muſſænda formoſa 70. XLVIII.
- - ſpinoſa 70. XLIX.
Hamelia erecta 71.
- - patens 72. L.
Erithalis odorifera 72. CLXXIII. f. 23.
- - inodora 73.
Viſcoides pendulum 73. LI. f. 1.
Rhamnus iguanæus 74.
- - colubrinus 74.
- - cubenſis 75.
Ruyſchia cluſiæfolia 75. LI. f. 2.
Bytneria aculeata 76.
Sauvageſia erecta 77. LI. f. 3.
Hybanthus havanenſis 77. CLXXV. f. 24. 25.
Conocarpus erecta 78. LII. f. 1.
- - - procumbens 79. LII. f. 2.
- - - racemoſa 80. LIII.
Achyranthes altiſſima 81.
Cynanchum racemoſum 81. LIV.
- - - planiflorum 82. LV.
- - - maritimum 83 LVI.
- - - altiſſimum 84. LVII.
- - - undulatum 85. LVIII.
- - - longiflorum 85. LIX.
- - - filiforme 86. LX. f. 1.
- - - clauſum 87. LX. f. 2.
Gentiana aphylla 87. LX. f. 3.
Gomphræna ficoidea 88. LX. f. 4.
Aralia arborea 89.
- - capitata 89. LXI.
Bromelia Karatas 90. CLXXVIII. f. 26.
- - Pinguin 91.
Tillandſia lingulata 92. LXII.
- - tenuifolia 92. LXIII.
Renealmia polyſtachya 93.
Tradeſcantia geniculata 94. LXIV.
Burſeria gummifera 94. LXV.
Hillia paraſitica 96. LXVI.
Loranthus americanus 97. LXVII.
- - ſpicatus 97. LXVIII.
- - uniflorus 98 LXIX.
- - pedunculatus 98.
- - ſeſſilis 99.
Pancratium littorale 99. CLXXIX. f. 94.
- - - declinatum 99.
Agave cubenſis 100. CLXXV. f. 28.
Peplis tetrandra 100. CLXXXII. f. 29.
Petiveria octandra 101.
Trigonis tomentoſa 102.
Oenothera octovalvis 102. LXX.
Combretum ſecundum 103. CLXXVI. f. 30.
- - - laxum 104.
- - - decandrum 104.

Elaphrium tomentoſum 105. LXXI. f. 1.
- - - glabrum 106. LXXI. f. 2.
Ximenia multiflora 106. CLXXVII. f. 31.
Amyris ſylvatica 107.
- - maritima 107.
Melicoccus bijugatus 108. LXXII.
Dodonæa viſcoſa 109.
Paullinia triternata 110. CLXXX. f. 32.
Coccoloba Uvifera 112. LXXIII.
- - leoganenſis 113. CLXXVIII f. 33.
- - grandifolia 113.
- - obtuſifolia 114. LXXIV.
- - flaveſcens 114. LXXV.
- - diverſifolia 114. LXXVI.
- - coronata 114. LXXVII.
- - nivea 115. LXXVIII.
Caſſytha filiformis 115. LXXIX.
Laurus Cinnamomum 117.
Sophora havanenſis 118. CLXXIII. f. 1.
Bauhinia aculeata 119. CLXXVII. f. 2.
- - glabra 119. CLXXIII. f. 3.
Myroſpermum fruteſc: 120. CLXXIV. f. 34.
Parkinſonia aculeata 121. LXXX.
Poinciana pulcherrima 122.
- - bijugata 123.
- - coriaria 123. CLXXV. f. 36.
Anacardium occident: 124. CLXXXI. f. 35.
Heiſteria coccinea 126. LXXXI.
Melia Guara 126. CLXXVI. f. 37.
Swietenia Mahagoni 127.
Trichilia ſpondiodes 128.
- - havanenſis 129. CLXXV. f. 38.
- - trifolia 129. LXXXII.
- - terminalis 130.
Zygophyllum arboreum 130. LXXXIII
Melaſtoma diſcolor 130. LXXXIV.
- - ſeptemnervium 131.
Samyda decandra 131.
- - dodecandra 132.
Caſearia nitida 132.
- - aculeata 133.
- - decandra 133. LXXXV.
Copaiva officinalis 133. LXXXVI.
Erythroxylum carthagenenſe 134. LXXXVII. f. 1.
- - - - havan: 135. LXXXVII f. 2.
Malpighia linearis 135.
- - martinicenſis 136.
Malpighia nitida 136.
- - diphylla 136.
- - odorata 136. CLXXVII. f. 41.
- - grandifolia 137.
Hiræa reclinata 137. CLXXVI. f. 42.
Spondias Mombin 138.
- - Myrobal: 139. LXXXVIII.
Suriana maritima 140.
Rhizophora Mangle 141. LXXXIX.
Bocconia fruteſcens 146.
Triumfetta Lappula 146.
- - - ſemitriloba 147.
- - - rhomboidea 147. XC.
Portulaca triangularis 147.
- - paniculata 148.
Lythrum carthagenenſe 148.
Ginoria americana 148. XCI.
Euphorbia Tithymaloides 149. XCII.
- - meſembryanthemifolia 150
- - bombenſis 151.
- - graminea 151.
- - obliterata 151.
Cactus Pitajaya 151.
- - triangularis 152. CLXXXI. f. 65.
Eugenia Pſeudopſidium 152. XCIII.
- - carthagen: 152. CLXXVIII. f. 53.
Myrtus triflora 153. CLXXXIII. f. 59.
Chryſobalanus Icaco 154. XCIV.
Seſuvium Portulacaſtrum 155. XCV.
Marcgravia umbellata 156. XCVI.
Moriſonia americana 156. XCVII.
Capparis Cynallophora 158. XCVIII.
- - euſtachiana 159.
- - haſtata 159. CLXXIV. f. 56.
- - verrucoſa 159. XCIX.
- - octandra 160. C.
- - comoſa 160.
- - jamaicenſis 160. CI.
- - linearis 161. CII.
- - Breynia 161. CIII.
- - frondoſa 162. CIV.
- - tenuiſiliqua 162. CV.
- - pulcherrima 163. CVI.
- - nemoroſa 164. CLXXXI. f. 69.
Mentzelia aſpera 164.
Corchorus hirſutus 165.
Muntingia Calabura 166. CVII.
Symplocos martinicenſis 166. CLXXV f. 68.
Laetia completa 167. CLXXXIII. f. 60.
- - apetala 167. CVIII.
Lecythis minor 168. CIX.

Se-

Seguieria aculeata 170.
Homalium racemoſ. 170. CLXXXIII. f. 72.
Atragene polygama 171.
Teucrium cubenſe 172. CLXXXIII. f. 74.
Ballota ſuaveolens 172.
Scutellaria havanenſis 172.
Clinopodium martinic. 173. CLXXVI. f. 75.
Craniolaria annua 173. CX.
Creſcentia Cujete 175. CXI.
Lippia hemiſphærica 176. CLXXIX f. 100.
Avicennia nitida 177. CXII. f. 1.
- - tomentoſa 178. CXII. f. 2.
Ruſſelia ſarmentoſa 178. CXIII.
Gesneria tomentoſa 179. CLXXV. f. 64
Petræa volubilis 180. CXIV.
Stemodia maritima 181. CLXXIV. f. 66.
Capraria biflora 182. CXV.
Bignonia longiſſima 182. CLXXVI. f. 78.
- - echinata 183. CLXXVI. f. 52.
- - dichotoma 183.
- - paniculata 183. CXVI.
- - orbiculata 184. CLXXX. f. 79.
Volkameria aculeata 185. CXVII.
Citharexylum teres 185. CXVIII.
- - - quadrangulare 186.
Duranta Plumieri 186. CLXXVI. f. 76.
- - Elliſia 187. CLXXXVI. f. 77.
Besleria lutea 187.
- - criſtata 188. CXIX.
Cleome procumbens 189. CXX.
- - ſerrata 190. CLXXX. f. 43.
- - ſpinoſa 190.
Bombax pentandrum 191. CLXXVI. f. 70.
- - quinatum 192. CLXXVI. f. 71.
- - ſeptenatum 193.
Melochia tomentoſa 193.
- - domingenſis 194.
Brownæa coccinea 194. CXXI.
Sida triſulcata 195.
Hibiſcus ſpinifex 196.
Securidaca erecta 197. CLXXXIII. f. 39.
- - - ſcandens 197. CLXXXIII. f. 83.
Niſſolia fruticoſa 198. CLXXIX. f. 44.
Niſſolia arborea 199. CLXXIV. f. 48.
Amerimnon Brownei 199. CLXXX. f. 58.
- . . pinnat: 200. CLXXVII. f. 50.
Phaſeolus ſclareodes 201.
Dolichos pruriens 201. CXXII.
- - urens 202. CLXXXII. f. 84.
- - altiſſimus 203. CLXXXII. f. 85
- - ruber 204. CXXIII.
- - lignoſus 205.
- - ſubracemoſus 205.
Vicia littoralis 206. CXXIV.
Pſoralea carthagenenſis 206.
Geoffrœa ſpinoſa 207. CLXXX. f. 62.
Diphyſa carthagen: 208. CLXXX. f. 51.
Piſcidia Erythrina 209.
- - carthagenenſis 210.
Robinia violacea 210. CLXXVI. f. 49.
- - ſepium 211. CLXXIX. f. 101.
Galega Caribæa 212. CXXV.
Hypericum cayennenſe 213.
Spilanthes urens 214. CXXVI. f. 1.
- - inſipida 215. CXXVI. f. 2.
Kleinia ruderalis 215. CXXVII.
Pectis punctata 216. CXXVIII.
Bellis ramoſa 216. CXXIX.
Wedelia fruteſcens 217. CXXX.
Strumpfia maritima 218.
Lobelia Plumieri 219. CLXXIX. f. 88.
- - longiflora 219.
Orchis ſetacea 220.
Satyrium plantagineum 221.
Epidendrum lineare 221. CXXXI. f. 1.
- - - ramoſum 221. CXXXII.
- - - globoſum 222. CXXXIII. f. 1.
- - - rigidum 222. CXXXIV.
- - - coccineum 222. CXXXV.
- - - difforme 223. CXXXVI.
- - - ſecundum 224. CXXXVII
- - - anceps 224. CXXXVIII.
- - - ciliare 224. CLXXIX. f. 89.
- - - nocturn: 225. CXXXIX.
- - - ophioglosſoides 225. CXXXIII. f. 2.
- - - ruſcifol: 226. CXXXIII. f. 3.
- - - nodoſum 226. CXL.
- - - concretum 228.
- - - carthagen. 228. CXXXIII. f. 4.
- - - altiſſimum 229. CXLI.
- - - tetrapetalum 230. CXLII

Epi-

Epidendrum Cebolleta 230. CXXXI. f. 2.
Paſſiflora quadrangularis 231. CXLIII.
Ariſtolochia anguicida 232. CXLIV.
- - - caudata 233. CXLV.
- - - maxima 233. CXLVI.
- - - pentandra 233. CXLVII.
Piſtia Stratiotes 234. CXLVIII.
Helicteres jamaicenſis 235. CLXXIX. f. 99.
- - baruenſis 236. CXLIX.
- - carthagenenſis 237. CL.
- - apetala 238. CLXXXI. f. 98.
Arum Seguine 239. CLI.
- - hederaceum 240. CLII.
Pothos acaulis 240. CLIII.
Elaterium carthagenenſe 241. CLIV.
Anguria pedata 242. CLV.
- - trilobata 243. CLVI.
Axyris pentandra 244.
Tragia hexandra 245. CLXXII. f. 63.
Hernandia ſonora 245.
Bœhmeria ramiflora 246. CLVII.
Morus Zanthoxylum 247. CLXXX. f. 55.
Sagittaria lancifolia 248.
Sapium aucuparium 249. CLXVIII.
Hippomane Mançanilla 250. CLIX.
Dalechampia ſcandens 252. CLX.
Acalypha carthagenenſis 253. CLXXX f. 57.
- - villoſa 254. CLXXXIII. f. 61.
- - corenſis 254. CLXI.
Croton procumbens 254.
- - niveum 255. CLXII. f. 2.
- - balſamiferum 255. CLXII. f. 3.
- - polygamum 255.
- - lineare 256. CLXII. f. 4.
Iatropha integerrima 256. CLXXXIII. f. 74.
- - haſtata 256. CLXXIII. f. 54.
- - carthagenenſis 256. CLXII. f. 1.
Sicyos edulis 258. CLXIII.
Schæfferia fruteſcens 259.
Batis maritima 260. XL. f. 4.
Aſtronium graveolens 261. CLXXXI. f. 96.
Smilax havanenſis 262. CLXXIX. f. 102.
- - haſtata 162. CLXXIX. f. 103.
Goüania tomentoſa 263.
- - glabra 264. CLXXIX. f. 40.
Mimoſa fagifolia 264. CLXIV.
- - tergem: 265. CLXXIII. f. 81.
- - polyſtachya 265. CLXXXIII. f. 93.
- - cornigera 266.
- - mangenſis 267.
- - retuſa 267.
- - biglobоſa 267. CLXXIX. f. 87.
Mammea americana 268. CLXXXI. f. 82.
Calophyllum Calaba 269. CLXV.
Cluſia roſea 270.
- - alba 271. CLXVI.
- - flava 272. CLXVII.
- - venoſa 273.
Piſonia aculeata 274.
- - inermis 275.
Dioſpyros inconſtans 276. CLXXIV. f. 67.
Cocos nucifer 277. CLXVIII.
- - amarus 277.
- - aculeatus 278. CLXIX.
Areca oleracea 278. CLXX.
Bactris minor 279. CLXXI. f. 1.
- - major 280. CLXXI. f. 2.
Elæis guineenſis 280. CLXXII.
Gyrocarpus americ: 282. CLXXVIII. f. 80.
Aniſophyllum pinnatum 283. CLXXX f. 45.
Pterocarpus officinalis 283. CLXXXIII f. 92.

MONAN-

# MONANDRIA.
# MONOGYNIA.

## ALPINIA.

1. ALPINIA (*ſpicata*) floribus ſpicatis. TAB. I.

CAL. Spadix ſimplex. Spathæ ſubrotundæ, acuminatæ, imbricatæ, coloratæ.

Perianthium monophyllum, tubuloſum, trifidum, germini inſidens, perſiſtens: laciniis acutis, erectis, parvis.

COR. monopetala, incurva. Tubus oblongus, calyce paulo longior. Limbus trifidus, tubo longior: laciniis lanceolatis, concavis, acutis, erectis, intermedia incumbente lateralibus.

Nectarium monophyllum, corollam leviter ſuperans, erectum. Tubus ventricoſus, ſuperne per totam longitudinem fiſſus, inſertus tubo corollæ. Limbi labium inferius unicum, undulatum, ſubtrifidum, obtuſum, antrorſum inter lacinias laterales corollæ leviter propendens.

STAM. Filamentum unicum, e dorſo tubi corollæ ortum, canaliculatum, apice fimbriatum, nectario oppoſitum, cum eodemque corollam internam bilabiatam mentiens. Antheræ geminæ, lineares, filamenti internæ parti longitudinaliter juxta invicem adnatæ.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, fere longitudine filamenti, eidemque inter antheras accumbens. Stigma capitatum, compreſſum, inferne corpuſculo biglanduloſo inſtructum.

PER. Capſula obſolete trigona, coronata calyce, trilocularis, trivalvis.
SEM. plura, oblonga, inæqualia, obtuſa, nidulantia in pulpa molli.

*Radix* perennis, carnoſa, inæqualis, candida; *culmos* producit plures, ſubgeniculatos, ſuberectos, teretes, glabros, pedem unum alterumve altos. Hos ornant *folia* oblonga, acuminata, baſi attenuata, nitida, integerrima, alterna, donata *petiolo* breviſſimo teretique; *floralia* ſub ſpica plerumque quaterna. Quemlibet terminat culmum *ſpica* conica, ſolitaria, & denſiſſime compacta e *ſpathis* coccineis, craſſis, coriaceis, imbricatis, & unifloris. Ab inferioribus ſucceſſive prodeunt *flores* inodori, flavi, pollicares, cito marceſcentes. Martinicenſes, a quibus *Canne de riviere* ſive Arundo fluviatilis appellatur, radicum culmorumque decocta paſſim adhibent in Gonorrhœa aliisque morbis pro potu refrigerante, admiſtis non raro aliis etiam herbis. Negant floris color foliique glabrities ſumma, eſſe hanc plantam Piſonis Jacuacangam Marcgraviique Paco Caatingam; niſi hæ varient in variis regionibus.

Habitat in Martinica ad ripas herbaceas torrentum, & in montibus umbroſis humidis. Vidi florentem Septembri & Octobri.

# DIANDRIA.

# MONOGYNIA.

## JUSTICIA.

1. JUSTICIA (*ſpinoſa*) monanthera; TAB. II. Fig. 1.

CAL. Perianthium quinquepartitum, perſiſtens: foliolis lanceolato-linearibus, acuminatis, erectis, tubo corollæ duplo brevioribus.

COR. monopetala. Tubus ſubcylindraceus, erectus. Limbus ringens, tubo duplo brevior: labio ſuperiori bifido, ſuberecto: labio inferiori trifido, reflexo: utriusque laciniis ovatis, obtuſis, ſubæqualibus.

STAM. Filamenta duo, filiformia, petalo breviora, ejusdemque tubo per totam longitudinem adnata. Antheræ oblongæ, didymæ.

PIST. Germen oblongum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus brevior. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Capſula oblonga, baſi attenuata, ſuperne craſſior, obtuſa cum acumine, compreſſiuſcula, magna, ſuperne bilocularis, bivalvis: valvulis navicularibus, ungue elaſtico.

SEM.

SEM. in quolibet loculamento bina, ſuborbicularia, compreſſo-plana, emarginata.

Frutex quinquepedalis in *ramos* dividitur paucos, teretes, infirmos, lentos, folioſos, & longiſſimos. *Folia* ſunt ovata vel ex lanceolato ovata, integerrima, obtuſa, nitida, oppoſita, petiolata, circiter ſemipollicaria. *Spinis* armatur ſubulatis, acuminatis, fortibus, oppoſitis, patentiſſimis, duplo brevioribus quam ſunt folia, in quorum axillis locantur. Hæc vero inter ſpinasque *pedunculi* exeunt terni vel quaterni, uniflori, breves, oppoſitique; qui *flores* ſuſtinent inodoros, pollice breviores, corolla purpurea.

Non video, cur ſejungendæ a Juſticiis Diantheræ forent; quum & habitu & charactere nimium quantum congruant. Ad facilitandam vero in familia tam numeroſa ſpecierum diſtinctionem, binos commode aſſumi ordines poſſe exiſtimo: quorum alter Juſticias monantheras, ſive anthera unica in quolibet filamento gaudentes, contineat; diantheras enumeret alter.

Habitat in fruticetis & arbuſtis maritimis circa Portum Principis in Domingo. Januario flores & fructus maturos collegi.

2. JUSTICIA (*ſeſſilis*) dianthera; floribus axillaribus, ſeſſilibus. TAB. II. Fig. 2.

CAL. corollæ tubo triplo brevior.
COR. Labium ſuperius integerrimum, acutumque.
STAM. } ut in *Dianthera Linnæi.*
PIST. }
RELIQUA, ut in *Juſticia ſpinoſa.*

Planta fruticoſa, erecta. *Rami* graciles, teretes. *Folia* ovata, acuta, obſolete crenata, breviter petiolata, oppoſita. *Bracteæ florales* acutæ, exiguæ, plerumque binæ. *Flores* ſolitarii, axillares, ſeſſiles, inodori, corolla purpurea. De altitudine hujus fruticis, a pecude perpetuo demeſſi, vix ferre judicium potui; unde bipedalem raro offendi.

Habitat frequens in inſulæ ſancti Euſtachii ſepibus, & fruticetis. Florentem vidi Julio & Auguſto.

3. JUSTICIA (*pectoralis*) dianthera; herbacea; panicula dichotoma. TAB. III.

CAL. Foliolum ſuperius duplo brevius reliquis.
COR. Tubus rugoſus, limboque brevior. Labium ſuperius integerrimum, concavum.
STAM. ut in *Dianthera Linnæi.*
PIST. Stigma acutum.
RELIQUA, ut in *Juſticia ſpinoſa.*

Planta erecta, duos tresve pedes alta, herbacea, radice fórte annua. *Folia* habet lanceolato-acuminata, bipollicaria. *Paniculæ* terminales, dichotomæ, tenues. *Flores* numeroſi, rubelli, ſeſſiles, *bracteis* ſuffulti ſetaceis. Tota planta odorem ſpirat fœni recens collecti cum aromate levi atque reficiente conjunctum. Syrupum inde cum ſaccharo conficiunt incolæ adverſus pectoris morbos laudatiſſimum. Cum ſale marino tuſa folia prodeſſe in vulneribus feruntur; unde nomen apud Gallos obtinuit *Herbe à chaſpentier* ſeu Herbæ lignarii, quod ille præ cæteris, opera ſua vulneribus expoſitus, eadem indigeat, utique ſoleat.

Habitat in Domingo & Martinica. Florentem utrobique Januario vidi.

4. JUSTICIA (*euſtachiana*) dianthera; foliis lanceolato-oblongis; pedunculis multifloris; bracteis linearibus, apice latiuſculis, acuminatis. TAB. IV.

COR. Limbus rugoſus, longitudine tubi. Labium ſuperius bidentatum, acutum.

STAM. } ut in *Dianthera Linnæi.*
PIST. }

RELIQUA, ut in *Juſticia ſpinoſa.*

Frutex inelegans, erectus, tripedalis. *Caules* lignoſi, teretes, fragiles. *Folia* lanceolato-oblonga, acuminata, integerrima, glabra, breviter petiolata, oppoſita, tripollicaria. *Pedunculi communes* racemoſi, parum diviſi, terminales multiflori, axillares plus minus triflori. *Bracteæ* plerumque ternæ, calyce breviores. *Flores* inodori, ſesquipollicares, corolla purpurea. *Capſulæ* cuneiformes.

Paſſim creſcit in collibus apricis aridis inſulæ ſancti Euſtachii. Vidi florentem Septembri.

5. JUSTICIA (*hirſuta*) dianthera; foliis lanceolato-acuminatis; floribus ſubſpicatis; bracteis ſetaceis; caule hirſuto.

COR. Labium ſuperius ſemibifidum. Labii inferioris lacinia intermedia paulo lateralibus latior.

STAM. ut in *Dianthera Linnæi.*

PIST. Germen oblongum. Stylus tubo corollæ brevior. Stigma bifidum, acutum.

RELIQUA, ut in *Juſticia ſpinoſa.*

Planta fruticoſa, erecta, quadripedalis, ramoſa; *ramulis* hirſutis. *Folia* lanceolato-acuminata, integerrima, facie glabra, ſubtus hirſuta, ſemipedalia, oppoſita, petiolata. *Racemi* terminales, erecti, villoſi, ſemipedales; *pedun-*

*pedunculis propriis* brevibus, numerosis, sæpe aggregatis, hinc *spicam* fere formantibus. *Bracteæ* calycibus breviores. *Flores* inodori, corolla candida, labio inferiori punctis rubris variegato. *Fructus* abortare *) solent plerique.

Habitat in Martinicæ fruticetis humidiusculis.

6. JUSTICIA *(nitida)* dianthera; foliis lanceolato-acuminatis; floribus subspicatis; bracteis setaceis; caule nitido.

Frutex totus nitidissimus; cæterum præcedenti simillimus. *Folia* sunt crassiuscula. In corollæ fundo, præter fertilia duo, alia duo adsunt *filamenta* sterilia.

In Martinica habitat ad ripas torrentum.

7. JUSTICIA (*martinicensis*) dianthera; foliis ovato-acuminatis; pedunculis trifloris; bracteis ovatis, calyce longioribus. TAB. II. Fig. 3.

CAL. brevissimus.

COR. monopetala, ringens. Tubus tenuis, longissimus, intortus. Limbi hinc inversi labium superius oblongo-ovatum, concavum, obtusum, sæpius integerrimum, longitudine tubi, situ inferius. Labium inferius oblongum, obtusum, levissime tridentatum, revolutum, ejusdem longitudinis, situ superius.

STAM. ut in *Dianthera Linnæi.*

PIST. Stigma interdum bifidum.

RELIQUA, ut in *Justicia spinosa.*

Planta geniculata, suberecta, ramosa, bipedalis, mihi visa annua. *Caules* glabri, obsolete sexangulares. *Folia* integerrima, ovata, acuminata, glabra, opposita, basi in petiolum tenuem attenuata, infima quinquepollicaria, sequentia sensim minora, summa vix semipollicaria. *Pedunculi* axillares, trifidi, triflori, oppositi, breves. *Bracteæ* ovatæ, concavæ, acuminatæ, integerrimæ, glabræ, sessiles, oppositæ, superiore minore. *Flores* inodori, fere sesquipollicares, corolla rubente.

Habitat in sepibus arboreis Martinicæ; & ad margines sylvarum.

8. JUSTICIA (*carthagenensis*) dianthera; foliis ovalibus, utrinque acuminatis; floribus spicatis; bracteis oblongo-cuneiformibus. TAB. V.

Planta erecta, elegans, in fruticetis sepibusque densis sexpedalis, ad margines vero eorundem tripedalis, mihi visa annua. *Caules* teretes, glabri. *Folia* integerrima, dorso nitida, facie scabriuscula, breviter petiolata, opposita, semipedalia. *Spicæ* laterales & terminales. *Bracteæ* sub singulo flore

 ternæ,

*) *Abortare* dixi cum Varrone; quod *abortire* & *abortiri*, quantumvis hodie fere sola in usu, latina haud esse, omnino videantur.

ternæ, ex oblongo cuneiformes, obtuſæ cum exiguo acumine, dorſo piloſiuſculæ, erectæ, calyce multo longiores. *Flores* inodori, ſesquipollicares, corolla purpurea, filamentis candidis, charactere omnino Juſticiæ euſtachianæ.

Habitat Carthagenæ indicæ: præcipue in ſylvula, quæ prædio La Quinta dicto adjacet. Floret Octobri.

9. JUSTICIA (*pulcherrima*) floribus tetrandris. TAB. II. Fig. 4.
Juſticia ſpicis terminalibus, pluribus; flore rubro. *Læſl. hiſp.* 244.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis lanceolato-acuminatis, concavis, erectis, parvis, ſuperiori reliquis latiori.

COR. monopetala, ringens. Tubus compreſſus, longiſſimus, erectus, baſi leviter ſubrotundus, mox attenuatus, dein ſenſim ſuperiora verſus in faucem ampliatus. Limbus bilabiatus. Labium ſuperius erectum, tubo duplo brevius, ſemibifidum: laciniis lanceolato-acuminatis, concavis. Labium inferius trifidum: lacinia media lanceolata, acuminata, plana, deflexa, maxima, labii ſuperioris longitudine: lateralibus acutis, planis, minimis, inciſuris exterioribus multo minus profundis.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, longitudine eadem, inſerta inferiori parti corollæ, eandemque ferme æquantia. Antheræ oblongæ, apice obtuſæ, baſi acutæ, dorſo villoſæ, maximæ, longitudinaliter filamentis affixæ.

PIST. Germen ovato-oblongum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, acutum.

PER. } ut in *Juſticia ſpinoſa.*
SEM. }

Planta fruticoſa, perennis, erecta, ſexpedalis. *Caules* teretes, vix ramoſi, ex eadem radice ſæpe plures. *Folia* ovata, utrinque acuminata, margine obſolete denticulata, facie glabriuſcula, dorſo obſita tomento tenuiſſimo & ad tactum mollia, venis adſcendentibus & parallelis notata, oppoſita, breviter petiolata, octo pollices longa. *Spicæ* erectæ, denſæ, tetragonæ, tripollicares, axillares oppoſitæ, & terminales plerumque binæ vel quaternæ. *Bracteæ* ſubrotundo-cordatæ. *Flores* inodori, fere bipollicares, ſerie quadruplici longitudinaliter in ſpica ordinati, pulcherrimo conſpicui rubore, quo omnibus palmam concoloribus facile præripiunt, ab ipſis Hibiſci Malvaviſci, quocum mixtim creſcere ſolet, floribus ſolo fulgore ſuo jam eminus diſtinguendi. Ad Juſticias hanc plantam retuli, etiamſi ab his deflectant corollæ ſtructura ſtaminumque numerus: neque enim Ruelliis Barleriisve magis convenit; quum petalis ab illis valde diſcrepet, ſintque ſta-

mina

mina ſemper longitudine æqualia, in quibus non perfunctorie examinandis, majorem oculis quam præconcepta hypotheſi occupatæ imaginationi fidem adhibui. Cæterum habitus plantæ totius fructusque cum Juſticiis iidem ſunt.

Habitat frequens Carthagenæ in ſylvaticis montis de la Popa. Floret Octobri & Novembri.

## UTRICULARIA.

1. UTRICULARIA (*montana*) nectario ſubulato; foliis integerrimis. TAB. VI.

*Radices* fibroſæ, cinereæ, Solani eſculenti modo tuberculis rotundis parvisque diſtinctæ. *Scapus* ſimplex, aphyllus, uniflorus vel biflorus, glaber, erectus, ſemipedalis. *Folia* radicalia, duo, obovata, baſi attenuata in petiolum, acuta, nitida, integerrima, craſſiuſcula, avenia, convexa, oppoſita, ſesquipollicaria. *Flos* elegans, maximus, albus, calyce & nectario tinctis levi flavedine.

Habitat in Martinicæ altiſſimis montibus; loco pratenſi udo & aprico. Florentem vidi Februario.

# TRIANDRIA.

# MONOGYNIA.

## IRIS.

1. IRIS (*martinicenſis*) corollis imberbibus; germinibus trigonis; foveis ad baſin petalorum glanduloſis. TAB. VII.

CAL. Spatha univerſalis diphylla, bivalvis; valvulis acuminatis, compreſſis, carinatis, erectis, marceſcentibus.

COR. Petala ſex, germini inſidentia. Quorum tria alterna obovata, obtuſa, emarginata cum acumine, concava, erectiuſcula. Reliqua tria oblonga, prioribus fere duplo minora, ad medietatem usque erectiuſcula, dein introrſum deorſumque plicata, apice iterum extrorſum reflexo.

Fovea nectarea in quolibet petalo ad baſin.

STAM. Filamenta tria, capillaria, tenella, incurva, petalis minoribus fere duplo breviora. Antheræ oblongæ, erectæ, maximæ, poſt pollinis exploſionem ſulco longitudinali angulos ſtigmatis firmiter amplexantes, antea libere iisdem ſuppoſitæ.

PIST.

PIST. Germen oblongum, trigonum, inferum. Stylus filiformis, erectus, fere longitudine filamentorum. Stigma omnium maximum, semitrifidum, patens: laciniis oblongis, subtus angulatis, crassis, ad apicem levi fimbria coronatis, longitudine petalorum minorum, nec petaliformibus.

PER. Capsula oblonga, obtusa, obtuse trigona, ad semina torosa, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, subglobosa, disposita in quolibet loculamento serie duplici longitudinali.

E *radice* solida, subbulbosa, circumdata radiculis teretibus albidis, & sobolifera, *caulis* exsurgit erectus, teretiusculus, bipedalis, simplex vel bifariam divisus; quem ornant basi, Ixiæ chinensis more, *folia* ensiformia, acuminata, integerrima, rigidiuscula, disticha, plana, basi carinata, superne simplicia, erecto-patentia, pauca. Ex eadem *spatha* successive pauci prodeunt *flores* inodori, flavi, pedunculati, structura sua a congeneribus in multis diversi: quorum habent petala impressam foveam glandulosam nigram nitidamque, qualis conspicitur in pluribus Ranunculis. *Semina* sunt fusca. Ex his Vindobonæ ante triennium enata planta, admodum jam radicibus suis se propagavit, at flores nedum produxit.

Habitat in Martinicæ pratis montosis sylvaticis humentibus. Floret Novembri & Decembri.

## HIRTELLA.

1. HIRTELLA (*americana.*) TAB. VIII. *Linn. spec. pl.* 1. *p.* 34.

CAL. Perianthium quinquepartitum, persistens: laciniis ovato-subrotundis, concavis, æqualibus, reflexis.

COR. Petala quinque, subrotunda, concava, patentia, æqualia, decidua.

STAM. Filamenta tria, filiformia, basi plano-compressa, erecta, longissima, persistentia, tandem spiraliter involuta. Antheræ subrotundæ.

PIST. Germen subrotundum, villosum, compressum in latere, cui stamen nullum adponitur; sed e quo ipso erigitur Stylus filiformis, inferne hirsutus, longitudine fere staminum. Stigma simplex.

PER. - - - -

SEM. - - - -

Arbor ramosa, vigintipedalis vel sæpe minus alta. *Folia* oblonga, ovalia, acuminata, integerrima, nitida, petiolata, alterna, quinquepollicaria. *Racemi* terminales, villosi, laxi, semipedales. *Flores* inodori, petalis albis, staminibus styloque cruciatim positis. *Fructum* non vidi maturum.

Habitat in Martinicæ sylvis ad ripas torrentum, alibique. Floret Aprili & Majo.

HIPPO-

## HIPPOCRATEA.

1. HIPPOCRATEA (*ſcandens.*) TAB. IX. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 1191.
Coa ſcandens, fructu trigemino. *Plum. gen.* 8. *ic.* 88.
Bejuco pendulus; floribus paniculatis. *Læſl. hiſp.* 314.

CAL. Perianthium quinquepartitum, minimum, corollæ concolor, deciduum: foliolis ſubrotundis, obtuſis, patentiſſimis.

COR. Petala quinque, ovata, obtuſa, patentiſſima, inferne plana lateribusque revolutis, ſuperne concava apicibusque ſubbilocularibus.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, erecta, longitudine corollæ, baſibus latiſſimis ſuperimpoſita receptaculo germinis. Antheræ latæ, utrinque emarginatæ, ſulco transverſali notatæ, erectæ.

PIST. Germen triquetro-ſubrotundum, a corolla remotum per Receptaculum proprium diſciforme, cui pro parte immerſum. Stylus ſimplex, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Capſulæ tres, obcordatæ, compreſſæ, magnæ, uniloculares, bivalves: valvulis carinatis, caducis; remanentibus ſuſpenſis ſeminibus.

SEM. in quavis capſula quinque, oblonga, ab invicem valde compreſſa; aucta ala membranacea ovali-oblonga, magna.

Arbor hæc, quam in memoriam ſummi Hippocratis nominavit primus ejusdem detector Plumierus, tempeſtate ſicca, quæ quotannis Carthagenæ obtinet, quaque omnes ſolent arbores foliis omnimode orbari, cum Capparidibus paucisque aliis læte virere pergit. Cæterum inelegans eſt; & vicinis arboribus, quibus ſcandendo ſe ſuſtentet, indiget; volubilis nunquam a me deprehenſa. In *ramos* diſpeſcitur longiſſimos, teretes, lentos, per totam ſæpe longitudinem ad intervalla ornatos *ramuſculis* oppoſitis, brachiatis, folioſis, & florigeris. *Folia* habet ovata aut ex lanceolato ovata, nitida, leviter ſerrata, idque obtuſe vel acute, petiolata, oppoſita, tres pollices longa, in ramuſculis dumtaxat novellis viridibus: locis umbroſis interdum ſemipedalia; in apricis aridiſſimis quandoque craſſiuſcula, ad tactum pinguia, & cum denticulis leviſſimis integerrima. *Corymbi* ramoſi, interdum ampliſſimi, axillares, oppoſiti, rarius etiam terminales. *Flores* inodori, exigui, e luteo virentes. *Capſulæ* glabræ, fuſcæ. *Semina* fuſca. Nullus dubito, quin beati Læfflingii *Bejuco* (quo nomine Hiſpani plantam ſcandentem in genere appellant,) ſit Hippocratea. In flore minimo Receptaculum ſolidum germinis pro nectario habuit; & germen deſcripſit jam adoleſcens; non quale exiſtit in floris explicatione.

Habitat in Martinica, Domingo, frequentior Carthagenæ: in montibus; vallibus; inundatis maritimis. Vidi florentem Aprili & Decembri. Fructus Julio collegi.

# TAMARINDUS.

1. TAMARINDUS (*indica.*) TAB. X. & TAB. CLXXIX. Fig. 98. *Linn. ſp. pl. 1. p. 34.*

CAL. Spatha diphylla, caduca: foliolis ovatis, concavis, obtuſis, coloratis, petaliformibus.

Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis ovatis, acutis, planiuſculis, reflexis, coloratis, ſuperiori & inferiori paulo latioribus.

COR. Petala tria, ovata, concava, acuta, crenata, undulata, longitudine calycis, omnia ſurſum adſcendentia & reflexa, duobus lateralibus paulo majoribus.

STAM. Filamenta tria, ſubulata, ad medietatem usque in unum corpus coalita, arcuata verſus corollam, baſi locata in ſinu calycis vacuo. Antheræ ovatæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſum, incurvum, inſidens pedicello adnato internæ concavæ parti receptaculi floris per totam longitudinem. Stylus ſubulatus, adſcendens, ſtaminibus paulo longior. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Legumen oblongum, compreſſum, obtuſum cum acumine, ad ſemina toroſiuſculum; cortice veſtitum duplici, exteriori ſicco & fragili; interiori membranaceo; inter utrumque pulpa molli; unilocularis, non dehiſcens.

SEM. pauca, angulato-ſubrotunda, plano-compreſſa, nitida.

Elegantiſſima & vaſta hæc arbor comam format denſam ampliſſimamque; trunco ſtat craſſo & erecto; in ramos diſpeſcitur numeroſos, præſertim juniores. *Folia* ſunt pinnata, alterna, quinquepollicaria: *foliolis* ſine impari utrinque numero incerto circiter quatuordecim, oblongis, cum exiguo acumine obtuſis, integerrimis, glabris, parvis, oppoſitis. *Racemi* ſimplices, laxi, penduli, circiter duodecimflori, longitudine circiter foliorum. *Flores* ſuaveolentia magna præditi, plurimi abortantes; ſpatha roſea; calyce flaveſcente; corolla lutea variegataque venis rubris. *Fructus* figura & magnitudine valde variant: nunc recti, nunc incurvi; ſi ſemen continent unicum, magis ſubrotundi; ſi duo, tria, vel quatuor, inter hæc mage minusve contracti: unde exempli gratia monoſpermum diſpermumque in icone adjunxi, triſpermumque alium, longitudinaliter dimidio cortice nudatum, ut pulpa interior prodeat in conſpectum. *Cortex exterior* in maturo ferrugineus eſt, nec quidquam ruboris habet; in immaturo qui viret: unde falſus color in opere Blackwelliano adpingitur. *Pulpa* matura libera eſt a cortice exteriori, ſpatiumque hunc inter & interiorem, veluti condenſata, nunc amplius haud replet;

replet; ſi iſte diffringitur, pedunculo appenſa hærens per pauca ligamenta valida, quæ illam amplectuntur, videnturque antea fuiſſe vaſa ſuccum nutritium advehentia: ab iisdem tamen levi vi ſolubilis. Solent incolæ in duas diſtinguere hanc arborem ſpecies, videlicet in dulcem & in acerbam. Revera dantur iſtiusmodi Tamarindi, quarum omnes quotannis fructus multo aliis ſunt dulciores; & vice verſa: ſed quum alias non diſcrepent, aut ſoli, in quo creſcunt, diverſitati, aut alii ignotæ mihi cauſæ attribuendum hoc eſſe ſaporis diſcrimen, exiſtimo. Americanis, præ cæteris autem Curaçavienſibus, in ſummo pretio ſunt hi fructus, maturique magna copia comeduntur crudi, absque incommodo alio, niſi quod ventrem moveant interdum levius. Mihi ſic dicti dulces ſatis arriſere; ſemper tamen admiſti quiddam deprehendi acerbi, quod linguam vellicabat ingratiis. Martinicenſes comedere hos potuiſſe immaturos, adeoque auſteriſſimos, admiratus fui. Ex immaturis & decorticatis condimenta cum ſaccharo Cubenſes facere norunt omnium ſapidiſſima. *Filamentorum* corpus ubi in tres partes ſeparatur, emittit etiam quatuor *ſtipulas* ſetaceas breves cum iisdem alternantes. *Stipulæ* aliæ duæ, prioribus duplo longiores, enaſcuntur e receptaculo fere ad dorſum corporis filamentoſi. Poſſunt autem ſpectari hæ ſtipulæ, ac ſi eſſent aliorum ſtaminum rudimenta; ita ut tria dicerentur fertilia, ſterilia reliqua; quo certe Caſſiis evaderet affinis.

Habitat in pratis, hortis, cultis Caribæarum & Continentis; fortaſſe nullibi vere ſylveſtris. Floret Octobri & Novembri.

## HAPALANTHUS.

1. HAPALANTHUS (*repens.*) TAB. XI.

CAL. Perianthium triphyllum, perſiſtens: foliolis lineari-lanceolatis, concavis, acuminatis, erectis.

COR. Petala tria, lanceolata, acuminata, planiuſcula, erecta, tenella, calyce paulo breviora.

STAM. Filamenta tria, capillaria, erecta, deſinentia in bracteam ſubrotundam, calyce duplo longiora. Antheræ globoſæ in quolibet filamento geminæ, adfixæ parieti interno bracteæ.

PIST. Germen oblongum, compreſſum. Stylus capillaris, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma penicilliforme.

PER. Capſula ovata, acuta, compreſſa, bilocularis, bivalvis.

SEM. in quolibet loculamento bina, ſubrotunda.

Planta herbacea, tenella, repens, viridis, e geniculis radices terræ immittens, ſuperne erectiuſcula, forte annua, baſi ramoſiuſcula, glabra. *Folia* ovata, acuminata, baſi ſubcordata, integerrima, craſſiuſcula, nitida,

pinguia, vaginantia, margine purpureo, alterna in cauliculo tereti, quem terminant alia aggregata atque imbricata in rosulam patentem. *Flores* parvi, tenelli, sessiles, virentes, tres plerumque simul e cujuslibet vagina folii inferioris. A florum habitu tenello nomen Ἁπαλὸς ἄνθος impositi. Ejusdem generis omnino est atque illa planta, quam Callisiam vocat Læfflingius *hisp.* 305.

Habitat in Martinicæ humidis herbaceis & umbrosis; frequens inter Commelinas.

## COMOCLADIA.

1. COMOCLADIA (*integrifolia*) foliolis integerrimis.

Comocladia. *Linn. syst. A. p.* 861.

Comocladia caudice simplici, quandoque brachiato, fronde comosa, pinnata; floribus confertis sessilibus; racemis alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 124.

Prunus racemosa, caudice non ramoso, alato fraxini folio non crenato, fructu rubro subdulci. *Sloan. hist. jam.* 2. *p.* 131. *t.* 222. *f.* 1.

CAL. Perianthium monophyllum, coloratum, tripartitum: laciniis subrotundis, concavis, obtusis, patentibus.

COR. Petala tria, ovata, plana, acuta, patentissima, calyce duplo longiora.

STAM. Filamenta tria, subulata, erecta, petalis breviora. Antheræ quadrisulcatæ, incumbentes.

PIST. Germen subrotundum, parvum, in fundo calycis. Stylus vix ullus. Stigma simplex, obtusum.

PER. Drupa oblonga, obtusa, levissime incurva, superne notata tribus punctis nigris.

SEM. Nux membranacea, ejusdem figuræ. Nucleus similis.

Hæc arbor altitudinem viginti pedum raro superat. *Truncus* erectus & crassitiei mediocris in *ramos* dividitur paucos crassos & frondosos; quos confertim ad extremitates ornant *folia* pinnata glabraque; constantia *costa* tereti & bipedali; *foliolis*que cum impari utrinque ut plurimum octo, ovato-lanceolatis, acuminatis, integerrimis, per venas transversas leviter rugosis, lateribus parum revolutis, petiolatis, quadripollicaribus. In horum plurium axillis *racemi* pendent paniculati, laxi, sesquipedales, divisi in *racemos partiales* laterales alternos circiter viginti quatuor; quorum infimi sunt quadripollicares, supremi vix lineares, longitudine intermediorum proportionali: atque hi etiam magis minusve sunt compositi, unde ampla panicula exsurgit. *Flores* in qualibet panicula sunt numerosissimi, exigui, sessiles, inodori, saturate rubentes. Horum semper in eodem racemo plures sunt corolla

calyce-

calyceque quadripartitis cum ſtaminibus quatuor; quorum tamen, reſpectu triandrorum, parvus eſt numerus. *Drupæ* ſunt rubræ, nitidæque. Tota porro arbor ſcatet ſucco aqueo leviterque glutinoſo, qui ad liberi aëris attactum nigreſcit, manumque attrectantis colore imbuit atramento nigriore, vix tandem lotioni cedente.

Habitat in Domingo & Jamaica. Floret Decembri, Januario, & Februario.

2. COMOCLADIA (*dentata*) foliolis aculeato-dentatis. TAB. CLXXIII. Fig. 4.

Hanc arborem habitu adeo ſimilem præcedenti inveni, ut, etiamſi nec flores videre nec fructus mihi contigerit, ad idem referre genus non hæſitaverim. *Caudice* etiam eſt erecto, & in pauciſſimos ramos diviſo. *Folia* habet pinnata, ſuperne nitida, & frondoſa: *coſta* tereti, ſesquipedali: *foliolis* utrinque a ſex ad decem cum impari, oblongis, acuminatis, aculeato-dentatis, dorſo venoſis & ſubtomentoſis. *Succus* hujus arboris eſt lacteus, glutinoſus, ad aëris attactum evadens omnium aterrimus, pannos manumque inficiens nigredine, in cute cum ipſis demum detritis ſquamulis abſcedente, in pannis nulla vulgari ne vel per annos repetita lotione delebili. Odor vero ſucci ſtercoreus eſt, & perfecte talis, qualis oriri ſolet, quando alcoholi ſulphure tincto acetum affunditur. Intacta arbor odoris nullum indicium præbet; ſed vel leviter vulnerata dicto fœtore viciniam inficit brevi. Cubenſes *Guao* appellant, afferuntque, arboris umbram ſubtus dormienti, ſanguineo præprimis atque obeſo, ſæpius fuiſſe lethalem, quam rem exemplis probare ocularibus contendunt. Ego aliquamdiu ſub hac arbore commoratus, mutationem in me expertus ſum nullam; ad ſomnum vero usque experimentum proſequi non lubuit.

Habitat paſſim in ſylvaticis circa Havanam.

# TRIGYNIA.

## TRIPLARIS.

1. TRIPLARIS (*pyramidalis*) ſpicis erectis, terminalibus. TAB. CLXXIII. Fig. 5.

E fructibus hujus arboris atque ſubſequentis omnino cognovi in Europam redux, pertinere utramque ad genus, quod *Triplarem* dixit Læflingius. Neutram ego florentem invenire potui, unde neglexi prorſus deſcriptionem, quam hic breviſſimam dabo, quantum ſcilicet memoria permiſerit. Nec quoque conjicere licet, quænam Læflingiana ſtirps fuerit; cum nec ille de habitu addat verbum. Eſt arbor erecta, elegans; *trunco* humanæ altitudinis;

*coma* e paucis ramis horizontalibus in pyramidem efformata, qui apice *ſpicam* tenuem longam erectamque emittunt; unde habitum ſpecioſum induit, ſimilemque, qualem jam tum admirabar, Polygono orientali, ſi hoc cum ſpicis erectis in arborem mutaretur. *Folia* ſunt maxima, lanceolato-ovata, acuminata. *Calyx* fuſcus continet *nucem* nitidiſſimam & triſulcam; eſtque tubo interne & externe hirſuto piloſoque.

Habitat in ſylvis territorii Carthagenenſis.

2. TRIPLARIS (*ramiflora*) ſpicis rameis, aggregatis.

Arbor ramoſa, diffuſa. *Folia* ovata, vel e ſubrotundo ovata. *Spicæ* breves, denſæ, aggregatæ, in ramis. *Calyx* villoſus nec piloſus continet *nucem* glabram, ovato-acuminatam, ſexſulcatam, nec nitidam.

Habitat rarius Carthagenæ in ſylvis; copioſe ad flumen Cinu.

# TETRANDRIA.

## MONOGYNIA.

### PETITIA.

1. PETITIA (*domingenſis.*) TAB. CLXXXII. Fig. 6.

CAL. Perianthium monophyllum, parvum, erectum, quadridentatum, inferum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, erectus, longus. Limbus quadrifidus: laciniis ovatis, acutis, planis, reflexis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, breviſſima, in ſuperiore parte tubi. Antheræ erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, parvum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex.

PER. Drupa ſubrotunda.

SEM. Nux ovata, obtuſa, bilocularis. Nuclei ſolitarii, oblongi.

Arbuſcula erecta. *Rami juniores* tetragoni, ſulcati. *Folia* ovato-oblonga, acuminata, glabra, integerrima, dorſo venoſa, oppoſita, ſemipedalia; *petiolo* ſuperne ad angulum obtuſum inflexo. *Paniculæ* axillares, tripollicares, in diviſionibus ſtipula ſubulata ſuffultæ. *Flores* exigui, plurimi, albi, ſæpe triandri corolla calyceque tripartitis. Hanc novi generis plantam nominavi in memoriam Franciſci Petit Chirurgi, qui plantas aliquot rariores deſcripſit.

Habitat in ſylvaticis Domingo.

CALLI-

## CALLICARPA.

1. CALLICARPA (*integrifolia*) foliis integerrimis. TAB. CLXXIII. Fig. 7.

CAL. Perianthium monophyllum, infundibuliforme, laxe corollam ambiens, parvum, margine quadrifido obtuſoque, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, erectus, tenuis, longus. Limbus quadrifidus: laciniis ovalibus, obtuſis, planis, patentiſſimis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, corollam ſuperantia. Antheræ ovales, incumbentes.

PIST. Germen minimum, in fundo calycis. Stylus filiformis, ſuperne bifidus, tubo corollæ brevior. Stigmata ſimplicia, acuta.

PER. Bacca obovata, obtuſa, unilocularis.

SEM. quatuor, oblonga, pulpa diſtincta.

Arbuſcula inelegans, inordinate ramoſa, duodecim pedes alta. *Folia* ovalia, acuta, integerrima, ſubtus tomento leviſſimo incana, odore ſubaromatico prædita, petiolata, oppoſita, duos tresve pollices longa. *Racemi* compoſiti, denſi, incani, axillares & terminales. *Flores* odorati, numeroſi, corolla albicante. *Baccæ* nitidæ, virides, ad baſin flavæ, piſi magnitudine. Habitat Carthagenæ in ſylvaticis.

## AQUARTIA.

1. AQUARTIA (*aculeata.*) TAB. XII.

CAL. Perianthium monophyllum, perſiſtens. Tubus brevis, infundibuliformi-patens. Limbus ſubquadrifidus, patens: laciniis ſubrotundis, planis, duabus oppoſitis minoribus.

COR. monopetala. Tubus breviſſimus. Limbus quadrifidus: laciniis linearibus, obtuſiuſculis, planis, patentiſſimis, calyce longioribus.

STAM. Filamenta quatuor, breviſſima. Antheræ lineares, erectæ, omnium maximæ, longitudine fere corollæ.

PIST. Germen ſubrotundum, in fundo calycis. Stylus filiformis, totus declinatus, longitudine corollæ. Stigma ſimplex.

PER. Bacca ſubgloboſa, unilocularis.

SEM. plura, compreſſa.

Frutex hic quadripedalis, ramoſus, erectus, habitu quodammodo accedit ad Solanum incanum. *Rami ſeniores* lignoſi & glabri armantur *aculeis* ſubulatis, brevibus, ſparſisque: *juniores* ſunt inermes & tomentoſi. *Folia* habet ſubovata, integerrima, interdum leviter repanda, tomentoſa, incana, alterna, petiolata, pollicaria. *Pedunculi* uniflori, laterales, ſolitarii, breviſſimique

que *florem* ſuſtinent inodorum, corolla candida, calyceque tomentoſo, in quo laciniæ minores interdum ſunt obſoletæ. *Fructus* ſequitur flavus, nitidus, piſelli magnitudine, qui calycis ſinui inſidet. Fruticem hunc nominavi in honorem amici cariſſimi, virique eruditi & hiſtoriæ naturali addictiſſimi, Benedicti Aquart, in patria inſula Martinica primarios inter negotiationem agentis; quo in excurſionibus Botanicis meis ſæpenumero feliciterque uſus fui ſocio, & cui plurimas ad hiſtoriam naturalem ſpectantes res pulcherrimas me debuiſſe, gratus recordabor ſemper.

Habitat in Domingo ad ſinum Bayaha in rupibus fruticoſis maritimis. Florem vidi pariterque fructus maturos ferentem Octobri.

## IXORA.

1. IXORA (*alternifolia*) foliis alternis. TAB. CLXXVII. Fig. 8.

Jaſminum aliud arboreſcens, foliis ſolani, minus. *Plum. ſpec.* 17. *ic.* 157. *f.* 1.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, tubuloſum, erectum, quadridentatum, acuminatum, inferum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, tenuis, longiſſimus, erectus, apice in globum ampliatus. Limbus quadrifidus: laciniis lineari-lanceolatis, obtuſis, planis, patentiſſimis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, breviſſima, in ſuprema ampliata parte tubi, erecta. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, longitudine tubi. Stigma capitatum.

PER. Bacca ovato-oblonga, ſubbilocularis.

SEM. plura, oblonga, inæqualia, magna, in pulpa molli affixa receptaculo centrali oblongo.

Arbuſcula inelegans, ramoſa, erecta, duodecimpedalis, ad torrentes ſæpe ad viginti quinque pedum altitudinem increſcit. *Folia* habet ex ovato lanceolata, acuta, integerrima, nitida, alterna, petiolata. Ex axillis prodeunt *pedunculi* multiflori & breviſſimi, qui *floribus* onerantur inodoris albisque cum ſtaminibus non raro quinque & calyce corollaque quinquefidis. *Semina* numero inconſtanti a quatuor ad decem continentur in *baccis* nigris pulpa atropurpurea plenis. Ad Ixoræ genus ex habitu retuli, diſtincti forte generis plantam: quod rectius determinabit ille, cui alterius flores vivos examinare dabitur.

Habitat frequens in Martinicæ ſylvaticis.

PETE-

## PETESIOIDES.

1. PETESIOIDES (*laurifolium.*)

CAL. Perianthium monophyllum, quadripartitum: laciniis ſubrotundis, concavis, obtuſis, coloratis, conniventibus.

COR. monopetala, conica, erecta, longitudine calycis; margine quadripartito, truncato, & connivente.

STAM. Filamenta quatuor, breviſſima, erecta, longitudine tubi corollæ, cui inſerta. Antheræ triangulares, acuminatæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, intra calycem corollamque. Stylus cylindraceus, erectus, longitudine corollæ. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbuſcula inelegans. *Rami* teretes, pauci. *Folia* ovalia, oblonga, obtuſa, integerrima, nitida, craſſa, ad tactum pinguia, fragilia, alterna, petiolata, quinque pollices longa. *Racemi* compoſiti, thyrſiformes, terminales, bipollicares. *Flores* exigui, numeroſi, vix nudo oculo examinandi, calycibus ſubrubentibus, corollis albis. *Styli* mox elongantur extra corollam ad duplam ipſius longitudinem. *Fructus* cognita aliquando anatome definiet genus certum; ego interea ab habitu nomen fluxum impoſui.

Habitat in cacumine altioris montis, qui oppido Cap Français ad meridiem imminet in Domingo, locis umbroſis. Floret Novembri.

## SCOPARIA.

1. SCOPARIA (*dulcis*) foliis ternis; floribus pedunculatis.

Scoparia. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 116.

Scoparia erecta, ramoſa; foliis linearibus denticulatis verticillato-ternatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 145.

Veronica americana erecta dulcis, hexangulari caule. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 195. *t.* 108. *f.* 2.

Phuteuoides americanum, flore albo tetrapetalo. *Pluk. alm.* 296. *t.* 215. *f.* 1.

Planta erecta, ramoſiſſima, tripedalis, annua. *Caules* ſexangulares. *Folia* plerumque terna, oblonga, acuta, ſerrata, attenuata in petiolum. *Pedunculi* uniflori, axillares. Corollæ laciniæ ad baſin inſtruuntur pilis plurimis ſtamina æquantibus. Gallis dicitur *Balai doux* ſive Scopæ dulces, Hiſpanis *Eſcobilla menuda* ſeu Scopæ parvæ. Apud utrosque ejus infuſum in uſu eſt in morbis pectoralibus.

Habitat in Caribæarum omnium & Continentis vicinæ ruderatis, pratis ſiccis, & ſimilibus.

2. SCOPARIA (*procumbens*) foliis quaternis; floribus ſeſſilibus.

Planta vix ſemipedalis, habitu fere præcedentis: at *caulibus* dichotomis & procumbenti-erectis. *Folia* ſunt ſubulata, acuminata, parva, rigidiuſcula, quaterna, quorum oppoſita duo interiora paulo breviora. *Flores* albi, ſeſſiles, parvi, in dichotomia ramuſculorum & in quibusdam axillis; tubo corollæ ſuperne fimbriis aucto, at pilis in baſi laciniarum nullis: cæterum prioris charactere.

Habitat Carthagenæ in arenoſis maritimis circa caſtellum Boca chica.

## PETESIA.

1. PETESIA (*tomentoſa*) foliis oblongis, utrinque tomentoſis.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, patens, margine obſolete quadridentato, germini inſidens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, baſi ſubventricoſus, ſuperiore interiore parte hirſutus, calyce duplo longior. Limbus quadrifidus: laciniis ſubovatis, obtuſis, longitudine tubi, patentiſſimis.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, baſi hirſuta, breviſſima, erecta, orta infra diviſuras limbi. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ovatum, inferum. Stylus filiformis, erectus, corolla multo longior. Stigma bifidum: laciniis ſubulatis, acutis, longis, patentibus.

PER. . . .

SEM. . . .

Fruticis hujus *rami* ſunt debiles, ſæpius reclinati: *juniores* obſolete quadrangulares & ſubtomentoſi. *Folia* habet oblonga, utrinque attenuata, acuta, integerrima, tomento vix conſpicuo molliſſima, petiolata, oppoſita, tripollicaria. *Corymbi* laterales & terminales gerunt *flores* inodoros, parvos, corollis ex albido flaveſcentibus. Ad Peteſiæ genus dubiam hanc ſtirpem reduxi, donec perſpecta fructus ſtructura aut conjecturam ſtabiliat, aut aliud quid doceat.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis.

## CHOMELIA.

1. CHOMELIA (*ſpinoſa.*) TAB. XIII.

CAL. Perianthium monophyllum, parvum, germini inſidens. Tubus cylindraceus, erectus. Limbus quadrifidus: laciniis lanceolatis, acuminatis, planis, revolutis, tubo brevioribus.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, tenuis, longiſſimus, erectus. Limbus quadrifidus: laciniis lanceolatis, planis, in acumen ſetaceum abeuntibus, patentiſſimis, tubo brevioribus.

STAM.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, breviſſima, erecta, in ſuperiore parte tubi corollæ. Antheræ lineares, magnæ, incumbentes, longitudine tubi.

PIST. Germen oblongum, parvum, apice quadrifido, inferum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum: laciniis oblongis, craſſiuſculis, patentibus.

PER. Drupa ovalis, coronata calyce.

SEM. Nux oblonga, quadriſulcata, bilocularis. Nuclei teretes, ſolitarii.

Arbor hæc adſpectu elegans, erecta, duodecimpedalis, a terra ad verticem usque ramoſiſſima eſt, & ſpinoſiſſima tota. *Rami* ſunt teretes, glabri, plurimum horizontaliter porrecti. In trunco ramisque ſenioribus *ſpinæ* adſunt vagæ, ſubulatæ, acuminatæ, pollicares, validiſſimæ, oppoſitæ; in ramuſculis axillares. *Folia* ad extremitates ramuſculorum confertim prodeunt ſubovata, acuta, integerrima, nitida, per venas ſubrugoſa, baſi attenuata in petiolum brevem, oppoſita, plus minus pollicaria, quotannis decidua. *Pedunculi communes* ex axillis oriuntur ſolitarii, plerumque triflori. *Flores* ſunt ſeſſiles, tenues, ſesquipollicares, interdiu inodori, noctu odorem ſpirantes ſuaviſſimum leviterque aromaticum. Corolla levi cum virore albeſcit, limbumque habet duplo triplove breviorem tubo. *Drupæ* cortex nigricat; pulpa mollis eſt & albida. *Nux* dura ſolidaque. Quum Chomeliæ genus, neſcio quorſum amandatum, nunc exulet e Botanica; idem, huic novæ plantæ dicatum, reſtitui in viri celebris memoriam volui.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis ad pedem montis de la Popa. Folia menſe Aprili prodeunt, Majo & ſequentibus flores. Auguſto matureſcunt fructus.

## SIDEROXYLOIDES.

1. SIDEROXYLOIDES (*ferreum.*) TAB. CLXXV. Fig. 9.
Sideroxylum americanum. *Pluk. alm.* 346. *t.* 224. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, quadridentatum, acutum, germini inſidens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, incurvus, longus. Limbus quadrifidus: laciniis oblongis, obtuſis, planis, reflexis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, breviſſima, orta infra diviſuras limbi. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, longitudine tubi corollæ. Stigma oblongum, obtuſum, craſſiuſculum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor procera, ramoſa. *Folia* ovato-lanceolata, acuta, integerrima, nitida, petiolata, oppoſita, ſemipedalia. *Pedunculi* axillares, breviſſimi, ſæpe triflori, in ramis præſertim ſenioribus nudis. *Flores* parvi, externe roſei, interne candidi. Incolis a ligni duritie *Bois de fer* ſive Arbor ferrea nuncupatur. Ob fructus defectum, genus fixum adſignare huic arbori non potui; commodatum itaque corriget nomen is, cui ipſius anatome innoteſcet.

Habitat in ſylvis montoſis Martinicæ.

## HEDYOTIS.

1. HEDYOTIS (*americana*) foliis linearibus; floribus axillaribus, ſolitariis.

CAL. Perianthium tetraphyllum, germini inſidens, perſiſtens: foliolis lineari-lanceolatis, acutis, concavis, erectis, hirſutis.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, erectus, calyce duplo longior. Limbus quadrifidus: laciniis oblongis, truncatis, patentiſſimis, tubo fere duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, breviſſima, orta in parte ſuperiore tubi corollæ. Antheræ oblongæ, erectæ, tubum non ſuperantes.

PIST. Germen ſubrotundum, parvum, inferum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus brevior. Stigmata duo, ſubulata, patentia.

PER. Capſula ſubovata, hinc convexa, illinc plana, coronata foliolis calycis, bilocularis, bivalvis.

SEM. plurima, oblonga, minima.

Frutex hic raro tres altitudine pedes excedit. *Rami* ejus ſunt diffuſi, baſi ſæpe procumbentes, cæterum erecti. *Folia* habet linearia, acuminata, integerrima, carnoſa, craſſa, nitida, dorſo ſulcata, lateribus convexa, facie planiuſcula, petiolata, oppoſita, quadrilinearia, numeroſa. *Petioli* utrinque uniuntur membrana ramulos amplexante & cum acumine obtuſa. *Floris* lutei, inodori, ſeſſilis, axillaris, & ſolitarii, germen corollæque pars in ſinu folii reconduntur. *Stipula* utrinque ad latus germinis adſidet unica, longitudine & figura folioli calycini. Rupeſtria amat hæc planta, ipſisque nudis ſæpe rupium fiſſuris innaſcitur. E ſeminibus in horto Botanico nata, læte quidem, ſed tardiſſime increſcit, poſt triennium ſtaturam vixdum tripollicarem æquans, lignoſa tamen tota, foliisque per integrum annum onuſta.

Habitat paſſim Havanæ in littoribus rupeſtribus maritimis.

SPER-

## SPERMACOCE.

1. SPERMACOCE (*ſpinoſa*) ſpinoſa.

CAL. Perianthium tetraphyllum, germini impoſitum, perſiſtens: foliolis ovatis, concavis, acutis, erectis.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, interne piloſus, calycem ſuperans. Limbus quadripartitus: laciniis ovatis, planis, acutis, patenti-reflexis, longitudine tubi.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, tubo corollæ paulo longiora. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen obovatum, compreſſum, inferum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus longior. Stigmata duo, obtuſa, craſſiuſcula, patentia.

PER. - - - -

SEM. duo, - - -

Frutex nanus, totus rigidus, lignoſus, diffuſus, ramoſiſſimus, nitidus. *Spinæ* ſubulatæ, acutiſſimæ, axillares in foliis, & terminales in ramuſculis junioribus brachiatis. *Folia* obovata, integerrima, nitida, oppoſita, petiolata, ſemipollicaria. *Paniculæ* terminales. *Flores* exigui, candidi, inodori, numeroſi, germinibus rubellis. *Fructus* perfecte maturus, utrum vera ſpermacoces ſpecies ſit dicenda, docebit.

Habitat circa Havanam in rupeſtribus fruticoſis & apricis. Floret Decembri.

## FAGARA.

1. FAGARA (*tragodes*) articulis pinnarum ſubtus aculeatis. TAB. XIV.

Schinus foliis pinnatis, petiolo marginato articulato ſubtus aculeato. *Linn. ſp. pl.* 5. *p.* 389.

Schinoides petiolis ſubtus aculeatis. *Linn. hort. Cliff.* 489.

Rhoi obſoniorum ſimilis leptophyllos tragodes americana ſpinoſa, rachi media appendiculis aucta. *Pluk. alm.* 319. *t.* 107. *f.* 4.

Frutex ramoſus, ſuberectus, quinquepedalis. *Aculei* gemini, ſubulati, recurvi, fortes, ſubaxillares, fuſci, nitidi; unicus ſimilis, ſed minor, in dorſo cujusque articuli foliorum. *Folia* alterna, ſeſſilia, pinnato-articulata: *foliolis* oblongis, baſi attenuatis, obtuſis, integerrimis, nitidis, ſeſſilibus: *articulis* plerumque ſex, foliorum omnino ſimillimis. *Flores* parvi, axillares, aggregati. *Fructum* non vidi. Ob florem examinatum huc retuli.

Habitat circa Portum Principis in Domingo; in arenoſis fruticoſis maritimis. Floret Februario.

## CISSUS.

1. CISSUS (*ſicyoides*) foliis ſimplicibus, nitidis. TAB. XV.

Ciſſus foliis ovatis nudis ſetaceo-ſerratis. *Linn. ſyſt. C. p.* 897.

Irſiola ſcandens, foliis oblongo-ovatis, ad margines denticulis ſetaceis refertis. *Brown. jam.* 2. *p.* 147. *t.* 4. *f.* 1. & 2.

Vitis foliis dentatis. *Plum. ic.* 259. *f.* 2.

Funis crepitans. *Rumpf.* 5. *p.* 446. *t.* 164. *f.* 1.

Bryonia alba geniculata, violæ foliis, baccis e viridi purpuraſcentibus. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 233. *t.* 144. *f.* 1.

Planta hæc habitum præ ſe fert ſingularem. *Caules* ejus lignoſi arbores valde proceras ſcandunt ad ſumma usque cacumina; per eademque horizontaliter quaquavorſum pergendo, plurimos emittunt hinc inde ramuſculos geniculatos, caulesque alios ſimplices & ferme nudos. *Ramuſculi* folia & flores proferunt; ſuntque glabri, alterni, & breviuſculi. *Caules* vero terram verſus recta deſcendunt, quam tandem cum attigerunt, radices eidem immittunt validas, novosque ita truncos conſtituunt, tempore lignoſos evaſuros, nec raro diametri ſemipedalis adepturos craſſitiem. Quum vero memoratum ſpectaculum præbere hæc planta ſolummodo valeat in ſylvis umbroſis vaſtis atque altiſſimis, hinc funiformium compagem hanc ramorum vel radicum diu ſæpe mirabitur aliquis, priusquam cognoſcat plantam, unde deriventur: folia enim tunc rarius præterquam in cacuminibus obſervantur, quæ tam diſſita diſtinguere oculorum acies nequit. Parietes autem, rupes apricas, collesque abruptos eodem, quo Hedera Europæa, modo inveſtire ſolet. *Folia* ramuſculos ornant acuta, ſetaceo-ſerrata, nitida, petiolata, alterna, ſubdiſticha, tres plerumque quatuorve pollices longa, a cordata figura ad ovatam variantia in locis variis. Plerumque enim in Martinica inveni magis minusve cordata, e qua inſula deſumpta eſt icon; in Domingo ex ſubrotundo cordata, vel ex oblongo etiam cordata, nec raro tunc ſemipedalia; Carthagenæ ovato-cordata; ovata in Cuba; & oblongo-ovata in Jamaica. *Umbellæ* compoſitæ, laterales, alternæ, foliis opponuntur. Minimum & multidentatum *involucrum* adeſt ſub umbellis omnibus. *Flores* ſunt parvi, numeroſi, inodori, in variis locis vel rubri, vel flavi, vel virides: *calycis* limbo magis minusve conſpicuo: *receptaculi* ſuperficie cruciformi in planta Martinicenſi; orbiculari in plerisque aliis. *Baccæ* ſunt nigræ, nitidæ, ſucculentæ, tenerrimæ, magnitudine piſi. Cæterum planta hæc mire congruit in plurimis cum Hedera; & affinitas intercedit ſumma, quæ haberi in diverſis generibus poteſt. Bacca monoſperma, & una quinta pars numeri dempta in flore, diſcrimen omne abſolvunt. Videtur porro hoc genus in utrisque Indiis ſatis eſſe extenſum; uti Plumieri iconem 259. ſub figuris 3. 4. & 5.,

hor-

hortum Rhedi Malabaricum, Rumpfiique opus ampliſſimum inſpicienti patebit abunde.

Habitat in Caribæis omnibus vicinaque Continente; habitu pro loci diverſitate diverſo.

2. CISSUS (*trifoliatus*) foliis ternatis, inciſis. *Linn. ſyſt. A. p.* 897.
Sicyos foliis ternatis, inciſis. *Linn. ſp. pl.* 3. *p.* 1013.
Irſiola triphylla ſcandens & claviculata, foliis craſſis ſerratis. *Brown. jam.* 1. *p.* 147.
Bryonia alba triphylla geniculata, foliis craſſis acidis. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 233. *t.* 142. *f.* 1.
Bryonides trifoliatum indicum, foliis ſuccolentis craſſis & crenatis. *Pluk. alm.* 71. *t.* 152. *f.* 2.

Planta hæc *caulibus* lignoſis, diffuſis, ramoſiſſimis, & cirrhiferis, tecta muros ſepesque obtegit denſiſſime, in ſylvaticis incultis minus obvia. *Folia* ſunt ternata, alterna; *foliolis* obovatis, acutis, ſerrato-inciſis, glabris, craſſis, ſuccolentis, ſapore acidulo. *Umbellæ* præcedentibus ſimiles. Sloanei deſcriptio eſt optima; at in ejusdem icone male delineantur fructus filamentis quibusdam inſidentes. Errori anſa, opinor, data fuit; quod ſoleant folia & ramuſculi hujus plantæ vitioſe ac monſtroſe in glomera degenerare filamentoſa ampliſſima, ſed quæ flores proferunt nunquam. His procul dubio fructus adnexit delineator, pedunculos illa eſſe, arbitratus. Erroribus iſtiusmodi ſemper erunt obnoxiæ, quæcunque ad ſpecimina ſicca, longeque a natali translata regione, icones elaborabuntur.

Habitat Carthagenæ, in Jamaica, & Domingo.

3. CISSUS (*alatus*) foliis ternatis, ſerratis; ramis membranaceo-angulatis. TAB. CLXXXII. Fig. 10.
Irſiola triphylla ſcandens, foliis ovatis ſubdentatis, petiolo communi marginato, calyculis majoribus. *Brown. jam.* 3. *p.* 147.
Bryonia alba triphylla maxima. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 233. *t.* 144.

*Caules* cirrhiferi, ſcandentes, lignoſi, ſarmentoſi; *ſeniores* angulati & diametro pollicari; *juniores petioli*que membranaceo-angulati, ſetaceo-piloſi: *Folia* ſunt ternata, alterna; *foliolis* acutis, inæqualiter ſerratis, piloſis, hirſutis, venoſis, rugoſis; quorum medium eſt ovatum; lateralia ſemicordata, latere interno ad baſin obliterato. *Umbellæ* & *flores*, quales in Ciſſo ſicyoide, at paulo majora omnia. Qualecumque caulis lignoſi fruſtulum, ſi abſciſſum ramo cujusdam arboris imponitur, vel etiam domi in cubiculo adſervatur, brevi radices terram verſus emittit, eidem tandem infigendas.

Habitat in Jamaica & Carthagenæ in arbuſtis.

DIGY-

# DIGYNIA.

## CUSCUTA.

1. CUSCUTA (*americana*) floribus pedunculatis. *Linn. ſp. pl. 2. p. 124.*
Cuſcuta caule aphyllo volubili repente. *Gron. virg.* 18.
Cuſcuta ramoſa repens, floribus conglomeratis. *Brown. jam. 1. p. 149.*
Cuſcuta inter majorem & minorem media, filamentis longis & floribus late ſuper arbores & campos ſe extendens. *Sloan. hiſt. jam. 1. p. 201. t. 128. f. 1.*

CAL. Perianthium monophyllum, obovatum, corollæ concolor, apice quinquefido, perſiſtens; laciniis ſubrotundis, obtuſis, concavis, brevibus, conniventibus.

COR. Petalum cylindraceum, erectum: tubo longitudine calycis: limbo quinquefido, parvo, patenti.
Nectarium e ſquamis quinque, fimbriatis, conniventibus, infra ſtamina adnatis corollæ.

STAM. Filamenta perpetuo quinque, erecta, orta in ſuperiore parte tubi, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum. Styli duo, filiformes, erecti, corollam leviter ſuperantes. Stigmata capitata.

PER. Capſula ſubrotunda, unilocularis, horizontaliter bifariam dehiſcens.

SEM. pauca, hinc convexa, inde planiuſcula.

Planta paraſitica, aphylla, volubilis, ramoſiſſima, tenera, nitida, ſubflaveſcens. *Pedunculi communes* breviſſimi. *Flores* parvi, inodori, aggregati, flaveſcentes vel virentes. *Calyx* marceſcit. *Semina* duo, tria, vel unicum ad maturitatem perveniunt, abortantibus reliquis paucis.

Habitat in ſepibus & fruticoſis Caribæarum.

# TETRAGYNIA.

## MYGINDA.

1. MYGINDA (*uragoga.*) TAB. XVI.

CAL. Perianthium quadripartitum, minimum, perſiſtens.

COR. Petala quatuor, ſubrotunda, plana, obtuſa, patentiſſima.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, corolla breviora. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ſubrotundum. Styli quatuor, erecti, breves. Stigmata ſimplicia, acuta.

PER.

PER. Drupa ſubgloboſa.

SEM. Nux ovata, acuta, oſſea, unilocularis. Nucleus ejusdem figuræ.

Frutex erectus, in paucos ramos diviſus, in littoribus arenoſis tripedalis, in ſylvaticis umbroſioribus octopedalis; *radici* innititur craſſæ, nodoſæ, irregulari; cujus cortex eſt fuſcus externe, & intus coloris aurantii; materies vero ſolida, albida, atque amariſſima. *Folia* ſunt ovata vel lanceolata, acuta, tenuiſſime ſerrata, donata petiolis breviſſimis rubentibus, oppoſita, interdum alterna, dimidium vel ſesquipollicem longa. *Pedunculi communes*, filiformes, axillares, oppoſiti, bifidi; lacinia utraque trifida & triflora: flore medio diu ante laterales ſe explicante. *Flores* exigui, nitide atrorubentes. *Fructus* rubri, molles, magnitudine piſelli. Hiſpanis audit *Yerva de maravedi* ſive Herba obolaris vel levi pretio venalis. Carthagenenſes paſſim in uſu medico adhibent radicum decocta atque infuſa, quæ validiſſime urinas pellunt: qua etiam virtute, licet debiliore, folia pollere perhibentur, quæ tamen in uſum non recipiuntur. Nominavi hunc fruticem in honorem viri nobiliſſimi Franciſci a Mygind, Conſiliarii aulici, rei herbariæ peritiſſimi, & horti Botanici Viennenſis fautoris egregii.

Habitat copioſiſſime in territorio Carthagenenſi, & in inſula ſancti Martini circa oppidum Philippi; locis a mari haud diſſitis.

# PENTANDRIA.
# MONOGYNIA.

## HELIOTROPIUM.

1. HELIOTROPIUM (*gnaphalodes*) foliis linearibus, obtuſis, tomentoſis; pedunculis dichotomis; floribus quaternis; caule fruteſcente. TAB. CLXXIII. Fig. 11. *Linn. ſyſt. C. p.* 913.

Heliotropium arboreſcens maritimum tomentoſum, gnaphalii americani foliis. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 213.

Heliotropium gnaphaloides littoreum fruticeſcens americanum. *Pluk. alm.* 182. *t.* 193. *f.* 5.

CAL. Perianthium quinquepartitum, perſiſtens: laciniis ovatis, concavis, acutis, tomentoſis, conniventibus.

COR. Petalum unicum. Tubus cylindraceus, longitudine calycis. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, obtuſis, planis, tubo paulo brevioribus, patentiſſimis. Faux patula, ſubquinquangularis a tubo infra limbi diviſuras in ſtellulam quinquefidam leviter prominente.

STAM. Filamenta quinque, erecta, breviſſima, orta in media tubi parte. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, parvum. Stylus nullus. Stigma conicum, obtuſum, magnum.

PER. nullum. Calyx immutatus ſemina in ſinu fovet.

SEM. quatuor.

Planta hæc eſt fruticoſa, erecta, plerumque bipedalis, rarius ſexpedalis. *Ramos* habet teretes, parum diviſos, ſeniores nigricantes, juniores inferne a foliis delapſis cicatricibus refertos, ſimul formantes *comam* convexam, candicantem, non raro pulcherrimam, atque eminus e mari navigantibus conſpiciendam. *Folia* ſunt e cuneiformi linearia, obtuſa, avenia, craſſa, utrinque tomentoſa, glauca, ſeſſilia, numeroſa, ſparſa conferraque in ſummis ramis, inferioribus gradatim marceſcentibus. *Pedunculi communes* teretes, tomentoſi, erecti, foliis paulo longiores, terminales, pauci in quolibet ramo, ſuperne bifidi aut trifidi: ex hac diviſione natis *pedicellis* ſingulis abeuntibus in *ſpicam* ſecundam, ſæpius bifidam ipſam, interdum tamen etiam ſimplicem, habitu congenerum. *Florum* parvorum calyces ſunt connati omnium, ut e ſpica eximi flos nullus absque dilaceratione vicini alterius poſſit. Corollæ ſunt albæ.

Habitat in littoribus maritimis Cubæ & inſulæ ſancti Euſtachii. Floret præprimis Decembri & Januario.

## CONVOLVULUS.

1. CONVOLVULUS (*martinicenſis*) foliis ellipticis, glabris; pedunculis unifloris, folia ſuperantibus. TAB. XVII.

Convolvulus floribus axillaribus ſolitariis; foliis alternis, oblongis, obtuſis. *Læſl. hiſp.* 231.?

*Caules* teretes, glabri, proſtrati, longi, terræ radices fibroſas immittentes. *Folia* elliptica, obtuſa cum ſtipula terminatrice, integerrima, glabra, petiolata, bipollicaria. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, tripollicares, ſuperne ſtipulis duabus oppoſitis parvisque inſtructi. *Calycis foliola* tria exteriora ovata, acuta, maxima, laxiſſima; interiora duo multo minora, e lanceolato acuminata. *Corolla* alba.

Habitat in umbroſis ſæpe inundatis circa vicum Roberti in Martinica.

## IPOMÆA.

1. IPOMÆA (*carnea*) foliis ſubrotundo-cordatis, glabris; pedunculis multifloris; corollis emarginatis. TAB. XVIII.

CAL.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, minimis, conniventibus.

COR. monopetala. Tubus baſi infundibuliformis, dein cylindraceus, erectus, longiſſimus. Limbus infundibuliformis, amplus, plicatus, patens, fere longitudine tubi, obtuſus cum emarginaturis quinque.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, inæqualia, tubo breviora, eidemque ad calycis altitudinem accreta. Antheræ lanceolato-oblongæ, obtuſæ, erectæ, magnæ.

PIST. Germen ovatum, minimum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, ſubgloboſum, obſolete quadrifidum, magnum.

PER. Capſula ovata, obſolete tetragona, quadrilocularis, quadrivalvis.

SEM. ſolitaria, ſubovata, lanugine longa denſaque veſtita.

Planta hæc fruticoſa eſt atque perennis; in apricis ſuberecta, ſeque ſuſtentans ipſa ad humanam altitudinem; in ſylvis caule ſcandente elevans ſe ad viginti altitudinem pedum: tota, exceptis ſeminibus, glaberrima. Ramuſculi juniores viridesque ornantur *foliis* e ſubrotundo cordatis, acuminatis vel obtuſis cum acumine exiguo, integerrimis, venoſis, petiolatis, alternis, octo interdum pollices longis latisque cum petiolo tripollicari. *Pedunculi* ſubracemoſi, multiflori, & terminales; gerunt *flores* elegantes, inodoros, tripollicares, coloris carnei, ſucceſſive ſeſe explicantes. *Capſulæ* fuſcæ nitidæque *ſemina* continent nigricantia lanaque multa e fuſco cinerea obducta. Habet hæc planta cum Convolvulis plura communia, ita ut & ad hos referri haud inepte queat. Examinavi Convolvulorum & Ipomæarum inter tropicos ubivis creſcentium ſpecies numeroſas; & profecto inter receptum utrumque genus limites conſtantes invenire nullos potui. Oportet itaque aut confundi hæc genera; aut notam conſtitui artificialem aliquam, ab unica, negle-ctis cæteris, corollæ parte petitam, quæ diſcrimen perpetuum determinet, quantumvis ſimul arbitrarium atque a natura fortaſſe alienum. Incolis dicitur *Campanilla* ſive Campanula.

In arenoſis fruticoſisque maritimis paſſim habitat prope Carthagenam. Floret Februario & Martio.

2. IPOMÆA (*filiformis*) foliis cordatis, obtuſis cum acumine, integerrimis; pedunculis racemoſis, filiformibus. TAB. XIX.

CAL. Perianthium quinquepartitum, ovatum, acutum, connivens, parvum, perſiſtens.

COR. Petalum infundibuliforme. Tubus cylindraceus, tenuis, longiſſimus. Limbus ſemiquinquefidus, patens: laciniis ſemiovatis, obtuſis.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, fere longitudine corollæ, alternantia cum aliis quinque ſterilibus & duplo brevioribus. Antheræ oblongæ, obtuſæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, bifidum.

PER. Capſula ovata, acuta, bilocularis, quadrivalvis: valvulis ſingulis apice bifariam dehiſcentibus. Diſſepimentum cordatum, acutum.

SEM. in quolibet loculamento bina, ſubovata, acuta.

Planta tota glaberrima *caulibus* volubilibus teretibusque vicinos frutices ſcandit ad altitudinem decem pedum. *Folia* obtuſiſſima cum acumine ſtipulari, magnitudine valde variant, brevibusque petiolis inſtruuntur. *Racemi* axillares, laxiſſimi, tenues, foliis longiores, ſtricte patent. *Flores* ſunt purpurei, inodori, in eadem planta admodum numeroſi. *Capſulæ* fuſcæ *ſemina* atra glabraque includunt.

Habitat in Martinicæ ſylvaticis, præcipue ad margines inundatorum maritimorum. Floret Novembri, Decembri, & Januario.

3. IPOMÆA (*repanda*) foliis cordato-acuminatis, repandis; pedunculis ramoſis, cymoſis. TAB. XX.

CAL. Perianthium quinquepartitum, ovatum, obtuſum, connivens, parvum, craſſum, corollæ concolor, perſiſtens.

COR. monopetala, craſſiuſcula. Tubus longiſſimus, ſubcylindraceus. Limbus quinquefidus, patentiſſimus: laciniis ovatis, acutiuſculis, reflexis, tubo fere duplo brevioribus, marginibus utrinque introrſum plicatis.

STAM. Filamenta quinque, filiformia, in tubo ſupra germen orta baſibus hirſutis latis conniventibus tubumque claudentibus, corolla paulo breviora. Antheræ oblongæ, obtuſæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, abiens in ſtylum filiformem, corollæ longitudine. Stigma capitato-globoſum, ſubbifidum.

PER. Capſula ovato-oblonga, bilocularis, quadrivalvis.

SEM. in quovis loculamento bina, hinc convexa, inde angulata.

Planta tota glaberrima, forte annua. *Caules* teretes, volubiles. *Folia* obtuſe acuminata cum exiguo acumine, facie viridia, dorſo e viridi glauca venisque inſignita violaceis, petiolata. *Pedunculi communes* ſolitarii, axillares, craſſi, longitudine fere foliorum, ramoſi, ſubcymoſi; *partialibus* ſæpius trichotomis; *propriis* cum ipſis floribus ſæpe decidentibus. *Flores* elegantes, nitidiſſimi, coccinei, inodori, numeroſi, bipollicares: in quibus corollarum laciniæ ob latera plicata videntur primo intuitu multo anguſtiores & lanceolatæ.

Habitat in Martinicæ collibus fruticoſis prope vicum ſancti Franciſci. Florentem vidi Decembri & Januario.

ECHI-

## ECHITES.

CAL. Perianthium quinquepartitum, acutum, ſuberectum, parvum.

COR. Petalum unicum, calyce multoties majus. Tubus erectus. Limbus quinquefidus, planus, patentiſſimus.

Glandulæ nectareæ quinque, obtuſæ, erectæ, germen non ſuperantes, eidemque circumſtantes.

STAM. Filamenta quinque, tenuia, erecta. Antheræ rigidæ, ex oblongo acuminatæ, conniventes in conum acutum.

PIST. Germina duo, obtuſa, parva. Stylus unicus, filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma oblongo-capitatum, apice bifido, glutine quodam antheris adnexum.

PER. Folliculi duo, longiſſimi, uniloculares, univalves.

SEM. plurima, imbricata, inſtructa pappo longo. Receptaculum longitudine folliculi, membranaceum, liberum.

Excluſæ ſpeciebus ſingulis notæ propriæ haſce ſupra datas relinquunt notas communes, quæ genericum characterem conſtituant. Patebit autem ex deſcribendis hujus generis plantis, *glandulas ſeminaque in folliculis pappoſa* maximum adferre in characterem momentum; ſed nihil valere *corollam*, quæ in variis diverſiſſima ſpectatur. *Stigma* in omnibus adglutinatur parieti cuidam interno coni ex antheris formati, qui in pollinis exploſione ſecedit; indiſſoluto interim remanente coni pariete externo: ita ut fæcundatio perficiatur in octo prioribus ſpeciebus clauſo corollæ tubo, in ultimis vero duabus intra conum extra tubum corollæ porrectum. Habent plantæ hæ in habitu ſingulare aliquid, quo dignoſci facile primoque adſpectu poſſint. *Folia* inſuper omnibus ſunt oppoſita, petiolata, integerrima, venoſa, nitidaque; quæ tamen ſola Echites ſuberecta habet ſæpe ſcabra. *Pedunculi communes* folia raro ſuperant, laterales alternique ſemper, præterquam in Echite ſpicata. *Flores* ubique inodori. Hæc præmitto, ne in ſingulis repetere cogar. Ad hoc porro genus etiam pertinere mihi videntur ſtirpes ſequentes.

Katu-pal-valli. *Rheed. mal.* 9. *t.* 11.

Pal-valli. *ibid. t.* 12.

Kametti-valli. *ibid. t.* 14.

Funis papius latifolius. *Rumpf.* 5. *p.* 14. *t.* 10.

Funis papius parvifolius. *ibid. p.* 15. *t.* 11.

Funis cratium. *ibid. p.* 16. *t.* 12.

Nerium caule volubili, foliis lanceolatis, folliculis filiformibus, tortuoſis, pendulis. *Burm. Plum. p.* 19. *t.* 27. *f.* 1.

Periploca florum diviſuris circinatis & criſpis. *ibid. p.* 210. *t.* 216. *f.* 1.

Apocynum ſcandens, ſalicis folio, flore amplo plano. *Catesb. car.* 2. *p.* 53. *t.* 53.

1. ECHITES (*biflora*) pedunculis bifloris. TAB. XXI.

Apocynum ſcandens, flore nerii albo. *Plum. amer. p.* 82. *t.* 96.

CAL. Foliola ovata, minima, decidua.

COR. Tubus infundibuliformis, inferne attenuatus. Limbi laciniæ maximæ, obovatæ, truncatæ, obliquæ.

Glandulæ ovatæ, concavæ, fere longitudine germinis.

STAM. Filamenta breviſſima, pubeſcentia, in medio tubo. Antheræ lanceolatæ, apice pubeſcentes.

PIST. Germina ſubovata, calyce breviora. Stigma pubeſcens.

PER. Folliculi teretes, obtuſi, erecti.

SEM. linearia, longa.

Frutex ramoſus, totus lacte niveo ſcatens, *caulibus* partim volubilibus, partim erectis, vicinis ſe arboribus ſuſtentat, easdemque ſcandit ad viginti pedum altitudinem, habitum hinc ſæpe arboris acquirens. *Folia* ſunt oblonga, baſi attenuata, obtuſa cum exiguo acumine, tripollicaria. *Pedunculi* biflori, rariſſime triflori. *Flores* ſpecioſi, candidiſſimi cum fauce lutea. Gallis dicitur *Liane Mangle* ſive Hedera Rhizophorarum.

Habitat in plerarumque Caribæarum inundatis maritimis inter Rhizophoras, Avicennias, & Conocarpos.

2. ECHITES *(umbellata)* pedunculis umbelliferis; foliis ovatis, obtuſis cum acumine. TAB. XXII.

Echites ſcandens, foliis ovatis, nitidis, venoſis; floribus herbaceis. *Brown. jam.* 1. *p.* 182.

Tabernæmontana foliis ſubcordatis, caule volubili. *Linn. ſyſt. A. p.* 945.

Periploca alia, floribus amplis circinatis & criſpis, ſeu Nerium ſcandens, radice Bryoniæ tuberoſæ. *Plum. ic.* 216. *f.* 2.

Apocynum ſcandens majus, folio ſubrotundo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 207. *t.* 131. *f.* 2.

Apocynum ſcandens, folio cordato, flore albo. *Catesb. car.* 1. *p.* 58. *t.* 58.

CAL. Foliola ovata, minima, perſiſtentia.

COR. Tubus longiſſimus, quinqueſtriatus, baſi cylindraceus, dein in ventrem ampliatus, hinc denuo cylindraceus & intortus.

Glandulæ ſubrotundæ, concavæ, germine triplo breviores.

STAM. breviſſima, craſſiſſima, in ventri tubi.

PIST. Germina ſubovata, calyce paulo breviora. Stylus ſuperne craſſeſcens.

PER. Folliculi ſubteretes, obtuſi, ſuperne leviter intorti, interne ſulco longitudinali exarati, lateribus obtuſe angulatis, horizontaliter reflexi.

SEM. ovato-oblonga, angulata.

*Caulibus*

*Caulibus* fruticoſis, volubilibus, lentis, inferne lignoſis & ſuberoſis, ſuperne viridibus teretibus nitidisque, ad pedum quindecim altitudinem arbores vicinas ſcandit hæc planta; tota ſucco glutinoſo & aquei coloris abundans. *Folia* ſunt e ſubrotundo ovata, baſi ſubcordata, tres vel quatuor pollices longa. *Pedunculi communes* apice flores a quatuor ad ſeptem ceu in umbella locant, ſtipulis aliquot involucri vices obeuntibus. *Flores* ſunt magni, pulchri, limbo candido, tubo externe viridanti. Merito judicavit ex conſiderato hujus plantæ charactere clariſſimus Browneus, ad cognita jam genera recte reduci ipſam non poſſe; unde genus Echitis condidit.

Habitat paſſim in ſepibus arboreis & fruticetis Jamaicæ, Domingo, & Cubæ. Inveni florentem ab Octobri ad Februarium.

3. ECHITES (*adglutinata*) pedunculis racemoſis; foliis ovatis, emarginatis cum acumine. TAB. XXIII.

CAL. Foliola ovata, minima, perſiſtentia.

COR. Tubus cylindraceus, quinqueſulcatus, longus, in medio ventricoſus. Limbi laciniæ lanceolatæ, acuminatæ, paulo breviores tubo, obliquæ.

Glandulæ oblongæ, germine paulo breviores.

STAM. Filamenta breviſſima, in ampliata tubi parte. Antheræ longitudine tubi corollæ.

PIST. Germina ovata, longitudine calycis.

PER. Folliculi teretes, erecti, apicibus conglutinatis.

SEM. ovali-oblonga.

*Caules* volubiles, fruticoſi. *Folia* ovata, quadripollicaria. *Pedunculi communes* longitudine foliorum, ſæpe diffórmes, interdum bifidi. *Flores* parvi, candidi. *Folliculi* ſi ab invicem ſeparantur, quod vi quidem fit levi, in utroque ſeparationis puncto ad apices, quibus nempe cohæſerunt, guttula emanat liquidi aquei & glutinoſi, quali ſcatet tota planta.

Habitat in fruticetis montoſis in Domingo circa Cap Français. Vidi florentem Decembri.

4. ECHITES (*trifida*) pedunculis racemoſis; foliis acuminato-ovatis. TAB. XXIV.

CAL. Perianthii laciniæ ovatæ, concavæ.

COR. Tubus inferne ovatus, ſuperne ſubcylindraceus, longus. Limbi laciniæ oblongæ, apice latiores, truncatæ, tubo duplo breviores, obliquæ.

Glandulæ ſubrotundæ, compreſſæ, longitudine germinis.

STAM. breviſſima, interne villoſa, in fundo partis tubi cylindraceæ.

PIST. Germina ſubovata, calyce duplo breviora.

PER.

PER. . . .
SEM. . . .

*Caules* volubiles, fruticosi. *Folia* oblongo-ovata, acuminata, tripollicaria. *Pedunculi communes* breves, sæpius trifidi, pedicellis difformibus. *Flores* magni, pulchelli, tubo sordide purpureo, limbo sordide virenti. Tota planta lacteſcit, arboresque scandit ad duodecim pedes.

Carthagenæ habitat in fruticetis apricis ad pedem montis de la Popa. Vidi florentem Octobri.

5. ECHITES (*quinquangularis*) pedunculis racemosis; foliis obovatis, acuminatis. TAB. XXV.

CAL. Foliola ovata, concava, minima, apicibus reflexis.
COR. Tubus cylindraceus, longus, ad ortum limbi incrassatus in marginem pentagonum. Limbi laciniæ oblongæ, superne latiores, truncatæ, obliquæ, tubo duplo breviores.
Glandulæ ovatæ, compressæ, longitudine germinis.
STAM. Filamenta brevissima, interne villosa, infixa tubo paulo supra medietatem. Antheræ hastato-lanceolatæ, tubi longitudine.
PIST. Germina ovata, calyce paulo breviora.
PER. . . . .
SEM. . . . .

*Caules* volubiles, fruticosi, scabriusculi. *Folia* tres pollices longa. *Racemi* simplices. *Flores* circiter sedecim, virentes, magni, limbo flaviusculo, margine tubi pentagono alboque. Non lacteſcit planta. Nec hujus nec præcedentis *fructum* contigit videre; quum paulo ante discessum meum ex ista regione florere cæperint.

Habitat & floret cum præcedente.

6. ECHITES (*suberecta*) pedunculis racemosis; foliis subovatis, obtusis cum acumine. TAB. XXVI.

Apocynum scandens, amplo flore luteo villoso, siliquis angustissimis. *Plum. spec.* 2.

Apocynum erectum, fruticosum, flore luteo maximo & speciosissimo. *Sloan. hist. jam.* 1. *p.* 206. *t.* 130. *f.* 2.

CAL. Foliola lanceolata, decidua.
COR. Tubus cylindraceus, longitudine calycis. Faux campanulata, ampliſſima. Limbi laciniæ inæqualiter subrotundæ, obliquæ, longitudine faucis.
Glandulæ oblongæ, concavæ, longitudine germinis.
STAM. Filamenta breviſſima, in tubi limbo ad ortum faucis inserta. Antheræ hastatæ.

PIST.

PIST. Germina ſubovata, calyce multo breviora.
PER. Folliculi teretes, obtuſi, erecti.
SEM. oblonga, utrinque acuminata.

Planta fruticoſa, lacte abundans candido, in fruticetis decempedalis, in pratis ſiccioribus tripedalis vel interdum etiam vix pedalis. *Caules* vix volubiles, ſcandentes; reclinati vero, ſi nullis ſuſtentaculis occurrant. *Folia* magis minusve ad ovatam figuram accedunt, nunc glabra utrinque, nunc dorſo ſcabra. *Pedunculi* multiflori ſuſtinent *flores* paucos, flavos, magnos, externe hirſutos, ſpecioſosque. *Folliculi* ſunt tenues & fuſci. Hic frutex habitu a congeneribus longius recedit.

Habitat in Jamaica vel in ipſo oppido Kingſton; omnium vero copioſiſſime in vaſtis pratis Limonade & Jaqueſi in Domingo. A Septembri ad usque Martium obſervavi florentem.

7. ECHITES (*toroſa*) pedunculis ſubracemoſis; foliis lanceolatis, acuminatis. TAB. XXVII.

Nerium ſarmentoſum, ſcandens, ramulis tenuibus, folliculis gracilibus toroſis. *Brown. jam.* 4. *p.* 181. *t.* 16. *f.* 2.

CAL. Foliola lanceolata, erecto-patentia, perſiſtentia.
COR. Tubus cylindraceus, in medio ventricoſus & obſolete pentagonus, calyce fere duplo longior. Limbi laciniæ baſi anguſtæ, apice latiſſimæ, truncatæ, obliquæ, longitudine tubi.

Glandulæ ſubrotundæ, germine duplo breviores.

STAM. Filamenta breviſſima, in ventre tubi. Antheræ pauxillo breviores tubo.
PIST. Germina ſubovata, calyce breviora.
PER. Folliculi toroſi, teretes, acuminati, erecti.
SEM. oblonga.

*Caules* volubiles, teretes, fruticoſi. *Folia* bipollicaria. *Pedunculi* circiter ſex *flores* ferunt parvos & flavos. Tota planta glutine lacteo abundat.

Habitat in Jamaica in ſylvis montoſis Liguané. Martio florentem vidi.

8. ECHITES (*repens*) pedunculis racemoſis; foliis lanceolato-linearibus. TAB. XXVIII.

CAL. Foliola lanceolata, perſiſtentia.
COR. Tubus cylindraceus, longus, ſuperne parum ampliatus. Limbi laciniæ triangulares, maximæ, obliquæ, tubo breviores.

Glandulæ ſubrotundæ, germine duplo breviores.

STAM. in ampliata parte tubi, breviſſima.
PIST. Germina ſubovata.
PER. & SEM. . . .

Planta elegans, fruticosa, lacte carens, *caules* habet teretes, glabros, sarmentosos; *seniores* procumbentes, terræque immittentes radiculas; *juniores* suberectos, ad folia in nodos discoideos incrassatos. *Pedunculi communes* sæpius bifidi gerunt *flores* elegantes, tenellos, rubros. *Fructum* non vidi.

Habitat in insulæ Domingo rupestribus; præcipue circa arcem Picquolet haud procul ab oppido Cap Français, & ad margines sylvarum circa Bayaha. Vidi florentem Octobri, Novembri, & Decembri.

9. ECHITES (*spicata*) floribus spicatis; staminibus tubum corollæ superantibus. TAB. XXIX.

CAL. Foliola ovata, concava, rigidiuscula, corollæ concoloria, conniventia, exterioribus latioribus.

COR. Tubus infundibuliformis, superne clausus villis plurimis horizontaliter conniventibus, calyce paulo brevior. Limbi laciniæ lanceolatæ, acutæ, revolutæ, tubo duplo longiores. Glandulæ oblongæ, parvæ.

STAM. Filamenta orta in fundo tubi corollæ, quo paulo longiora. Antheræ conniventes in conum obtusiusculum, basi quinquedentatum, erectum, extra corollæ tubum.

PIST. Germen ovatum, villosum. Stigma acuminatum.

PER. . . .

SEM. . . .

Hæc planta, scatens tota lacte niveo & copioso, arbores vicinas ad sexaginta pedum altitudinem & amplius scandit. *Caules* habet teretes, lignosos, lentos, volubiles, sarmentosos, diametro pollicari; qui ad distantias varias ornantur *ramusculis* alternis, sesquipedalibus, per totam longitudinem foliosis. *Folia* sunt oblonga, venosa, glabriuscula, in acumen desinentia, disticha, semipedalia. *Spicæ* axillares, oppositæ, densæ, sesquipollicares, solitariæ, patentes, rarius divisæ in duas; gerunt *flores* numerosos, candidos, parvos, subsessiles, vix odoriferos. *Fructum* non vidi, quem incassum per plures menses exspectavi & quæsivi; doluique, flores abortare omnes. Facile fuissem hanc plantam distincti esse generis suspicatus, ignorata scilicet pericarpii conditione; verum subsequentis speciei plene cognitus character dubitantem in hac confirmavit.

Habitat Carthagenæ in sylvis densis proceris. Floret Julio & Augusto.

10. ECHITES (*corymbosa*) racemis corymbosis; staminibus tubum corollæ superantibus. TAB. XXX.

CAL. Foliola ovata, concava, conniventia, corollæ concoloria, persistentia.

COR. Tubus cylindraceus, brevissimus. Limbi laciniæ lanceolatæ, obtusæ, reflexæ, calyce triplo longiores.

Glan-

Glandulæ ovatæ, parvæ.

STAM. Filamenta orta in fundo tubi corollæ, eodemque paulo longiora. Antheræ magnæ, conniventes in conum acuminatum, baſi decemdentatum, extra tubum corollæ.

PIST. Germen ovatum, didymum.

PER. Folliculi hinc convexi, illinc compreſſi, horizontaliter reflexi.

SEM. oblonga.

*Caulibus* volubilibus fruticoſisque arbores ad pedes usque viginti ſcandit hæc planta, tota ſcatens lacte glutinoſo candidoque. *Folia* habet ovata ovalia vel obovata, acuta, numeroſa, bipollicaria, in ramis junioribus pedalibus oppoſitisque. *Flores* rubri, numeroſi, parvi, in *racemis* ramoſis & corymboſis. *Stylus* ſulco utrinque longitudinali leviſſimoque notatur, juxta quem in duas partes facile poteſt ſeparari. *Fructus* eſt craſſitie atque longitudine æqualis illi, quem dat Echites umbellata. Incolis nuncupatur *Gras de galle* ſive Pinguedo ſcabiei, cujus nominis rationem ignoro.

Habitat in ſylvaticis inſulæ Domingo. Floret imprimis Novembri.

## PLUMERIA.

1. PLUMERIA (*rubra*) arborea; foliis ovato-oblongis, planis.

Plumeria foliis ovato-oblongis. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 209.

Plumeria arboreſcens, ramulis craſſis, foliis oblongo-ovatis, petiolis biglandulis, floribus geminatis per ſpicas terminales. *Brown. jam.* 2. *p.* 181.

Plumeria flore roſeo odoratiſſimo. *Catesb. car.* 2. *p.* 92. *t.* 92.

Nerium arboreum, folio maximo obtuſiore, flore incarnato. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 61. *t.* 185. *f.* 1. & *t.* 186. *f.* 1.

Nerio affinis barbadenſis arbor latifolia, flore purpureo, jasmini odore. *Pluk. alm.* 109. *t.* 207. *f.* 2.

Jasminum indicum. *Merian. Surin.* 8. *t.* 8.

Arbor hæc procera, ramoſa, comaque prædita eſt ampla, ſed rara, in Americæ Continente; ex qua videtur fuiſſe in Caribæas inſulas aliasque transportata, ubi rarius quindecimpedalem altitudinem attingit. *Folia* habet frondoſa. Lacte ſcatet niveo. *Flores* gerit numeroſiſſimos, ſuaviſſime olentes, rubros, & ſpecioſos; quibus capillitia ſua exornare mulieres Americanæ quibusdam in regionibus aſſueverunt. E ramis putatis facillime propagatur; imprimis ſi per quotuordecim dies loco ſicco aſſervati, tum demum ſerantur. Ante ſex annos a me ex Martinica transmiſſa, nunc florere Vindobonæ in Horto Cæſareo quotannis pulcherrima ſolet. Gallis vocatur *Franchipanier rouge*.

Habitat in Continente; & culta in Caribæis.

2. PLUMERIA (*alba*) arborea; foliis oblongis, revolutis; pedunculis superne tuberosis. TAB. CLXXIV. fig. 12. *Linn. syst.* 2. *p.* 944.

Plumeria flore niveo, foliis oblongis, angustis & acuminatis. *Tourn. inst.* 659.

Apocynum americanum frutescens, longissimo folio, flore albo odoratissimo. *Comm. hort.* 2. *p.* 47. *t.* 24.

Nerium arboreum altissimum, folio angusto, flore albo. *Sloan. hist. jam.* 2. *p.* 62.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum; margine quinquedentato, obtuso.

COR. Petalum infundibuliforme. Tubus longissimus, crassus, sensim ampliatus, incurvus, basi angusto foramine pervius. Limbus quinquefidus: laciniis obovato-oblongis, planis, obliquis, patentissimis, tubum fere superantibus.

STAM. Filamenta quinque, brevissima, in tubi infima parte. Antheræ oblongæ, acutæ, conniventes.

PIST. Germen subrotundum, bifidum. Stylus primum bifidus, mox incrassatus in cylindrum maximum, longitudine staminum. Stigma bifidum: laciniis subulatis, patentibus, obtusiusculis.

PER. Folliculi duo, longi, acuminati, ventricosi, horizontaliter reflexi, uniloculares, univalves.

SEM. numerosa, oblonga, plana, fasciæ membranaceæ ovatæ ad basin insertæ, imbricata.

Arbor habitu præcedentis, at parum ramosa, & quindecim altitudine pedes rarius superans, lacte etiam candido copiosoque, abundat. *Folia* sunt frondosa. *Flores* candidi cum fauce flavescente odorem spirant suavissimum lateque se quaquaversum diffundentem. Paulo ante discessum meum ex insulis Caribæis ferebatur innotuisse occultum barbarorum remedium, quo certo tutoque sine ullo mercurii usu tollebant illi morbum dictum *Epian*, qui videtur luis esse venereæ species: illud autem dicebatur radicum hujus Plumeriæ recentium decoctum. Utrum ulterior indagatio confirmarit assertum, ignoro. Viennæ etiam hæc viget, beneque habet, at flores protulit nedum. Gallis audit *Franchipanier blanc*.

Habitat in rupestribus maritimis Martinicæ.

3. PLUMERIA (*inodora*) arborescens; caudice vix diviso.

Arbuscula octopedalis, erecta, *caudice* in pauciissimos brevesque ramos diviso. *Folia* Plumeriæ rubræ. *Flores* albi, inodori, congeneribus duplo majores. Nullus dubito, quin alia posset meliorque dari specifica hujus plantæ differentia: in Plumeriis autem, nescio, quo fuerim pacto examinandis negli-

negligentior. At vero præter illa, quæ in adverſariis meis adnotata invenio, memoriæ diffiſus, adducere nihil auſim.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis paſſim.

4. PLUMERIA (*pudica*) florum limbis clauſis.

Quas ego vidi, erant arbuſculæ lacteſcentes, erectæ, quinquepedales; cæterum habitu præcedentium. *Folia* habebant oblonga, frondoſa, plana, venoſaque. Ferebant *flores* per binos menſes continuo invicem ſuccedentes numeroſos, flaveſcentes totos; in quibus corollarum limbi erecti clauſique permanebant etiam poſt lapſum, obvoluti fere in modum, quo Hibiſci Malvaviſci flores ante clauduntur, quam decidant. Odorem ſpirant præcedentibus longe gratiorem, cuique, mei olfactus æſtimatione, cedunt cuncti mihi cogniti flores. Curaçavienſibus in maximo pretio ſunt, vocanturque ſpecioſo nomine *Donzellas* ſive Virgines, eo quod nunquam aperiantur.

Colitur in hortis Curaçao, aliunde iſtuc allata.

## CAMERARIA.

1. CAMERARIA (*latifolia*) foliis ſubrotundis, utrinque acutis. TAB. CLXXXII. Fig. 86.

Cameraria lato myrti folio. *Plum. ic. 72. f. 1.*

Cameraria arborea, foliis ovato-acuminatis nitidis rigidis reflectentibus, folliculis alatis. *Brown. jam. 1. p. 182.*

CAL. Perianthium quinquepartitum, acutum, connivens, minimum, deciduum.

COR. Petalum ſubinfundibuliforme. Tubus cylindraceus, longus, baſi & apice ventricoſus, ventre ſuperiori quinqueſtriato. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, obtuſis, planis, patentiſſimis, obliquis, longitudine tubi.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima, ad baſin notata appendiculo, poſita in ſuperiore tubi parte. Antheræ oblongæ, conniventes, ſingulæ ad apicem inſtructæ ſetis duabus flaccidis longitudine ipſorum ſtaminum.

PIST. Germen ſubrotundum, bifidum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma oblongum, capitatum, magnum, bifidum.

PER. Folliculi duo, propter emiſſas duas alas laterales breves intermediamque longiſſimam haſtato-oblongi, compreſſi, horizontaliter reflexi, baſi biloculares. Diſſepimentum tenue, membranaceum.

SEM. ſolitaria, ſubrotunda, obtuſe acuminata, compreſſa.

Arbor procera, adſpectu perelegans, comoſa, ramoſa, tota lacte niveo abundans: *trunco* erecto craſſoque; *ramulis* ut plurimum dichotomis. *Folia*

rotundato-ovata, in acumen abeuntia, integerrima, ſtriis transverſim parallelis notata, nitidiſſima, rigidiuſcula, petiolata, oppoſita, numeroſa. *Pedunculi* uniflori vel multiflori, tenues, longi, axillares aut in ramulorum dichotomiis. *Flores* candidi. *Folliculi* fuſci, ſtructura quidem bivalves, at quorum valvulæ dehiſcunt nunquam; imo quæ vix ſumma adhibita vi divelli queunt.

Habitat in Cuba, Jamaica, Domingo. Amat pratenſia.

## TABERNÆMONTANA.

CAL. Perianthium quinquefidum, acutum, erectum, deciduum.

COR. Petalum unicum. Tubus cylindraceus, erectus, calyce longior. Limbus quinquepartitus: laciniis inæqualiter obovatis, truncatis, planis, patentiſſimis, obliquis.

Glandulæ nectareæ quinque, bifidæ, minimæ, germini circumſtantes.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima. Antheræ oblongæ, acuminatæ, conniventes.

PIST. Germina duo, ſubovata, parva. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma oblongum, capitatum.

PER. Folliculi duo, ventricoſi, horizontaliter reflexi, uniloculares, univalves.

SEM. plurima, oblonga, obtuſa, rugoſa, longitudinaliter umbilicata, imbricata, pulpa molli obvoluta.

Hujus generis plantæ habitum præ ſe aliquem ferunt, quo facile dignoſci ab affinibus poſſunt, & qui præprimis in foliis obtinet. Propter hunc ipſum communem habitum magis arduum eſt, ſpecies rite atque evidenter determinare; quas, præter jamjam enumerandas, alias adhuc obſervaſſe me recordor, ſed, aut otio deficiente aut occaſione, ſcripto non notatas. *Folliculi pulpa farcti* optime ab affinibus hoc genus diſtinguunt. *Glandulæ* quidem, ut in Echite adſunt; verum minimæ illæ, ſæpe vix conſpicuæ, bifidæque; ſi Tabernæmontanam exceperis grandifloram, in qua majores ſunt, integræ, & ſulco longitudinali notatæ.

1. TABERNÆMONTANA foliis oppoſitis, ovali-lanceolatis; pedunculis paucifloris; ſtaminibus incluſis. TAB. CLXXV. Fig. 13.

Tabernæmontana foliis oppoſitis lanceolatis. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 210.

Tabernæmontana citri foliis undulatis. *Plum. ic.* 248. *f.* 2.

Arbuſcula octopedalis, erecta, ramoſa, tota lacteſcens. *Folia* nitidiſſima, per venas contrahentes undulata, virentia quidem, ſed ita ut lac, quibus abundant, tranſparere videatur. *Flores* candidi, levi grataque ſuaveolentia prædi-

præditi. *Folliculi* acuti, ſemper virides. *Semina* rugoſa & fuſca locantur in *pulpa* aurantiaca & molli. Gallis audit *Bois laiteux* ſeu Arbuſcula lactea.

Habitat in ſylvaticis Martinicæ.

2. TABERNÆMONTANA (*laurifolia*) foliis oppoſitis, ovatis; pedunculis paucifloris; ſtaminibus incluſis. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 210.

Tabernæmontana fruteſcens, foliis ſubnitidis ovatis venoſis. *Brown. jam.* 1. *p.* 182.

Nerium arboreum, folio latiore obtuſo, flore luteo minore. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 62. *t.* 186. *f.* 2.

Arbuſcula erecta, quinquepedalis, ramoſa, lacteſcens, habitu præcedentis. *Flores* lutei, odoratiſſimi. *Fructus* virides.

Habitat in Domingo & Jamaica.

3. TABERNÆMONTANA (*cymoſa*) floribus cymoſis. TAB. CLXXXI. Fig. 14.

Arbuſcula elegans, erecta, trunco ſexpedali, ſæpe quindecim pedes alta. *Folia* ex ovato lanceolata, acuta, integerrima, vix undulata, oppoſita, ſemipedalia. *Cymæ* amplæ, pulchræ, convexæ, denſæ, axillares. *Flores* inodori, ſordide albeſcentes aut rufeſcentes, circiter quadraginta in eadem cyma, magnitudine præcedentium. *Calycis foliola* plana, lanceolato-oblonga. *Corollæ* tubus baſi quinquangulari-ventricoſus. *Stamina* in baſi ampliata tubi. *Stigma* baſi marginatum. *Folliculi* oblongi, obtuſiſſimi, incurvi, maximi, rubeſcentes cum maculis ferrugineis, præbuere anſam nominis obſcæni, quod hæc planta apud incolas arbitraria comparatione obtinet. Horum plerumque alteruter abortat. *Pulpa* coloris eſt aurantii.

Habitat frequens Carthagenæ in fruticetis & ſylvis. Floret Julio & Auguſto.

4. TABERNÆMONTANA (*amygdalifolia*) ſtaminibus tubum corollæ ſuperantibus. TAB. CLXXXI. Fig. 15.

Arbuſcula erecta, ramoſa, lacteſcens, ſexpedalis. *Folia* ex ovali lanceolata, acuta, plana, nitidiſſima, oppoſita. *Pedunculi* pauciflori. *Flores* candidi, odoratiſſimi. *Corollæ* tubus baſi apiceque leviter ampliatus. *Filamenta* in ſuprema tubi parte, *antheris* extra tubum porrectis. *Folliculi* ſubovati vel oblongi, ſemper acuminati, virides, nitidi, accedentes ad Tabernæmontanam citrifoliam, ſed ſæpius duplo triplove minores. *Pulpa* aurantia. Quum florere incipit, foliis plerumque caret.

Habitat frequens Carthagenæ in ſylvaticis & fruticoſis.

5. TA-

5. TABERNÆMONTANA (*grandiflora*) calycibus inæqualibus, laxiſſimis. TAB. XXXI.

Arbuſcula erecta, ramoſa, lacteſcens, octo pedes alta; *ramulis* dichotomis. *Folia* ovalia, utrinque attenuata, acuta, integerrima, nitida, petiolata, oppoſita, magnitudine valde inæquali. *Pedunculi communes* irregulares, biflori vel triflori, ſolitarii ad latera bifurcationis ramuſculorum ultimæ: *propriis* ſtipula ſuffultis. *Flores* inodori, congenerum reſpectu maximi. *Calyx* dividitur in *foliola* quinque, plana, albida, laxiſſima, longitudine inæqualia; quorum exteriora duo ſunt cordata & ampliſſima, interiora reliqua oblonga anguſtaque. *Corollæ tubus* ſupra calycem eſt contortus, eodemque duplo longior; *limbus* vero ampliſſimus. *Glandulæ* ſunt ſubrotundæ, obtuſæ, parvæ, externe ſulcatæ, lateribus in unam coalitæ. *Stamina* locantur in medio tubo. *Stigma* magnum apice gaudet bifido. *Folliculi* e ſubrotundo ovati, acuminati, glabrique, virent. Ergo quiddam commune flos habet cum Echite & Cerbera; fructus vero Tabernæmontanis reſpondet.

Habitat in ſylvis Carthagenenſibus rarius. Vidi florentem Julio, Auguſto, & Septembri.

## VARRONIA.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, perſiſtens, limbo quinquefido.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus. Limbus quinquepartitus, patens.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, longitudine circiter tubi, cui inſerta. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus. Stigma varium.

PER. Drupa ſubrotunda.

SEM. Nux ſubrotunda, quadrilocularis. Nuclei ſolitarii.

1. VARRONIA (curassavica) ſpicis oblongis; foliis lanceolatis.

Varronia aſſurgens ſarmentoſa, foliis & capitulis oblongis. *Brown. jam.* 2. *p.* 172.

Frutex quindecimpedalis; *ramis* teretibus, ſcabris, ſenioribus ferrugineis. *Folia* lanceolata, acuta, ſerrata, rugoſa, venoſa, facie ſcabra, petiolata, alterna. *Spicæ* denſæ, terminales, duos tresve pollices longæ, inſidentes pedunculo bipollicari. *Flores* parvi, inodori. *Calycis* inflati *laciniæ* ſubovatæ deſinunt in denticulos ſetaceos ejusdem ſecum longitudinis. *Corollæ* albæ *tubus* longitudine calycem æquat; *limbus* brevis eſt & emarginatus. *Stamina* petalo ſunt paulo breviora. *Stylus* etiam brevis *ſtigmate* capitato ſimplicique inſtruitur. *Drupa* rubra & parva eſt.

Habitat in Curaçao in ſepibus arboreis.

2. VAR-

2. VARRONIA (*macroſtachia*) ſpicis oblongis; foliis lanceolato-oblongis.

Arbuſcula erecta, duodecimpedalis. *Spicæ* ſemipedales. *Folia* anguſta, ſemipedalia. Reliqua, ut in præcedente.

Habitat Carthagenæ in fruticoſis & ſylvaticis.

3. VARRONIA (*martinicenſis*) ſpicis oblongis; foliis ovato-acuminatis. TAB. XXXII.

Frutex humanæ altitudinis, habitu præcedentium. *Folia* ovata, tripollicaria. *Spicæ* unum alterumve pollicem longæ.

Habitat in Martinica ad margines ſylvarum.

4. VARRONIA (*globoſa*) ſpicis globoſis, æqualibus.

Frutex hic perfecte congruit cum Varronia martinicenſi. Diſcrimen ſolum eſt in conſtanti globoſitate ſpicarum, in corollarum laciniis emarginatis ipſis, & in ſtigmate obtuſo quadruplici.

Habitat in Caribæarum maritimis.

5. VARRONIA (*humilis*) ſpicis ſubrotundis, æqualibus; fructibus diſpermis.

Varronia fruticoſa, foliis rugoſis, ovatis, ſubhirſutis, ſerratis, alternis; capitulis ſubrotundis. *Brown. jam.* 1. *p.* 172. *t.* 13. *f.* 2.

Frutex quadripedalis, ramoſus, præcedenti adeo ſimilis, ut fere crederem varietatem in rupeſtribus enatam. In hac vero nuces dicit biloculares Browneus; quas ego neglexi examinare.

Habitat in maritimis rupeſtribus Caribæarum.

6. VARRONIA (*mirabiloides*) ſpicis ſubrotundis, inæqualibus; petalis hypocrateriformibus. TAB. XXXIII.

Frutex hic inter congeneres eſt elegantior, & altitudine duodecimum ſæpe pedem attingit. *Folia* habet ovata, vel ex oblongo ovata, utrinque ſcabra, bipollicaria; quoad reliqua, ut in prioribus. *Pedunculi communes* terminantur in *capitula* ſpicata, ſubrotunda, ſimplicia vel compoſita. *Flores* magnitudine & figura referunt Mirabilem Jalapam; ſuntque candidi, pulchri, & inodori. *Calycis* parvi laciniæ ſunt ovatæ, deſinuntque in ſetas longas. *Stigma* in quatuor dividitur lacinias ſubulatas obtuſas brevesque. *Drupa* rubra piſum æquat, farcta pulpa dulci & glutinoſa. *Nux* eſt depreſſa.

Habitat in Domingo; paſſim in ſepibus ipſius oppidi Portus Principis.

7. VARRONIA (*alba*) floribus cymoſis.

Meſpilus americana alni vel coryli foliis, fructu mucilaginoſo albo. *Comm. hort. p.* 155. *t.* 80.

Hæc arbor triginta ſæpe alta pedes, coma gaudet ampla, truncoque ſemipedalis diametri: plantata vero in ſepibus, fruticoſum dumtaxat habitum

acquirit. *Folia* ſunt ovata ſimpliciter vel e ſubrotundo ovata, longa quatuor vel quinque pollices; quoad cætera, ſimilia congeneribus. *Cymas* habet amplas, diametri non raro ſemipedalis; quæ *flores* locant numeroſos, inodoros, & albidos. *Calyx* in principio integer, ab erumpente petalo ſecedit horizontaliter in valvulam ſuperiorem marceſcentem; & in inferiorem perſiſtentem, marginem quæ habet leviſſime quinquedentatum. *Corollæ* limbus eſt campanulatus. *Styli* bifidi laciniæ bifidæ *ſtigmatibus* terminantur obtuſis. *Drupa* oblongiuſcula, ſemipollicaris, albeſcens, ſubpellucida, apud Curaçavienſes edulis. *Pulpa* albida, dulcis, inſipida, glutinoſa. *Nux* oblonga, ſtriata, nigra.

Habitat Carthagenæ, & in Curaçao.

## CORDIA.

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, oblongum, erectum, perſiſtens; ore dentato acutoque.

COR. monopetala. Tubus ex oblongo infundibuliformis, longitudine calycis. Limbus planus, patens, obtuſus, ſæpe quinquefidus, tubum non ſuperans.

STAM. Filamenta ſæpe quinque, ſubulata, erecta, partim tubo corollæ adnata, eandemque non ſuperantia. Antheræ oblongæ, obtuſæ.

PIST. Germen ſubovatum. Stylus filiformis, erectus, ad minus longitudine ſtaminum, ſuperne bifidus: laciniis bifidis. Stigmata obtuſa, craſſiuſcula.

PER. Drupa ſubrotunda, ſtyli parte acuminata, baſi calyci accreta, intra eundemque diſtentum & incraſſatum recondita.

SEM. Nux ſubrotunda, magna, quadrilocularis. Nuclei ſolitarii, ovati.

1. CORDIA (*Sebeſtena*) foliis ſubovatis, ſubrepandis.

Cordia foliis oblongo-ovatis, repandis, ſcabris. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 190.

Cordia foliis amplioribus hirtis ovatis, tubo floris ſubæquali. *Brown. jam.* 1. *p.* 202.

Cordia nucis juglandis folio, flore purpureo. *Plum. ic.* 105.

Sebeſtena ſcabra, flore miniato criſpo. *Dill. elth.* 341. *t.* 255. *f.* 331.

Caryophyllus ſpurius inodorus, folio ſubrotundo ſcabro, flore racemoſo hexaperaloide coccineo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 20. *t.* 164. *Catesb. car.* 2. *p.* 91. *t.* 91.

Arbuſcula erecta, elegans, folioſa, decempedalis, ex ipſa ſæpe radice plures truncos ramoſos emittit. *Folia* habet maxima, ovata vel ſubrotunda vel ex utroque, utrinque ſcabra, repanda vel integra vel ſerraturis aliquot inciſa. *Racemi* corymboſi, erecti, primo terminales, dein elongatis ramis laterales.

## BEURRERIA.

CAL. Perianthium monophyllum, tubulosum, persistens: ore inæqualiter quinquefido, acuto, erecto.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, calyce longior. Limbus quinquefidus: laciniis obtusis, integris, planis, patentissimis, tubo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, subulata, erecta, orta in fundo tubi, corolla paulo breviora. Antheræ incumbentes.

PIST. Germen subrotundum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigmata capitata, obtusa.

PER. Bacca tetragono-subrotunda, unilocularis.

SEM. quatuor, hinc angulata & glabra, illinc convexa auctaque lamellis membranaceis semicircularibus transversis, bilocularia.

1. BEURRERIA (*succulenta*) fructibus succulentis, integris.

Beurreria arborea foliis ovatis alternis, racemis rarioribus terminalibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 168. *t.* 15. *f.* 2.

Cordia foliis ovatis integerrimis, floribus subcorymbosis, calycibus lævibus. *Linn. syst.* 3. *p.* 936.

Mespilus americana laurifolia glabra, fructu rubro mucilaginoso. *Comm. hort.* 1. *p.* 153. *t.* 79.

Jasminum periclymeni folio, flore albo, fructu flavo rotundo tetrapyreno. *Sloan. hist. jam.* 2. *p.* 96. *t.* 204. *f.* 1.

Arbuscula inelegans, a sole adustum veluti habitum præ se ferens, in Curaçao sæpe quindecim pedes altitudine excedit, in Martinica rarius quinque. *Truncus* inæqualis, cortice rimoso. *Rami* inordinati, plurimi. *Folia* alterna, petiolata, integerrima, cæterum varia: sunt enim obtusa, acuta, emarginata, in rupibus glabra, in glareosis & alibi facie scabra, magnitudine diversa, oblonga, ovata, &c. *Racemi* corymbosi, terminales. *Flores* suaveolentes; corollæ albæ laciniis subrotundis; antheris oblongis; calyce in fructu fisso. *Baccæ* nitidæ, croceæ aut aurantiæ, pulposæ, dulces, succulentæ, quo majores, eo magis quadrangulares, pueris barbarisque edules. Glareosa & rupestria incolere solet, absque ulla sæpe terra rupium hiatibus innascens: sic in Curaçao circa Hato vidi decempedalem illam, trunco diametri bipollicaris ad basin applanato supraque rupem extenso, cujus radix foramine arcto, quo solo pars rupis illa pertundebatur, coacta, ipsa vix digitum minimum crassitie æquabat. Gallis dicitur *Bois crabil batard* sive Arbuscula capreolorum spuria.

Habitat in Caribæis.

δ. CHRYSOPHYLLUM (*microphyllum*) foliis minoribus. TAB. XXXVII. Fig. 2.

Arbuſcula decempedalis, erecta. *Folia* vix ſesquipollicaria. Cætera omnino priorum. Neque florem hujus, neque vidi fructum: afferere igitur haud poſſum, ſitne mera præcedentium varietas, an vero ſpecies diſtincta?

Habitat Havanæ paſſim in fruticoſis & ſylvaticis; præcipue in collibus, qui ex adverſo trans portum urbi opponuntur.

2. CHRYSOPHYLLUM (*argenteum*) foliis falcato-ovatis, ſubtus tomento-ſo-nitidis. TAB. XXXVIII. Fig. 1.

Arbor habitu præcedentium. *Materiei & corticis* color eſt leucophæus. *Folia* ſunt ovata, abeuntia in acumen falcatum, integerrima, alterna, petiolata breviter, facie viridia glabraque, ſubtus veſtita tomento ex argenteo viridi nitidoque. *Fructus* ſubrotundi, ſordide e purpureo cærulei, magnitudine pruni mediocris, edules; carne molli cæruleſcente leviterque lacteſcente; ſapore ferme priorum. Incolis dicitur *Bouis*.

Habitat in Martinica.

3. CHRYSOPHYLLUM foliis utrinque glaberrimis. TAB. XXXVIII. Fig. 2.

Arbor quindecimpedalis, erecta, ramoſa. *Folia* ovata, acuta, integerrima, utrinque nitida, ſubcoriacea, alterna, petiolata, vix bipollicaria. *Fructus* cærulei, figura & magnitudine olivæ minoris, ſapore præcedentis; at vix niſi pueris ſervisque comeſtus. *Semina* minus compreſſa.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

## JACQUINIA.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, erectis.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, ventricoſus, calyce duplo longior. Limbus decemfidus: laciniis ſubrotundis, obtuſis, tubo brevioribus; quarum quinque interiores, duploque breviores.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, orta baſi lata in fundo corollæ, longitudine fere tubi. Antheræ haſtatæ, gibbæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum. Stylus brevis, fere longitudine ſtaminum. Stigma capitatum.

PER. Bacca ſubrotunda, acuminata, unilocularis.

SEM. unicum, ſubrotundum, cartilagineum.

1. JACQUINIA (*armillaris*) pedunculis racemoſis. TAB. XXXIX. Chryſophyllum. *Læfling. iter.* 204. 277. & 278.

fibræ nullæ apparent. *Calyptra* eſt corpus difforme, campanulatum, cavum, aurantium, ſubſtantiæ glanduloſæ teneræque, capiti cruris pilei adinſtar impoſitum; limbo in fimbriam terminato integram, qua collo ejusdem adnectitur; gibboſam partem cavitatis pericarpii replens exacte. *Semen* eſt pars fructus illa maxima, teres, pollices decem ut plurimum longa, ponderoſa, in parte craſſiore æquans digitum, plus minus arcuata, ſaturate viridis, ad apicem rubeſcens, interdum ex atro rubens tota, in apicem deſinens conico-ſubulatum, hinc pericarpium verſus ſenſim facta gracilior, tandemque deſinens in conum acuminatum, qui cavitati cruris reſpondet. Sapor ejus eſt adſtringens. Cortex eſt fragilis, lineam craſſitie æquans, & interne albicans. Medulla conſtat fibris longitudinalibus numeroſis, diſſectioni transverſæ reſiſtentibus quam maxime, albis, ad liberi aëris attactum rubentibus, omnemque habentibus ligni junioris ſimilitudinem. Cortex ad extremitatem cruri contiguam ex abrupto deſinit in marginem albicantem; medulla autem continuatur abitque in conum modo dictum viridem, qui ex foliolis aliquot componitur plicatis convolutis facillimeque explicandis. Utrinque ad hunc adſtant (quæ ſæpe etiam deſiderantur) foliola duo virentia & ex ungue longo terminata in bracteam ſubrotundam conumque amplexantem. Etſi vero conus iſte intret adimpleatque cavitatem cruris, liber tamen eſt ab ejusdem pariete interno; at utriusque limbi invicem adnectuntur per tubercula minima ſinusque correſpondentes. Hæc articulatio, ſi ita appellare dictam cohæſionem liceat, eo evadit debilior, quo ad maturitatem propius accedit ſemen: cujus rei fortaſſe cauſa eſt inducta pedetentim exſiccatio partium.

Corpus igitur cruris videtur ſuccum nutrititium haurire mediante calyptra; quæ, utpote conflata ex ſubſtantia glanduloſa ſuccoque plena, inſervire quoque præparandis & perficiendis ſuccis ad ſeminis incrementum neceſſariis credi poteſt. Hanc certe omnium partium primam ſub exigui globuli forma conſpicere licet in fundo diſciſſi germinis in flore; quando ne veſtigium quidem ſive cruris ſive ſeminis detegi microſcopio poteſt. Ex floris receptaculo & germine trans calyptram in cruris caput, hinc per ejusdem corpus ad limbum usque delatus ſuccus nutrititius, per limbum ſeminis correſpondentem pergit. Nam ſi immaturum ſemen e cruris extrahitur cavite, ſoli utriusque contigui limbi ſuccum ilico exſtillant ſubruſum, qui in maturis vel maturitati proximis fructibus ſicci deprehenduntur.

Jam pericarpium incrementum dimidium acquiſivit, inſtruiturque adhuc ſtylo integro, quando prodire foras ſemen incipit. Scilicet ex ipſius apice emergit mucro viridis, qui paulatim increſcens eum ita findit, ut absque ruptura craſſitie ſemper æquet factum foramen, lenti incrementi indicio. Stylus tunc ipſe etiam bifariam ſecatur, at ſectione ſulco ſuo diviſionique propriæ contraria; unde pluralitatem ſtylorum in fructu falſo quis ſuſpicaretur. Stylus ſic diviſus perſtat exſiccatus. Semine requiſitam longitu-

dinem

dinem fere adepto, pericarpio tandem aliquando egreditur crus; forte quia, negante ſemine ulteriorem tunc æquali copia ſucci admiſſionem, impulſum ejusdem majorem in ſe actionemque experitur; quibus fit, ut elongetur. Etſi enim cruris caput, calyptra ſua obvolutum, in fructu vix tripollicari ad debitum jam pervenire volumen ſoleat, corpus tamen ejusdem collumque adhuc perexigua ſunt, conſpiciturque ſeminis conus breviſſimus capiti, cui foveolam tantum imprimit, fere contiguus. Porro ex inſtitutis attente obſervationibus collegi, a floris fœcundatione ad perfectam fructus maturitatem annum ferme elabi. Primi menſis ſpatio germen in medio flore piſum vix æquat; rudior evadit calyx viridiorque; petala & ſtamina abſunt; cæterum flos vix mutatur. Tertio menſe prodit ſeminis apex, qui per duos menſes parvus perſiſtit, donec adolevit pericarpium. Protrudi pergit deinde ſemen ſingulis menſibus circiter ad ſesquipollicem. Currente decimo crus in conſpectum venit; caditque circa duodecimum maturum ſemen.

Quum radicibus agendis fructus eſt idoneus, ſponte a partibus reliquis ſemen ſeparatur, atque ex arbore dilabitur. Illæ poſt paucos dies etiam decidunt, pedunculo communi a ramo ſoluto. Vidi interdum, cecidiſſe in terram ſemen pericarpio crurique adhucdum innexum; quod aut ab avibus aut alio quocunque modo vi externe illata contigiſſe, arbitror: tuncque germinaſſe quidem ſeminis conum deprehendi, verum ſemper a comprimentibus partibus læſum peſſimeque habentem, ac forte periturum. Porro facile patet, ſemen hoc ex arbore dilapſum ſubulato apice ſuo terræ impingere neceſſario debere, idque aut perpendiculariter, aut ſuboblique, niſi quid impedimenti caſu accidat. Situs enim in ipſa arbore dependentis perpendicularis eſt ad terram, pondusque ad apicem gravius eodem ultro tendit in lapſu. Si dein conſideretur ſolum ejus natale paludoſum limoſum & aquis crebro ſubmerſum, adeoque molle & reſiſtentiæ levis, non mirum videbitur, infixum terræ ad pollicis circiter altitudinem hærere, & ſic radices emittere poſſe, quibus ſe ſuſtentet firmius. Quædam vidi in ipſas cecidiſſe aquas tres quatuorve pedes profundas, earundemque fundo inhæſiſſe: verum ibine etiam creſcere perrexerint, ignoro; in aqua ſemipedali abiiſſe in arbores, ſcio.

Seminis igitur apex, ſolo infixus, brevi e ſuis lateribus emittit radices paucas, fibroſas, lentas, atque horizontales. Marceſcunt, caduntque bracteæ duæ, qui coni partem conſtituebant exteriorem; atque etiam illa, quæ adſtabant huic utrinque foliola. Conus vero protruditur in ramulum pollicarem, ſuperne ornatum foliis binis ſesquipollicaribus gemmaque intermedia conſimili: atque ita creſcere pergit. Fructus igitur ille ſubulatus futuræ arboris verus truncus eſt. Radices tempore lignoſæ evadunt; &, ſive has alluens perpetuo tranſiensque mare, limum arenasve alio abripiendo, cauſa ſit; ſive re ipſa radices ſurſum æque ac deorſum in incremento elongentur;

poſt

poſt paucos menſes ſolo altiores arcuumque in modum ſuſtentare arbuſculæ truncum elevatum conſpiciuntur. Seminis jam vegetantis pars infima valde eſt arcuata ſæpe; quod fieri, credo, quando oblique admodum terræ illapſum, radicibusque jam actis veluti firmatum, ſolis actio vi attrahente ſua erigit; unde incurvari oportet inferne.

Vixdum bipedalem vel tripedalem altitudinem attigit, ramuſculisque ornata aliquot comam formavit; quin e trunco, loco prioribus paulo altiori, novæ radices prorumpant, quæ terram verſus arcuatæ, eidemque tandem immiſſæ, nutriendæ & fulciendæ arbori inſerviunt. Eodem modo ad duodecimum usque pedem vulgo pergere ſolet, quando apparet ſylva radicum e trunco ramisque ſenioribus ad quinquepedalem altitudinem ortarum. Ad hanc ætatem pervecta arbor radices paucas emittit; ſed incipit tunc ſuam quaquavorſum comam extendere, & in ramis ſcilicet proferendis eſſe tota. Tandem etiam ex ramis vel altiſſimis radices, absque ſitu determinato ramoſas, & aliquando terram ingreſſuras, generat; quæ omnes, ſicuti etiam præcedentium plurimæ, ortæ ad angulum circiter octoginta graduum ſive recto paulo minorem, primo recta tendunt, dein proprio pondere incurvantur verſus ſolum. Sunt autem hæ radices teretes, ferrugineæ, primo fragiles, dein lentæ & firmæ, cortice craſſo, medulla fibroſa; quarum apex obtuſus tegitur membrana campanulata, ſubcornea, nigricante, ſub terra diſcedente. Pereunte autem a contuſione vel fractura hoc apice, protruſio ulterior impedita ceſſat; ſed unius loco ſupra partem læſam emergunt tres quatuor pluresve radicum rami novi.

Ex dictis colligi poteſt, quam denſas & quam vaſtas ſylvas in incultis inundatisque littoribus conſtituere hæ arbores tempore valeant; quamque præbeant ſtupendum Europæis ſpectaculum? His proxime pernoctare, ne dicam habitare, ob peſſimorum culicum horrendam frequentiam, Europæo in ſummam pœnam cedere poſſet, etſi moderate id barbari ferant; in ipſis autem mediis ſylvis vix eſt, qui perpetetetur. At has incolunt ardeæ numeroſæ, fulicæ, aliæque id genus aves. Ibi cancrorum agmina invenire eſt. Intexta radicum infimarum compages ſtabile ac firmum ſolum præbet aſſueto barbaro venatori, ut gradi ſuper limo & undis absque periculo poſſit. Arcubus radicum mare ſpectantium ſubmerſarumque accreſcunt jactata illa in itinerariis oſtrea, quæ feruntur arboribus innaſci, non minus avide ab Americanis omnibus expetita comeſtaque quam ab Europæis ſua. Fructus adhibentur æque ac cortex ad condenſanda coria. Hiſpanis dicitur *Mangle*, Anglis *Mangrove*, Gallis *Paletuvier* & *Mangle*.

Habitat in Caribæis vicinaque Continente.

## BOCCONIA.

1. BOCCONIA (*frutescens.*) *Linn. sp. pl.* 1. *p.* 505.

Bocconia ramosa, sphondylii folio tomentoso. *Plum. gen.* 55.

Bocconia ramosa, foliis majoribus sinuatis, racemis terminalibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 244.

Chelidonium majus arboreum, foliis quercinis. *Sloan. hist. jam.* 1. *p.* 195. *t.* 125.

CAL. Perianthium diphyllum, caducum: foliolis oblongis, obtusis, fornicatis, totis reflexis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta duodecim vel sedecim, capillaria, brevia, pro florum situ pondus antherarum sequentia. Antheræ lineares, obtusæ, maximæ, longitudine calycis.

PIST. Germen ovale, compressum, pedicellatum, longitudine calycis. Stylus crassus, erectus, jam ante floris explicationem calycem penetrans, eodemque longior. Stigma bifidum, reflexum, acutum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbuscula novempedalis. *Truncus* inæqualis, cavus, medulla repletus Sambuci instar alba, ligno scatente succo rufo, qualis in Chelidonio, superne dividitur in *ramos* paucos, teretes, fragiles, & a casu foliorum cicatricibus refertos. *Folia* sunt pinnato-laciniata, subtus tomentosa, semipedalia, petiolata, alterna, subfrondosa: *laciniis* ovato-oblongis, acutis, leviter & inæqualiter serratis, exterioribus majoribus. *Panicula* pedalis, axillaris in cujusque rami extremitate unica, onusta *floribus* numerosissimis, virescentibus, calyce clauso obovatis. Quæ in icone Plumieri petala creduntur, sunt stamina quatuor post reliquorum lapsum residua. Hæc autem in flore clauso semper numeravi duodecim vel sedecim, & rarissime inter utraque, pauciora autem vel plura nunquam. *Fructum* maturum ego non vidi: super quo consulatur Ehreti apud Trewium tabula.

Habitat in Cuba, Domingo, & Jamaica. Vidi florentem Octobri & Januario.

## TRIUMFETTA.

1. TRIUMFETTA (*Lappula*) floribus calyce destitutis.

Triumfetta. *Linn. sp. pl.* 1. *p.* 444.

Triumfetta fructu echinato racemoso. *Plum. gen.* 40.

Agrimonia lappacea inodora, folio subrotundo dentato. *Sloan. hist. jam.* 1. *p.* 211.

Lappu-

Lappula bermudenſis althæoides ſpicata, fructu orbiculari majore. *Pluk. alm.* 206. *t.* 245. *f.* 7.

Frutex octopedalis, ramoſus, erectus. *Flores* calycis veſtigium omnino nullum habent.

Habitat in Martinica ad ripas torrentum fruticoſas.

2. TRIUMFETTA (*ſemitriloba*) floribus calyculatis; foliis ſemitrilobis.

Triumfetta villoſa, foliis inferioribus angulato-ovatis, ſerrato-dentatis, floribus ternatis; faſciculis geminatis, foliis ſuboppoſitis. *Brown. jam.* 2. *p.* 233.

Frutex ſexpedalis, erectus, ramoſus. *Flores* perpetuo calyculati. Adeo præcedenti quoad habitum ſimilis, ut primo adſpectu confundi poſſent. Utramque plenius deſcribere neglexi.

Habitat in Caribæarum fruticetis.

3. TRIUMFETTA (*rhomboidea*) floribus calyculatis; foliis rhombeo-ovatis. TAB. XC.

CAL. Perianthium pentaphyllum, deciduum: foliolis linearibus, acuminatis, apice cucullatis, coloratis, reflexis.

COR. Petala quinque, oblonga, baſi attenuata in unguem piloſum brevem, obtuſa, plana, calyce pauxillo breviora.

Glandulæ nectareæ quinque, globoſæ, ſitæ ad petalorum baſin.

STAM. Filamenta quindecim, ſubulata, erecta, longitudine calycis. Antheræ ſubrotundæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, acutum.

PER. Capſula globoſa, aculeis uncinatis undique obvallata, ſexlocularis.

SEM. ſolitaria, ovata, hinc convexa, inde angulata.

Frutex tripedalis, erectus, ramoſus, totus ingrato odore præditus, præcipue autem ſemina. *Rami* ſubdichotomi. *Folia* alterna, ſubſeſſilia, ſerrata, acuta, integra, rugoſa, villoſa, ſuprema minus rhomboidea. *Flores* numeroſiſſimi, petalis flavis, calycibus rubentibus; in *pedunculis* multifloris breviſſimis, axillaribus, aggregatisque; hinc verticillati. Sæpe in *pericarpiis* loculamentum aliquod deficit; ſunt tamen ſexlocularia pleraque. Gallis dicitur *Couſin* ſive Conſanguineus; eo quod fructus maturi tibialibus veſtibusque prope ambulantium adhæreant.

Habitat in Martinicæ pratisfruticuloſis.

## PORTULACA.

1. PORTULACA (*triangularis*) pedunculis multifloris, triangularibus.

Helianthemum fruteſcens, portulacæ folio. *Plum. ic.* 150. *f.* 2.

Planta fruticoſa, bipedalis. *Caules* teretes, inferne lignoſi, glabri, ramoſi, procumbenti-erecti. *Folia* oblonga vel ſubovata, baſi attenuata, nitida, craſſiuſcula, emarginata cum acumine, convexa vel plana, lateribus ſæpe revolutis, fragilia, alternatim ſparſa. *Pedunculi* ad minus biflori, erecti, triangulares, terminales. *Flores* inodori, calyce bifido, petalis luteis, pulchelli. *Capſula* perpendiculariter trifariam dehiſcit.

Habitat in rupeſtribus maritimis Caribæarum.

2. PORTULACA (*paniculata*) floribus paniculatis.

Planta fruticoſa. *Caules* teretes, inferne lignoſi, glabri, fragiles, ſuberecti. *Folia* ovalia, utrinque acuta, craſſa, ad tactum pinguia, integerrima, petiolata, alterna, inferiora tripollicaria, ſuperiora ſenſim minora. *Panicula* pedalis, effuſa, erecta, terminalis. *Flores* parvi, numeroſi, rubentes, inodori. Calyx bifidus, concavus. Petala patentiſſima, concava. Stamina ad minus quatuordecim, corollam æquantia. Stigmata tria, craſſiuſcula. *Capſula* ſubrotunda, obſolete trigona, perpendiculariter trivalvis. Cætera, ut in charactere Linnæano.

Habitat in rupibus maritimis Martinicæ & Domingo.

## LYTHRUM.

1. LYTHRUM (*carthagenenſe*) foliis oppoſitis, lanceolatis, petiolatis, ſcabriuſculis; floribus dodecandris.

Planta annua, erecta, pedalis vel ſemipedalis; *caulibus* teretibus piloſisque. *Folia* utrinque attenuata, acuta. *Flores* parvi, plerumque ſolitarii, laterales. Calyx piloſus. Corolla purpurea. Filamentum ſæpe aliquod deſideratur. *Semina* quatuor, ſubrotunda, compreſſa. Habitus omnino congenerum.

Habitat Carthagenæ in ſylvis umbroſis & humidiuſculis.

## GINORIA.

1. GINORIA (*americana.*) TAB. XCI.

CAL. Perianthium monophyllum, perſiſtens. Tubus campanulatus. Limbus ſexfidus: laciniis lanceolatis, planis, acuminatis, patentiſſimis, ſubcoloratis, tubo paulo longioribus.

COR. Petala ſex, ſubrotunda, patentiſſima, calyce duplo longiora, ungue longo inſerta ſuperiori parti tubi calycini.

STAM. Filamenta duodecim, ſubulata, patula, longitudine calycis, cujus tubo infra petala inſerta. Antheræ magnæ, reniformes.

PIST. Germen ſubrotundum, depreſſum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine corollæ, perſiſtens. Stigma obtuſum.

PER.

PER. Capſula depreſſo-ſubrotunda, colorata, nitida, obſolete quadriſulcata, unilocularis, quadrivalvis, ab apice dehiſcens.

SEM. plurima, parva. Receptaculum ſubrotundum, maximum.

Elegantiſſimus hic frutex ad trium quatuorve pedum altitudinem erectus adſcendit. In *ramos* dividitur teretes, glabros, ad ortum ramuſculorum foliorumque compreſſos, lignoſos omnes. *Folia* habet lanceolata, acuta, integerrima, glabra, patentia, petiolis donata breviſſimis, oppoſita, ſesquipollicaria, numeroſa. *Pedunculi* ſunt uniflori, tenues, patentes, ſolitarii, pollicares, axillares & terminales. *Flores* inodori, pulchri, diametro fere pollicari; calycem habent rubentem; corollam cæruleam; capſulam atrorubentem, quæ baccam externe mentitur nitidiſſimam; ſemina albicantia. Capſula cum calyce & ſtylo vel ſtyli parte poſt ſeminum dimiſſionem diu integra perſiſtit. Incolis vocatur *Roſa del rio* ſive Roſa fluviatilis. Novum hoc plantæ genus nominavi in memoriam illuſtriſſimi Marchionis Caroli Ginori in Hetruria Liburni, dum viveret, pro Cæſare Gubernatoris, &c., viri in Hiſtoriam Naturalem propenſiſſimi; in quo cives perdiderunt patrem, litterati fautorem, ego benefactorem atque amicum. Maximis ſuis hic impenſis Florentiæ hortum adornavit, plantis exoticis rariſſimis ſuperbientem, quem augere indies nunc pergit filius iſto patre digniſſimus Marchio Laurentius Ginori.

Habitat ad ripas fluviorum rupeſtres & glareoſas in Cuba. [Flores & fructus maturos decerpſi Decembri.

# TRIGYNIA.

## EUPHORBIA.

1. EUPHORBIA (*Tithymaloides*) inermis, fruticoſa; foliis diſtiche alternis, ovatis. TAB. XCII. *Linn. ſp. pl.* 12. *p.* 453.

Tithymalus curaſſavicus myrtifolius, flore coccineo mellifluo. *Herm. parad.* 234. *t.* 234.

Tithymalus curaſſavicus myrtifolius, flore papilionaceo parvo. *Comm. hort.* 1. *p.* 31. *t.* 16. *Pluk. alm.* 369. *t.* 230. *f.* 2.

Tithymaloides laucoceraſi folio non ſerrato. *Dill. elth.* 383. *t.* 230. *f.* 372.

CAL. Perianthium diphyllum, bivalve, caducum: foliolis ovatis, concavis, acuminatis, corollæ concoloribus.

COR. monopetala, irregularis, quadripartita. Lacinia ſuperior ſubtriangularis, emarginata, obtuſa, incumbens. Duæ laterales oblongæ, obtuſæ, antrorſum productæ, conniventes, duplo longiores ſuperiore.

re. Quarta minima, oblonga, obtuſa, inter laterales ſub ſuperiore poſita.

Glandulæ nectareæ quatuor, ſubrotundæ, ſitæ in gibbo cavo corollæ, a lacinia ſuperiore & parte lateralium concreta effformato; quarum duæ ad baſin adſtant laciniæ ſuperioris, reliquæ priorum claudunt latus.

STAM. Filamenta circiter ſedecim, ſubulata, inæqualia, ſitu corollæ, qua quædam longiora. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

PIST. Germen ovatum, triquetrum, a pedicello longiſſimo extra corollam dependens. Stylus ſubulatus, unicus, germine longior, perſiſtens. Stigmata tria, reflexa, ſemibifida.

PER. Capſula ſubrotunda, a pedicello dependens, tricocca, trilocularis, trivalvis: loculis elaſticis, bivalvibus.

SEM. ſolitaria, ſubrotunda.

Planta fruticoſa, ſarmentoſa, ſuberecta, ſexpedalis, tota ſcatens lacte niveo amariuſculo & abundanti. *Caules* numeroſi, teretes, glabri, debiles, lentiſſimi, ramoſi, pollicis aut digiti craſſitie, ſeniores cinerei, juniores virides. *Folia* ſunt ovata, obtuſa vel acuta, coriacea, integerrima, alterna, petiolata, diſticha, ſaturate virentia, duos tresve pollices longa, quotannis decidua, dumtaxat in ramis virentibus, nervo medio dorſali petioloque auctis appendice longitudinali magis minusve undulato & conſpicuo; in principio ſæpe utrinque tomentoſa, at facie leviſſime, marginibusque quam maxime undulatis; tandem ſemper utrinque plana glabraque. *Pedunculi* uniflori, breves, circa ramuſculorum extremitates aggregati, erumpunt præprimis, quando foliis planta deſtituitur. *Flores* inodori, pulchre coccinei, calceiformes, ſtructura ſua ſingulari mererentur forte diſtinctum genus, etſi plura habeant cum Euphorbiis communia. Calyx in ipſa jam floris explicatione decidit. Plantæ totius, præcipue caulium, ſaturatum decoctum a medicis Curaçavienſibus pro potu ordinario doſique arbitraria præſcribitur lue venerea laborantibus. Eodem in Continente utuntur Americanæ in menſtruorum ſuppreſſionibus. In caldariis Viennenſibus læte vegetat, & propagatur e taleis; at flores nedum protulit.

Habitat in variis Caribæis & in Continente vicina; locis ſaxoſis fruticoſis, plerumque a mari haud remotis. Vidi florentem Aprili, Junio, & Julio.

2. EUPHORBIA (*meſembrianthemifolia*) inermis, fruticoſa; caulibus inferne nudis, ſuperne ornatis foliis ovatis integerrimis.

Planta lacteſcens, erecta, lignoſa, vix pedalis. *Folia* oppoſita, craſſa, glabra, parva, numeroſa, imbricatim ad caules poſita, quos ſuperne totos obtegunt. Neglexi hanc plantam, uti & congeneres ſubſequentes, plenius deſcribere.

Habitat Carthagenæ in rupeſtribus maritimis.

3. EUPHORBIA (*bombenſis*) dichotoma; foliis oppoſitis, oblongis, integerrimis, obtuſis cum acumine; floribus ſolitariis axillaribus; caule proſtrato.

Planta herbacea, annua, procumbens, lacteſcens, ramoſa, circumferentiæ pedalis. *Folia* e rubro virentia, craſſiuſcula, quadrilinearia. *Flores* axillares, & in caulium dichotomia, ſolitarii.

Habitat in arenoſis maritimis circa Carthagenam.

4. EUPHORBIA (*graminea*) dichotoma; foliis oppoſitis, integerrimis, lanceolatis; pedunculis dichotomis; caule erecto.

Planta herbacea, lacteſcens, erecta, debilis, tota viridis & dichotoma, tenella, duos tresve pedes alta. *Folia* lanceolata, acuta, nitida, ſesquipollicaria, pauca, petiolis donata pollicaribus. *Pedunculi communes* terminales, dichotomi, erecti, tenues. *Florum* corolla candida. *Capſulæ* nitidæ, glabræ, parvæ.

Habitat Carthagenæ in locis gramineis udis.

5. EUPHORBIA (*obliterata*) umbella trifida; foliis oblongis, ſerratis, altera baſeos parte obliteratis.

Planta *caulibus* hirſutis, lacteſcentibus; *foliis* apice attenuatis.

Habitat Carthagenæ in arenoſis maritimis.

# ICOSANDRIA.
# MONOGYNIA.

## CACTUS.

1. CACTUS (*Pitajaya*) triangularis, erectus.

Planta hæc habitu ſequenti convenit; at erectam ſe ſuſtinet ad altitudinem octo decemve pedum; altior vero vicinæ arboris fulcro indiget, nec tamen radiculas in decurſu emittens; adeoque diſtincta a repente ſpecies. *Flos* nocturnus, vix odorus, pulcherrimus, albidus, diametro ſemipedali; calyce octo pollices longo. *Fructus* figura & magnitudine ovi gallinacei, externe totus coccineus nitidusque, auctus foliolis aliquot calycinis præmorſis Pereskiæ adinſtar: pulpa candida, carnoſa, dulci, eduli, referta *ſeminubus* exiguis atris nitidisque. Incolis *Pitajaya* dicitur. Verbo hic addam, quotquot

vidi

vidi in America Cactos, omnium esse fructus edules, paucos palato Europæo gratos.

Habitat Carthagenæ in fruticetis maritimis; copiose in insula Mango. Floret præprimis Julio Augusto & Septembri; fructus primos dat maturos Octobri.

2. CACTUS (*triangularis*) triangularis, repens. *Linn. sp. pl.* 13. *p.* 468.

α. (*aphyllus*) fructu aphyllo, acidulo.

Arbores hæc planta ad magnam altitudinem scandit, radicibus emissis se affigens; nec absque fulcro sustinere se potest. Rupes etiam umbrosas investit. *Fructus* inter omnes congeneres sapore præstantissimus, cum dulcore acidulus, gratus, refrigerans, figura præcedentis, sed, foliorum loco, solis cicatricibus inæqualis. Martinicensibus, apud quos in pretio est, vocatur *Poirier de chardon* sive Pyrus cardui.

Habitat in sylvis Martinicæ montosis.

β. (*foliosus*) fructu folioso, insipido. TAB. CLXXXI. Fig. 65.

Varietatem constituere præcedentis opinor hanc plantam; cujus est *fructus* multo major, nitide coccineus, foliolis vestitus fere integris; *pulpa* candida, subdulci, insipida, eduli, referta *seminibus* atris nitidisque.

Habitat in insula sancti Eustachii.

## EUGENIA.

1. EUGENIA (*Pseudopsidium*) foliis integerrimis; pedunculis unifloris, axillaribus & terminalibus. TAB. XCIII.

Arbor erecta, vigintipedalis, habitu haud absimilis Pyro Europæo juniori. *Folia* sunt ex lanceolato ovata, apice acuminato falcatoque, integerrima, nitida, breviter petiolata, opposita, læte virentia, tres quatuorve pollices longa. *Pedunculi* uniflori, pollicem superantes, aggregati. Calyx profunde quadripartitus. Petala alba. *Fructus* globosi, e virore per flavedinis varios gradus ad ruborem coccineum maturando transeuntes, diametro vix semipollicari: pellicula tenui; carne molli, dulci, rubra. *Semen* globosum, magnum. Ab incolis ob fructuum similitudinem aliquam appellatur *Goyavier batard* sive Psidium spurium.

Habitat in sylvis montosis Martinicæ. Flores Octobri, fructus fert Decembri & Januario.

2. EUGENIA (*carthagenensis*) foliis integerrimis; pedunculis ramosis, axillaribus. TAB. CLXXVIII. Fig. 53.

Arbuscula erecta, ramosa, tripedalis vel altior. *Folia* habet ovata, attenuata in acumen obtusum, glabra, coriacea, integerrima, breviter petiola-

ta,

Arbuſcula hæc erecta, ſæpe elegantiſſima, quatuor vel quinque pedes altitudine rarius excedit. *Trunco* inſiſtit tereti, ad ramos nodoſo atque incraſſato, cortice veſtito cinereo. E quolibet nodo *rami* enaſcuntur fere quinque, verticillati, patentesque, qui eodem ſubdividi modo ultra pergunt; unde tandem coma formatur valde concinna globoſaque. Hæc creſcendi ratio magis in apricis ſaxoſis calidisque locis obtinet; in aliis autem a dicta elegantia varie recedit. Infra ſingulos nodos aut ad diſtantiam inde aliquam locantur numero incerto *folia* aliquot verticillata, qualia etiam verticillatim ramuſculos terminant. Sunt hæc oblongam inter & ſubrotundam figuram varia, obtuſa aut emarginata, ſemper autem cum exiguo rigidoque acumine, cæterum integerrima, nitida, coriacea, rigida, in petiolum attenuata breviſſimum, lateribus interdum revolutis. *Racemus* laxus, circiter ſeptemflorus, terminalis, ſolitarius, pendulus, bipollicaris. *Flores* parvi, rigidiuſculi, petalis albis, odorem jasmino ſpirant æmulum, quem etiam poſt putatos abjectosque ramos, haud emarcidi, per plures dies conſervant. Petali lacinia exterior unica concava eſt & erecta, dum reliquæ quatuor convexæ pateant: quæ vero erectæ iſtius latus claudunt interiores duæ, eriguntur, ſubpatentibus tribus reliquis. *Baccæ* piſi majoris volumine, ex aurantio rubentes, pulpam continent aurantiam & aviculis amatam. *Semina* ſunt glabra, cartilaginea, nuda, e flavo ſubfuſca. Ex his foramine pertuſis, margaritarum in modum, lineas efformant Caribæi, quibus adornant brachia: hinc apud Gallos audit *Bois bracelets* *) ſive Arbuſcula armillaris. Contuſa folia ramique, & aquis injecta, feruntur piſces inebriare, ſupernatantes ut manu capi queant. Hiſpanis dicitur *Barvaſco* ſive Verbaſcum.

Habitat in fruticoſis & ſylvaticis a mari haud diſſitis, in Curaçao, Martinica, Carthagenæ, & alibi.

2. JACQUINIA (*ruſciſolia*) pedunculis unifloris; foliis lanceolatis, acuminatis. *Linn. amæn. acad.* 5. *p.* 388.
Fruticulus foliis ruſci ſtellatis. *Dill. elth. p.* 148. *t.* 123.
Alius frutex. *Læſl. hiſp.* 204?

Frutex tripedalis, habitu præcedentis omnino, ut diſcrimen ſolum adduxiſſe ſufficiat. *Folia* ſunt lanceolata, acuminata, pungentia, rigidiſſima, breviora. *Pedunculi* ſunt uniflori, etiam penduli. Dillenii icon eſt optima; at quos ille aculeos delineavit, ego non obſervavi, forte negligentia mea.

Habitat Havanæ in ſylvis montoſis. Floret Januario & Februario.

3. JACQUINIA (*linearis*) pedunculis unifloris; foliis lanceolato-linearibus, acuminatis. TAB. XL. Fig. 1.

Fru-

*) Nota, barbaros gallice loquentes nec declinare nomina, nec verba conjugare, nec uti articulis, &c. Unde *Bois bracelets* dicunt loco *à bracelets*, *maitre moi* pro *mon maitre*, *moi couper cannes* pro *je coupe des cannes*, &c. Quæ hic monere volui.

ta, oppoſita, quadripollicaria, graveolentia. *Pedunculi communes* breves ſunt & multiflori. *Flores* leviter odorati, diametro quadrilineari; calyce rubeſcente, profundiſſime diviſo in lacinias ſubrotundas; petalis obovatis & candidis; antheris ſubrotundis ac quadriſulcatis. *Fructus* ſunt globoſi, piſi magnitudine, primo rubentes, dein atri; pulpa pauca, tandem exſiccata. Hiſpanis dicitur *Cimbrarera*, eo quod rami lenti mulionibus prætereuntibus ſuppeditent virgulas, quibus inſtigent mulas.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis.

β. (*baruenſis*) pedunculis partialibus elongatis.

Præcedentis credo varietatem. *Folia* ſunt in hac multo minora; & *pedunculi communes* omnium breviſſimi; *partiales* autem pauci fereque ſemipollicares.

Habitat in ſylvaticis maritimis inſulæ Baru.

γ. (*myrtifolia*) pedunculis partialibus breviſſimis, numeroſis.

Et hanc pro varietate ejusdem habui: quod tamen aſſerere de neutra auſim. Habitu foliorum non male refert Myrtum latifoliam. *Pedunculi communes* ſunt circiter quadrilineares; *particulares* autem breviſſimi, ſed numeroſi; ita ut videantur flores haud injucundo ſpectaculo in omnibus eſſe axillis verticillatim poſiti.

Habitat Carthagenæ in collibus ſylvaticis.

## MYRTUS.

1. MYRTUS (*triflora*) foliis alternis; pedunculis trifloris. TAB. CLXXXIII. Fig. 59.

CAL. Perianthium tetraphyllum: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, patentibus, ſubcoloratis, germini impoſitis.

COR. Petala quatuor, obovata, obtuſa, calyce duplo longiora, ſemirevoluta.

STAM. Filamenta numeroſa, filiformia, inæqualia, erecta, totam germinis ſupremam aream occupantia, petala non ſuperantia. Antheræ quadratæ, incumbentes.

PIST. Germen obovatum, ſuperne abiens in ſuperficiem planam amplam & ſubquadrangularem. Stylus ſubulatus, erectus, ſtaminibus paulo brevior. Stigma acutum, inflexum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor alta, habitu ſimilis Lauro nobili. *Materies* duriſſima. *Folia* oblonga, baſi attenuata, emarginata, integra, nitida, coriacea, facie ſaturate virentia, dorſo e viridi cinerea, petiolata, alterna, octopollicaria, trita odorem ſpirantia aromaticum & graveolentem. Ex axillis *pedunculi* prodeunt



triflo-

triflori, teretes, ſemipollicares, ſæpius terni. *Flores* ſeſſiles, diametro octolineari, odorem ſuaviſſimum ac leniſſimum Hyacinthi Orientalis ſpirant; *bracteis* vel calyce germinis nullis; petalis filamentis ſtyloque candidis; antheris flaviuſculis; germine calyceque e viridi albentibus. *Fructum* haud vidi, quum abortarunt flores, quos obſervavi, omnes.

Habitat frequens Carthagenæ in ſylvis. Floret Julio Auguſto & Septembri.

## CHRYSOBALANUS.

1. CHRYSOBALANUS (*Icaco.*) TAB. XCIV. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 513.

Chryſobalanus fruticoſus, foliis orbiculatis, alternis, floribus laxe racemoſis. *Brown. jam.* 1. *p.* 250. *t.* 17. *f.* 5.

Frutex cotini folio craſſo, in ſummitate deliquium patiente, fructu ovali cæruleo officulum anguloſum continente. *Catesb. car.* 1. *p.* 25. *t.* 25?

Icaco. *Plum. ic.* 158. *gen.* 44.

Guajeru. *Marcgr. bras. l.* 2. *c.* 14.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, ſemiquinquefidum, marceſcens: laciniis ſemiovatis, patentiſſimis.

COR. Petala quinque, oblonga, obtuſa, planiuſcula, emarginata, patentia, magna, unguibus calyci inſerta.

STAM. Filamenta plurima, ſubulata, baſi compreſſa & hirſuta, erecta, in orbem poſita, inæqualia, longitudine corollæ, calyci inſerta. Antheræ parvæ, didymæ.

PIST. Germen ſubrotundum, villoſum. Stylus figura & longitudine filamentorum, orta ex baſi laterali germinis. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Drupa ſubrotunda, magna.

SEM. Nux ſubovata, acuminata, obſolete pentagona, rugoſa, unilocularis, ſubquinquevalvis. Nucleus cavus, figura nucis.

Arbuſcula ramoſa, inordinata, a tribus ad decem pedes alta. *Cortex* ferrugineus punctis leucophæis adſpergitur. *Folia* ex ovato ſubrotunda, obtuſa, integra, coriacea, nitida, breviſſime petiolata, alterna, bipollicaria. *Racemi* ramoſi, corymboſi, laxi, terminales & axillares, breves; *pedunculis communibus* ultimis trifloris. *Flores* inodori, parvi, petalis albidis, fere characterem Pruni habent. *Fructus* ſunt ſubrotundi, diametro plus minus pollicari, nunc integerrimi, nunc ſulcis plerumque quinque vel & ſex ſeptemve exarati; colore pro ſoli locique diverſitate rubro, purpureo, flavo, albido, aut ex his miſto, nunquam a me viſo cæruleo, unde forte Catesbæi frutex ſpecie eſt diverſus. Pellicula veſtiuntur tenui; & pulpam continent paucam, candidam, fere inodoram, nuci firmiſſime adhærentem, conſiſtentia mali cocti, ſapore dulci & auſtero nec ingrato. *Nux* figura variat; ſemper tamen accedit ad

ovato-

ovato-acuminatam, angulis interdum ſex ſeptemve notata. *Nucleus* dulcis, edulis. Fructus in foro veneunt, crudique comeduntur; quorum ego ſiticuloſus aliquando magnam copiam devoravi absque ulla ſubſecuta noxa. Saccharo conditi magni æſtimantur, ſolentque quotannis in Hiſpaniam ingenti copia transmitti. Hiſpani appellant *Icaco*, Galli *Prunier Icaque*, Angli *Cocco plum-tree.*

Habitat in Caribæis & Continente vicina; in maritimis fruticoſis & apricis, aut a mari procul haud diſſitis locis. Floret fere per integrum annum; at fructus præprimis dat Junio & Decembri.

# TRIGYNIA.

## SESUVIUM.

1. SESUVIUM (*Portulacaſtrum.*) TAB. XCV. *Linn. ſyſt. A. p.* 1058.

Portulaca foliis lanceolatis convexis, pedunculis unifloris. *Linn. ſp. pl.* 4. *p.* 446. *Læſl. hiſp.* 191.

Portulaca curaſſavica, anguſto lucidoque folio. *Herm. parad.* 212. *t.* 212.

Portulaca aizoides maritima procumbens, flore purpureo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 204.

Portulaca marina latifolia, flore ſuaverubente. *Plum. ic.* 223. *f.* 2.

Crithmus indicus. *Rumpf.* 6. *p.* 156. *t.* 72. *f.* 1.

Planta ſucculenta, perennis. *Caules* teretes, craſſi, glabri, diffuſi, ramoſi, procumbenti-erecti. *Folia* ex ovali oblonga, acuta, integerrima, glabra, avenia, craſſa, ſucculenta, ſupra planiuſcula, dorſo convexa, ſemiamplexicaulia, oppoſita, ſesquipollicaria. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, in flore erecti, in fructibus reflexi. *Flores* inodori, externe e glauco virentes, interne candidi roſei vel purpurei, quorum characteri Linnæano optimo addam ſequentia. *Calyx* conſtare videtur e corolla calyceque connatis, cujus in apicibus limbi duplicatura ſpectari poteſt, apice interiore colorato obtuſoque, exteriore viridi & acuto. *Filamenta* ſemper ſunt purpurea & in orbem erecta. *Stylos* in Martinica perpetuo obſervavi quatuor, in Cuba ſemper tres, in Domingo tres quatuorve: quorum numerum ſequitur numerus loculamentorum. *Capſula* circa medium horizontaliter bifariam dehiſcit.

Habitat in Caribæarum littoribus maritimis & inundatis.

# POLYANDRIA.
# MONOGYNIA.

## MARCGRAVIA.

1. MARCGRAVIA (*umbellata.*) TAB. XCVI. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 503.
Marcgravia ſcandens, fructu radicatim poſito. *Plum. ic.* 173.
Marcgravia ſcandens, foliis caulinis ſubrotundis, ad margines glandulatis; ramorum integris, ovatis alternis diſtiche ſitis; floribus umbellatis terminalibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 244. *t.* 26.

CAL. Perianthium hexaphyllum, imbricatum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis; quorum exteriora duo reliquis multo majora.

COR. Petalum unicum, integerrimum, conico-ovatum, obtuſum, imperforatum, coriaceum, craſſum, decolor, calyce quadruplo longius, baſi abſcedens, caducum.

STAM. Filamenta numeroſa, plana, poſt corollæ lapſum patentia, caduca. Antheræ oblongæ, obtuſæ, compreſſæ, erectæ, maximæ.

PIST. Germen ſubrotundum, a filamentis comprimentibus ſtriatum; aſſurgens in Stigma craſſum, capitatum, obtuſum. Stylus nullus.

PER. Capſula ſubgloboſa, coriacea, coronata ſtigmate, multilocularis, multivalvis.

SEM. numeroſiſſima, oblonga, minima, nitidiſſima, nidulantia in pulpa molli.

Planta fruticoſa, arborum paraſitica, *ramis* reclinatis vel pendulis. *Folia* integerrima, acuta, glabra, & diſticha; figuræ in diverſis valde incertæ, lanceolatæ, ovatæ, ovalis, falcato-ovatæ, &c. *Umbellæ* ſimplices, magis minusve perfectæ, pendulæ, terminales. *Pedunculi proprii* centrales inſtruuntur corporibus utricularibus, nunc floriferi, nunc ſteriles. *Capſula* plerumque in decem loculamenta dividitur. *Semina & pulpa* coccineo ſplendente colore. Vocatur Martinicenſibus *Bois des couilles* ſive Frutex teſticularis.

Habitat in Caribæarum ſylvis.

## MORISONIA.

1. MORISONIA (*americana.*) TAB. XCVII. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 503.
Moriſonia arbor nucis juglandis folio. *Plum. gen.* 36. *ic.* 263.

CAL. Perianthium monophyllum, obovatum, obtuſum, ad corollæ eruptionem diſrumpens, marceſcens. Hinc tubus campanulatus. Limbus bifidus:

bifidus: laciniis ſubrotundis, concavis, laceris, reflexis, altera multo majore.

COR. Petala quatuor, ovato-oblonga, obtuſa, calyce duplo longiora, patentiſſima, lateribus revolutis.

STAM. Filamenta plurima, ſubulata, erecta, corolla duplo breviora, inferne ad medietatem usque connata in unum corpus infundibuliforme. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, longitudine ſtaminum, inſidens pedicello cylindraceo craſſo erectoque. Stylus nullus. Stigma capitatum, plano-convexum, puncto umbilicatum.

PER. Bacca globoſa, magna, pedicellata, unilocularis, veſtita cortice duriuſculo ſcabroque.

SEM. plurima, reniformi-ſubrotunda, compreſſiuſcula, nidulantia in carne molli.

Arbor inelegans, erecta, quindecim raro altitudine pedes ſuperat. *Folia* habet oblonga, obtuſa vel acuminata, integerrima, nitida, coriacea, alterna, pauca, pedalia vel breviora; *petiolo* tereti, ad baſin apicemque incraſſato, ſesquipollicari. In ramis ſenioribus æque ac junioribus ſparſim egrediuntur *pedunculi* breves, craſſi, ut plurimum quadriflori vel quinqueflori. *Flores* levi odore ſunt præditi, ſordide albeſcunt, & diametro ſunt vix pollicari: laciniis calycis raro æqualibus; ſtaminibus circiter viginti. *Fructus* fuſci punctis notantur ferrugineis; carnem habent albidam, nec, quod ſciam, edulem. *Semina* albeſcunt. Martinicenſibus vocabulo Gallico-Caribæo appellatur *Bois Mabouia* ſive Arbor diaboli.

Habitat in ſylvis montoſis denſisque Carthagenæ & in Martinica. Floret Julio, & dat Novembri fructum.

## CAPPARIS.

CAL. Perianthium quadripartitum, ſubcoriaceum.

COR. Petala quatuor, obtuſa, patentia, calycem ſuperantia.

STAM. Filamenta plura, patula. Antheræ oblongæ, verſatiles, inclinatæ.

PIST. Germen oblongum, pedicello erecto inſidens, longitudine ſtaminum. Stylus nullus. Stigma ſeſſile, obtuſum.

PER. carnoſum, uniloculare, pedicellatum.

SEM. plurima, nidulantia in carne molli.

Datum hunc characterem genericum cunctis huc usque cognitis ſpeciebus congruere, opinor, includereque Breynias veras, quæ habitu & flore nimium affines viſæ clariſſimo Linnæo ſunt, quam ut potuerint ab iisdem ſeparari. Debet igitur in hoc genere fructuum ratio valere nihil, quæ tamen in determinandis ſpeciebus momentum afferre tunc poterit maximum;

utpote qui ſummopere inter ſeſe diſcrepent. In Capparidibus pulcherrima & nemoroſa inque Moriſonia fructuum & foliorum ſimilitudo eſt ejusmodi, qua vix invenias majorem. Breyniæ ſic ſtricte dictæ omnes, tenuiſiliquam ſi forte exceperis, in habitu ſuo ſingulare ferunt quiddam, quo ilico dignoſcantur. Haud itaque inepte, ſi quis ad habitum velit fructusque diſcrimen, ceu ponderis in conſtituendo genere alicujus rem, reſpicere, diſpeſcet ille has plantas in Capparidem, cujus ſit pericarpium capſula; in Breyniam, quæ ſiliquam proferat coriaceam & bivalvem; & in tertium novum quoddam genus, cujus flos Breyniæ ſit, fructus Moriſoniæ.

1. CAPPARIS (*Cynallophora*) pedunculis multifloris; axillis glanduloſis; foliis oblongis, utrinque nitidis. TAB. XCVIII.

Capparis pedunculis multifloris terminalibus angulatis; foliis ovalibus alternis emarginatis perennantibus. *Linn. ſyſt.* 2. *p.* 1071.

Capparis arboreſcens, lauri foliis, fructu longiſſimo. *Plum. ſpec.* 7. *ic.* 73.

Cynallophoros ſeu penis caninus, Caribæarum arbor, foliis ſubrotundis, clavos pulpiferos phalloides pro ſiliquis gerens. *Pluk. alm.* 126, *t.* 172, *f.* 4.

CAL. tetraphyllus, deciduus: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, reflexis, quorum duo oppoſita reliquis duplo longiora.

COR. Petala obovata, concava, emarginata, maxima, caduca.

Foveæ glanduloſæ quatuor in receptaculo ante calycis foliola.

STAM. Filamenta numeroſiſſima, capillaria, petalis triplo longiora.

PIST. Pedicellus filiformis. Stigma capitatum.

PER. Siliqua longiſſima, teres, glabra, obtuſa, ad ſemina toroſa, carnoſa, bivalvis.

SEM. plurima, reniformia, carnoſa, duplici ordine diſpoſita, pulpa involuta.

Fruticem hunc reperi naſcentem in ſolo pingui, glareoſo, rupeſtri, arenoſo; in apricis, umbroſis; verbo ubivis, præterquam in ſylvis montoſis denſis. Hinc valde variat habitu, trunco, ramis, foliisque. In ſepibus apricis debilis vicinos inter frutices ſuſtentat ſe ramis longiſſimis & vix diviſis, Capparidi ſpinoſæ præ reliquis Americanis habitu tum proximus. In pratenſibus vero atque inundatis maritimis, a vicinis libera, in arbuſculam excreſcit duodecimpedalem concinnamque. *Folia* habet alterna, petiolata, utrinque glabra, craſſiuſcula, rigidiuſcula, magis minusve diſticha, tripollicaria; cæterum ovata, obovata, ovalia, lanceolato-ovata, ſubrotundo-ovata, ſæpius tamen oblonga; obtuſa, aut emarginata, aut leviſſimo acumine aucta. Axillis *glandula* inſidet ſolitaria, ſubrotunda, flaveſcens, rariſſime abſens. *Pedunculi communes* breves, craſſi, teretes vel angulati, terminales, duos tres quatuorve flores proferunt: *propriis* glandula ſimili ſuffultis.

Adeſt

Adeſt inſuper quandoque in folio uno alterove ſupremo alter pedunculus axillaris. *Flores* ſunt ſpecioſi, odoratiſſimi, patentiſſimi; petalis candidis vel ex candore in virorem vergentibus; ſtaminibus ſæpe quadripollicaribus. *Siliqua* circiter ſemipedalis, craſſitie varia, externe virens vel e viridi purpurea, ſutura rubente, in binas valvulas longitudinaliter dehiſcit in ipſo frutice; quæ utrinque ab apice ad pedicellum revolutæ dimittunt ſucceſſive *ſemina*, cortice candido veſtita, intus virentia, carne pulpoſa coccineaque circumdata, & mox germinatura. Unde hæc in Europam transmitti nequeunt, non magis atque aliarum Capparidum Americanarum ſemina, quæ ſervata ſtatim exſiccantur, & pereunt. Vocabulo Gallico-Caribæo Martinicenſibus vocatur *Pois Mabouia*, ſive Faba diaboli.

Habitat in Caribæis & in Venezuela.

2. CAPPARIS (*euſtachiana*) pedunculis multifloris; foliis ovatis, acuminatis, utrinque nitidis; fructibus glabris.

Hæc arbuſcula habitu gaudet præcedentis; at *folia* ſemper eadem habet ovata, acuminata, minus craſſa, & quadripollicaria. *Flores* ſunt inodori, vix pollicares, corollis purpureis. *Fructus* ſimiles. Species mihi viſa diſtinctiſſima eſt a reliquis.

Habitat in inſulæ ſancti Euſtachii præcipitio interno cavi montis, olim, opinor, ignivomi, incolis dicti De Kuyl.

3. CAPPARIS (*haſtata*) pedunculis multifloris; foliis haſtato-oblongis. TAB. CLXXIV. Fig. 56.

Frutex erectus, infirmus, in *ramos* dividitur paucos & longiſſimos, ſæpe ſexpedales. *Folia* ſunt alterna, petiolata, coriacea, rigida, a tribus ad ſeptem pollices longa, ab oblonga ſubintegraque ad haſtatam figuram intermedias omnes induentia, idque vel in eodem non raro frutice. *Pedunculi communes* racemoſi, terminales, plus minus octoflori, fere ſemipedales. *Flores* ſubodorati, purpurei, præcedentium ſtructura, at duplo majores. *Fructus* idem.

Habitat frequens Carthagenæ in ſylvis ad declivia montis de la Popa.

4. CAPPARIS (*verrucoſa*) pedunculis multifloris; foliis oblongis, acutis, utrinque nitidis; fructu verrucoſo. TAB. XCIX.

Habitu convenit hæc cum Cynallophora; at *folia* ſemper oblonga & acuta ſibi conſtant. *Glandulas* in axillis habet nullas. *Flos* ſtructuræ ejusdem, at vix odorus, petala habet candidiſſima & patentiſſima, glandulas nectareas planas punctoque umbilicatas, ſtamina pollicaria corollam haud admodum ſuperantia. *Fructus* eſt ſiliqua oblonga, teres, nitida, tota verrucoſa, viridis, ſesquipollicaris, bivalvis; pulpa alba.

Habitat Carthagenæ in ſylvis & fruticetis.

5. CAP-

5. CAPPARIS (*octandra*) pedunculis multifloris; foliis lanceolatis, acuminatis, ſubtus tomentoſis; floribus octandris. TAB. C.

CAL. Perianthium monophyllum: laciniis ovatis, planis, acutis, patentiſſimis, parvis.

COR. Petala ſubovata, plana, patentiſſima, unguibus breviſſimis.

Nectarium eſt perianthium quaſi alterum, ejusdem cum vero figuræ, at minus & erectum.

STAM. Filamenta plerumque octo, ſubulata, ſuberecta, longitudine corollæ. Antheræ magnæ, erectiuſculæ.

PIST. Pedicellus teres, craſſus, brevis. Stigma capitatum.

Arbuſcula erecta, ramoſa, decempedalis; ramis junioribus petiolisque tomentoſis. *Folia* alterna, petiolata, integerrima, lanceolata, acuminata, facie glabra & virentia, dorſo veſtita tomento e cinereo ſubflaveſcenti. *Pedunculi communes* ſubracemoſi, tomentoſi, ſubterminales, circiter ſeptemflori. *Flores* diamerro ſemipollicari, albidi & inodori, in aliis purpurei & ſubodoriferi. *Fructum* non licuit videre.

Habitat in Domingo ad Portum Principis in fruticoſis maritimis.

6. CAPPARIS (*comoſa*) pedunculis multifloris; coma ſubrotunda, denſa.

Hæc arbuſcula ſpectaculo pulcherrimo comam format perfecte ſubrotundam, floribus fructibusque onuſtam, diametro circiter quinquepedali, trunco ſuffultam tripedali erectoque, conſtantem *ramis* diffuſis & numeroſis. *Flores*, quales in octandra; at ſuaveolentes ſemper; calycis laciniis ex lanceolato acuminatis; ſtaminibus corolla brevioribus. *Fructus* ſimillimus Capparidi Breyniæ, at tenuior. *Folia* ut in præcedente, at dorſo magis virentia.

Habitat paſſim in inundatis maritimis Jaqueſi in Domingo.

7. CAPPARIS (*jamaicenſis*) pedunculis multifloris; foliis oblongis, emarginatis, ſubtus tomentoſis; corollis ſemierectis. TAB. CI.

CAL. Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis oblongis, planis, acutis, reflexis.

COR. Petala oblonga, plana, calyce paulo longiora, inferne erecta tubumque formantia, ſuperne reflexa.

Glandulæ nectareæ oblongo-acuminatæ, erectæ, minimæ.

STAM. circiter viginti, ſubulata, petalis fere duplo longiora.

Arbuſcula comoſa, erecta, ramoſa, decempedalis. *Rami* ſeniores nigricantes, glabri; juniores ſubtomentoſi, cinerei. Folia petiolata, alterna, obtuſiſſima, emarginata, oblonga, coriacea, facie læte virentia nitidaque, dorſo tomentoſa & cinerea, bipollicaria. *Pedunculi communes* tomentoſi, cinerei, plus minus quinqueflori, terminales & ſubaxillares. *Flores* ſuaveolentes, ſordide albidi, fere pollicares. Non vidi *fructum*.

Habitat

Habitat in Jamaica in Ferry & Liguanee; ubi florentem inveni Februario & Martio.

8. CAPPARIS (*linearis*) foliis linearibus, longis. TAB. CII.

CAL. } ut in Capparide verrucosa.
COR. }
STAM. }
PIST. Germen teres in pedicello crasso brevissimo.
PER. Siliqua glabra, ad semina torosa, brevis, bivalvis.
SEM. pauca, subreniformia.

Arbor erecta, comosa, elegans, ramosa, quindecim pedes alta, tota glaberrima. *Folia* linearia, coriacea, integra, avenia, obtusa, nitida, medio nervo insigniter protuberante, breviſſime petiolata, alterna, lateribus sæpe revolutis, quadripollicaria, numerosa, plerumque omnia sursum versa. *Racemi* terminales aut axillares, plus minus decemflori, ut plurimum cum ultimis ramusculis horizontaliter patentes. *Flores* inodori, albi, diametro semipollicari. *Fructus* aurantii cum mixta rubedine, pollicares. Germini in hac specie vix subest pedicellus.

Habitat Carthagenæ in collibus sylvaticis; valde autem frequens in arenosa amplaque valle, in qua situm est oppidum Coro Venezuelæ metropolis. Junio & Julio flores & fructus maturos decerpsi.

9. CAPPARIS (*Breynia*) pedunculis subumbellatis; foliis ovali-oblongis, acutis, subtus scabris; fructibus tomentosis. TAB. CIII.
Breynia elæagni foliis. *Breyn. ic. rar. pag.* 11.

CAL. Perianthium monophyllum, deciduum: laciniis lanceolatis, minimis, acutis, erectis.
COR. Petala ovata, concava, maxima.
Nectarium, quale in Capparide octandra.
STAM. numerosa, filiformia, corollam superantia.
PIST. Pedicellus filiformis.
PER. Siliqua longissima, teres, tomentosa, ad semina torosa, bivalvis.
SEM. plurima, reniformia, subduplici ordine disposita.

Arbuscula elegans, erecta, decempedalis. *Rami* extremi, pedunculi, & petioli adsperguntur punctis tomentosis ferrugineis. *Folia* sunt integerrima, facie nitida, subtus scabra pallideque virentia, acuta vel obtusiuscula, petiolata, alternatim sparsa, magnitudine varia. *Pedunculi communes* angulati, axillares & subterminales, multiflori, subumbellati, interdum ramosi. *Flores* odore gratissimo præditi, corollis candidis, numero vario; quandoque integrum in eodem ramulo fasciculum formantes densissimum & valde speciosum. *Siliqua* novempollicaris, tenuis, tomentosa, e luteo fusca, carne coc-

cinea. *Semina* ab insectis solent erodi. Hæc omnino planta fuit, e qua Plumierus Breyniæ genus condidit, nec alia; uti evidenter patet ex icone floris, quem in generibus suis expressit. Sitne autem ipsius amygdalifolia, an elæagnifolia, determinare nequeo. Breyniæ affinem Læflingii *hisp. pag.* 207. conjicio esse plantam diversam ab omnibus speciebus a me enumeratis; unde error est in synonymia Linnæi *syst. D. pag.* 1071.

Habitat in Caribæis & in Continente vicina; in locis saxosis, glareosis, inundatis maritimis, vallibus fruticosis, aliisque.

10. CAPPARIS (*frondosa*) pedunculis subumbellatis; foliis ad intervalla frondosis. TAB. CIV.

CAL. Perianthium monophyllum, persistens: laciniis subrotundis, planis, obtusis, patentissimis.

COR. Petala obovata, plana, maxima.

Glandulæ nectareæ subrotundæ, minimæ.

STAM. filiformia, petalis longiora.

PIST. Pedicellus filiformis.

PER. Siliqua oblonga, teres, ad semina torosa, bivalvis.

SEM. pauca, reniformia.

Arbuscula hæc plerumque septem altitudine pedes attingit, quam in sylvis densis & umbrosis ad vigesimum sæpe extendit. *Rami* paucissimi vixque divisi recta sursum tendunt. *Folia* lanceolata, acuta, nitida, undulata, integerrima, subcoriacea, petiolata, magnitudine varia admodum, crebro vel pedalia, ad varias in ramis distantias frondose nascuntur. *Pedunculus communis* teres, nitidus, erectus, terminalis, solitarius, apice gerit umbellatim paucos *flores* inodoros, virides purpureosve, diametro pollicari, post fœcundationem brevi petala revolventes & varie intorquentes stamina. His succedunt *siliquæ* pollicares vel sesquipollicares, nitidæ, atropurpureæ, carne albida.

Habitat Carthagenæ & in Domingo in sylvaticis. Flores vidi Aprili & Majo, fructus maturos Augusto & Septembri.

11. CAPPARIS (*tenuisiliqua*) racemis simplicibus, erectis; fructibus siliquosis; foliis deciduis. TAB. CV.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, semiquadrifidum, deciduum: laciniis ovatis, acuminatis, planis, patentibus.

COR. Petala ovata, concava, magna, reflexa.

Nectarium perianthium quasi alterum, ejusdem cum vero figuræ, sed minimum erectumque.

STAM. circiter viginti quatuor, filiformia, longissima.

PIST. Pedicellus filiformis.

PER. Siliqua longissima, tenuis, glabra, teres, ad semina torosa, bivalvis.

SEM.

Frutex bipedalis, ramoſiſſimus, habitu quidem in univerſum præcedentium, at minus concinno. *Folia* ſunt rigidiſſima, ſpinarum adinſtar pungentia, ſæpe contorta, ſubſeſſilia, pollicaria, quatuor frequentius ad quemlibet nodum verticillata. *Pedunculi* uniflori, ſolitarii, terminales, penduli, foliis breviores. *Flores* inodori, rigidiuſculi. Petali albi laciniæ omnes convexæ, exteriores patentes, interiores erectiuſculæ. *Baccæ* flavæ.

Habitat paſſim in littoribus maritimis oppidi Portus Principis in Domingo. Januario flores una cum fructibus maturis carpſi.

## SIDEROXYLUM.

1. SIDEROXYLUM (*fœtidiſſimum*) inerme; foliis ſuboppoſitis; floribus patentiſſimis.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, obtuſis, concavis, patulis.

COR. Petalum rotatum, calyce duplo longius. Tubus infundibuliformis, calyce pauxillo longior. Limbus quinquefidus: laciniis ſubovatis, obtuſis, planis.

Nectarii ſquamæ quinque, cuſpidatæ, ſerratæ, patentiſſimæ, poſitæ ſingulæ ad diviſuras petali, quo duplo breviores.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, patentiſſima, cum ſquamis alternantia, earundemque longitudine. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovato-oblongum, deſinens in ſtylum ſubulatum, erectum, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, ſimplex.

PER. Drupa ſubrotunda, apice depreſſiuſculo ſtellaque radiata inſignito cum medio acumine.

SEM. Nux ovata, unilocularis. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbuſcula duodecimpedalis, erecta, non lacteſcens. *Folia* lanceolato-oblonga, obtuſa, ſæpe emarginata leviter, integra, nitida, ſubundulata; petiolata, quadripollicaria, in ramis præſertim junioribus, oppoſita quidem at altero pauxillo altiori. *Pedunculi* uniflori, axillares & ramei, bilineares, aggregati, viginti ſæpius ſimul. *Flores* fœtidiſſimi, diametro circiter ſemipollicari, petalis albis. *Fructus* ceraſi fere magnitudine, nunc oblongior, nunc rotundior.

Habitat in Domingo in ſylvis montoſis. Floret Octobri. Fructus matureſcunt Januario.

2. SIDEROXYLUM (*pauciflorum*) inerme; foliis alternis; floribus patentiſſimis.

Arbor erecta, vigintipedalis, præcedenti ſimillima. Diſcrimen ſpectatur in *foliis* ſemper obtuſis, planis, vereque alternis. In *pedunculis* ternis vel quater-

SEM. plurima, oblonga, utrinque obtuſa, ſubteretia, cortice duriuſculo, ordine ſimplici diſpoſita.

Arbuſcula erecta, parum ramoſa, in ſepibus & fruticoſis apricis octopedalis, ad quindecim pedes excreſcit in ſylvis umbroſis. *Rami* ſeniores ſunt ſubcinerei lignoſique; juniores vireſcunt, & baſi ad ortum ſtipulis ornantur ſetaceis. A Januario ad Aprilem foliis ſpoliatur; hoc autem menſe e ſummis ramuſculis *racemi* prodeunt erecti, ſex vel ſeptem pollices longi, terminales, ſolitarii, floribus circiter quinquaginta ſucceſſive ſeſe explicantibus onuſti, hinc ultra menſem florentes: *pedunculis propriis* ſtipula ſetacea ſuſtultis. Floribus primis ſeſe expandentibus egrediuntur demum *folia*, quæ ſunt tunc lanceolata, acuminata, integerrima, nitida, tenuia, alterna, petiolata, ſemipedalia; ſenſim vero in majus volumen increſcunt, figuramque aſſumunt oblongo-ovatam, obtuſam, obtuſe acuminatam, vel vere acuminatam, ita quidem priori ſuo ſtatui diſſimilia, ut facile quis rei ignarus ſtirpem diverſam ſuſpicetur. *Flores* inodori e viridi albicant, ſtaminibus pollicaribus, inferiores ſoli fructigeri, racemo poſt peractam omnium floreſcentiam ſuperne marceſcente. *Fructus* ſunt virides, graciles, & ſex vel ſeptem pollices longi. Valvularum ſeparatio ſæpiſſime in altera tantum accidit ſutura; interdum etiam in utraque, ſed hinc inferne, illinc ſuperne, in neutra abſolvitur. Caro ſiliquæ eſt mollis, albicans, ſubpellucida. *Seminum* cortex duriuſculus nigricat, lamellæ virent.

Habitat Carthagenæ frequens. Fructum fert maturum Septembri & Octobri.

12. CAPPARIS (*pulcherrima*) floribus racemoſis; foliis obtuſis; fructu baccato. TAB. CVI.

CAL. Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis ſublinearibus, ſuperne leviter lateſcentibus, acutis, planis, interne ſubtomentoſis, reflexis, baſibus diſtantibus, coloratis.

COR. Petala oblonga, plana, acutiuſcula, utrinque tomentoſa, ſemireflexa, calyce paulo longiora.

Glandulæ nectareæ parvæ, acutæ, erectæ, extra petala poſitæ, ſitu cum iisdem alternante.

STAM. circiter viginti, filiformia, corollam ſuperantia.

PIST. Germen ovato-oblongum, inſidens pedicello cylindraceo craſſo erectoque. Stylus breviſſimus, craſſus, perſiſtens. Stigma capitatum, umbilicatum.

PER. Bacca ſubrotunda, maxima, ſtylo obtuſe acuminata, cortice craſſo ſcabriuſculo.

SEM. plurima, reniformia, ſubrotunda, compreſſiuſcula.

BIBLIOTECA NACIONAL — BOGOTA — SALAS GENERALES

Arbor inelegans, erecta, in apricis aridis duos vel tres, in ſylvaticis umbroſioribus pedes duodecim alta. *Truncus* diametrum habet bipollicarem. *Rami* ſunt craſſi, teretes, lignoſi, glabri. *Folia* habet oblonga, obtuſa, nitida, integerrima, coriacea, breviter petiolata, alterna, ſæpe vel decempollicaria. *Racemus* terminalis, ſimplex, erectus, craſſus, ſolitarius, ſemipedalis, ſpecioſiſſimus. *Flores* pulchri, ex flavo albentes, odorem ſpirant ſuaviſſimum. Filamenta ſesquipollicaria primo die ſunt candida, altero amœne purpurea. *Bacca* una alterave in quolibet racemo ſuccedit, corticem induta e viridi & fuſco varium, diametro duos quatuorve pollices æquans, cujus immaturæ caro eſt dura fereque inodora, maturæ autem eſt mollis, nauſeoſa, fœtidiſſima, nullique animali unquam tacta: cortice tum fragili & ad flavedinem hic illic leviter vergente. *Semina* cortice membranaceo albo & tenaci circumdantur.

Habitat paſſim Carthagenæ in declivibus montium. Floret Julio & Auguſto. Fructum dat maturum Martio, Aprili, & ſequentibus.

13. CAPPARIS (*nemoroſa*) floribus racemoſis; foliis acuminatis; fructu baccato. TAB. CLXXXI. Fig. 69.

Arbor erecta, ramoſa, vigintipedalis. *Folia* ovato-acuminata, integerrima, petiolata, alterna, facie nitida, ſubtus veſtita tomento ætate & frictione abſcedenti, coriacea. *Fructus* oblongo-ovatus, minor præcedente, at ejusdem prorſus ſtructuræ. E floris nedum explicati examine judicavi eſſe ejusdem generis, ad quod etiam totus faciebat habitus præcedenti ſimillimus.

Habitat Carthagenæ in ſylvis denſis.

## MENTZELIA.

1. MENTZELIA (*aſpera.*) *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 516.

Mentzelia foliis & fructibus aſperis. *Plum. gen.* 41. *ic.* 174. *f.* 1.

Mentzelia ſetis uncinatis munita, foliis lobatis, fructibus ſingularibus ad divaricationem ramorum. *Brown. jam.* 1. *p.* 249.

Onagra americana, folio betonicæ, fructu hiſpido. *Tourn. inſt.* 302.

CAL. Perianthium pentaphyllum, germini inſidens, deciduum: foliolis lanceolatis, concavis, acuminatis, externe aſperis, patentibus.

COR. Petala quinque, obovata, plana, acuminata, patentia, calyce paulo longiora.

STAM. Filamenta circiter triginta, erecta, longitudine calycis; quorum decem ſunt exteriora, ſuperne obverſe lanceolata, obtuſa, & concava; reliqua interiora, & ſubulata. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen cylindraceum, aſperum, longitudine corollæ, inferum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER.

PER. Capſula cylindracea, longiſſima, aſpera, unilocularis; apicis ſuperficie plana & trivalvi; valvulis patentibus.
SEM. raro ultra ſex, oblonga, angulata.

Planta annua, erecta. *Capſula* matura nequaquam ſucculenta eſt, nec pulpam habet, niſi perpaucam eamque exſuccam penitus.

Habitat copioſiſſime in ſaxoſis, glareoſis, ruderatis, & arvis inſulæ Curaçao. Vidi florentem Aprili, Majo, & Junio.

## CORCHORUS.

1. CORCHORUS (*birſutus*) capſulis ovato-oblongis, lanatis; foliis ovatis, tomentoſis. *Linn. ſp. pl.* 4. *p.* 530.
Guazuma frutex chamædryfolia, fructu lanuginoſo major & minor. *Plum. gen.* 36. *ic.* 104.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis, acutis, concavis, æqualibus, coloratis, reflexis, deciduis.
COR. Petala quinque, obovata, obtuſa, concava, patentiſſima, longitudine calycis.
STAM. Filamenta plurima, capillaria, erecta, corolla paulo breviora, inſerta receptaculo germinis. Antheræ ſubrotundæ, parvæ.
PIST. Germen ſubovatum, villoſum, receptaculo proprio a corolla & calyce parumper remotum. Stylus ſimplex, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.
PER. Capſula ovato-oblonga, leviter incurva, obtuſa, lanata, quadrilocularis, quadrivalvis.
SEM. numeroſa, angulata, parva.

Frutex parum ramoſus, erectus, bipedalis vel tripedalis. *Rami* teretes, ſuperne angulati, denſe veſtiti tomento e fuſco incano. *Folia* oblongo-ovata, utrinque obtuſiſſima, utrinque lanuginoſa, crenata, petiolata, alterna, pollicaria, marginibus ſubundulatis. *Pedunculi communes* tomentoſi, petiolis oppoſiti, eorundemque longitudine, *proprios* quinque vel ſex ſimiles umbellatim emittunt. Calyx externe eſt tomentoſus. Petala ſunt flava. Hæc planta eſt Havanenſis. At in Curaçao folia ſunt acuta, & pedunculi tantum biflori vel triflori. In ſancti Martini inſula folia interne dumtaxat mollia ſunt, & utrinque virent. Cætera conveniunt. An ergo Havanenſis plantæ ſolæ varietates dicantur reliquæ?

Habitat Havanæ, in Curaçao, & inſula ſancti Martini; locis ſaxoſis, aſperis, maritimis.

## MUNTINGIA.

1. MUNTINGIA (*Calabura.*) TAB. CVII. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 509.

Muntingia folio ſericeo molli, fructu majori. *Plum. gen.* 41. *ic.* 205.

Muntingia fruticoſa & villoſa; foliis ſerratis oblongis, ab uno latere brevioribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 245.

Loti arboris folio anguſtiore, rubi flore, fructu polyſpermo umbilicato. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 80. *t.* 194. *f.* 1.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquefidum, deciduum: laciniis lanceolato-acuminatis, baſi concavis, patentiſſimis.

COR. Petala quinque, ſubrotunda, integerrima, leviter concava, calycem ſuperantia, patentiſſima, unguibus brevibus.

STAM. Filamenta plurima, capillaria, patentia, petalis duplo breviora. Antheræ ſubrotundæ, parvæ.

PIST. Germen ſubrotundum, longitudine ſtaminum. Stylus nullus. Stigma peltato-capitatum, radiatum, pentagonum.

PER. Bacca globoſa, coronata ſtigmate peltato, quinqueradiato, quinquelocularis. Diſſepimentum membranaceum, tenuiſſimum.

SEM. numeroſa, ſubrotunda, minima, nidulantia.

Arbuſcula erecta, infirma, duodecimpedalis, tota abit in *ramos* longos, villoſos, alternatim ornatos ramuſculis diſtichis. *Folia* habet oblonga, acuminata, ſerrata, villoſa, viſcoſa, baſi altera obliterata, breviter petiolata, alterna, diſticha, quatuor vel quinque pollices longa, ſuprema ſenſim breviora, integros ramuſculos occupantia. *Pedunculi* axillis exeunt bini, villoſi, uniflori, pollicares, ſucceſſive florem jamjam explicandum ad foliorum faciem vertentes, antea ad eorundem dorſum reflexi. *Flores* inodori, pulchelli, diametro pollicari, calycem habent cinereum, & petala candida. *Bacca* cum admixta flavedine roſea, transverſim diſciſſa, primo intuitu unilocularis creditur; in aqua vero leniter preſſa, ut pulpa ſeminaque exeant, per tenue diſſepimentum quinque loculamenta diſtinctiſſima exhibet.

Habitat in ſylvaticis irriguis alluvione, alibique in Domingo. Floret Auguſto & Septembri.

## SYMPLOCOS.

1. SYMPLOCOS (*martinicenſis.*) TAB. CLXXV. Fig. 68.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquinquefidum, parvum; laciniis ſubrotundis, obtuſis, erectis.

COR. Petala quinque, oblonga, obtuſa, baſi erecta tubumque formantia, ſuperne patentiſſima.

STAM.

STAM. Filamenta numerosa, subulata, plana, petalis paulo breviora, triplici quadruplicive serie tubo corollæ in orbem accreta, inferiora gradatim breviora. Antheræ subrotundæ, parvæ.

PIST. Germen subrotundum. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma capitatum, subtrifidum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor ramosa, viginti quinque pedum altitudine. *Folia* ovata, acuta, serrata, nitida, subcoriacea, petiolata, situ indeterminato. *Flores* albi, odore Cratægi Oxyacanthæ. Est in hac planta singulare, filamenta inseri corollæ polypetalæ, quam interne monopetalam quasi reddunt, basibus suis planis connectendo petalorum margines. *Fructum* non vidi. Floris tamen structuram solam sufficere existimo, ad novum constituendum genus, quod græco vocabulo ἀπὸ τῦ συμπλέκεσθαι derivavi ob raram petalorum connexionem.

Habitat in sylvis Martinicæ. Floret Novembri.

## LAETIA.

1. LAETIA (*completa*) floribus completis. TAB. CLXXXIII. Fig. 60.

CAL. Perianthium pentaphyllum, marcescens, . . .

COR. Petala quinque, longitudine calycis, . . .

STAM. Filamenta plurima, capillaria, . . .

PIST. Germen subrotundum. Stylus filiformis, erectus, . . .

PER. Capsula subovata, obtusa, tomentosa, unilocularis, trivalvis: valvulis carnoso-coriaceis, crassissimis, patentissimis, interne auctis membrana cartilaginea adnata tandemque crispata abscedente.

SEM. plurima, carnosa, ab invicem compressa, hinc angulata, distincta involutaque pellicula pulposa.

Arbuscula novempedalis, ramosa. *Folia* subovata, oblongiuscula, obtusa, dentato-crenata, interdum emarginata, rugosa, glabra, petiolata, alterna. *Pedunculi communes* axillares, tomentosi. *Fructus* ex flavo rubelli baccas ante dehiscentiam mentiuntur, sæpe obsolete triangulares. E flore emarcido cum germine jam adolescente characterem desumpsi.

Habitat Carthagenæ in sylvis densis circa La Quinta. Fert fructus maturos Augusto & Septembri, floruisse mihi visa Junio.

2. LAETIA (*apetala*) floribus apetalis. TAB. CVIII.

Laetia. *Linn. syst. A. p.* 1074. *Læst. hisp.* 190.

CAL. Perianthium pentaphyllum, marcescens: foliolis obovatis, concavis, obtusis, reflexis, coloratis, minus vero exterioribus duobus.

COR. nulla.

STAM.

STAM. Filamenta circiter quadraginta, ſubulata, patentia, longitudine calycis. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

PIST. Germen ovatum, ſtaminibus duplo brevius; deſinens in Stylum craſſiuſculum, ſuperne inflexum, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, depreſſum.

PER. ovatum, carnoſum, obſolete trigonum, interne auctum membrana cartilaginea, uniloculare.

SEM. plurima, ab invicem compreſſa, hinc angulata, carnoſa, diſtincta involutaque pellicula pulpoſa.

Arbor hæc erecta & viginti pedalis vel ex ipſo prope ſolum trunco *ramos* emittit patulos: quorum ex tuberculis vel ex ultimorum extremitatibus prodeunt *folia* ovalia vel obovata, obtuſa, interdum emarginata, ſerrulata ſerraturis ferrugineis & vix conſpicuis, nitida, petiolata, alterna, ſesquipollicaria. *Pedunculi communes* triflori, axillares, ſuſtinent *flores* albos, facie magnitudine & odore Cratægum Oxyacantham referentes. *Fructus* capſulane an bacca ſit, certo determinare nequeo: ſemper enim ego illos ſemicomeſtos eroſosque inveni ab aviculis aut inſectis, nec unquam, quantumvis maturi mihi videbantur, in valvulas ſejunctos. Cæterum tam ſimiles ſunt præcedentibus, ut diſtingui ab invicem, præterquam in tomento & glabritie, neque interne nec externe poſſint.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis. Floret Aprili & Majo. Fructum dat Auguſto.

## LECYTHIS.

1. LECYTHIS (*minor*) foliis lanceolato-oblongis, petiolatis. TAB. CIX.

CAL. Perianthium hexaphyllum: foliolis ſubrotundis, parvis, concavis, obtuſis, patentibus, æqualibus, nec imbricatis.

COR. Petala ſex, oblonga, obtuſa, plana, maxima, infra nectarii baſin unguibus receptaculo germinis inſerta; quorum quatuor ſuperiora patentiſſima, duo inferiora plus minus patenti-inflexa.

Nectarium monophyllum, petaliforme, baſi plana pro germine tranſeunte perforatum, ibidemque proprium ſtaminibus receptaculum præbens, hinc adſurgens & inflexum, ad apicem interne ornatum corporibus filamentoſis numeroſis & denſis, quibus genitalibus incumbit.

STAM. Filamenta numeroſa, ſubulata, breviſſima, erecta, diſco nectarii inſidentia. Antheræ oblongæ.

PIST. Germen conicum, depreſſum; deſinens in Stylum erectum, breviſſimum. Stigma ſimplex.

PER.

PER. Capſula ſubrotunda, convexo-depreſſa; lignoſa, maxima, craſſiſſima, circa medietatem circumferentiæ cinctum ſemitruncatis ſex calycis foliolis nunc lignoſis factis, ſubquadrilocularis, bivalvis: valvula ſuperiore orbiculari, horizontaliter abeunte, decidua; inferiore ſubrotunda, perſiſtente. Diſſepimentum carneum.

SEM. pauca, oblonga, ab invicem compreſſa, hinc angulata, nitida, margine ſcabro, quo diſſepimento adhæſerunt; pulpaque carnoſa ab eodem procedente ſubdiſtincta.

Arbor elegans, ramoſa, erecta, ſexaginta pedes alta, *trunco* inſiſtit æquali & rimulis in cortice notato. *Ramos* porrigit lentos & longos. *Folia* habet lanceolato-oblonga, acuminata, ſerrata, glabra, alterna, petiolata, ſubdiſticha, ſemipedalia, plurima. *Racemi* ſunt terminales, adjuncto ſæpe ad ſuprema folia axillari aliquo, craſſi, ſimplices vel inferne racemo alio uno alterove aucti; *pedunculis propriis* unifloris, craſſis, breviſſimis. *Flores* magni, leviter odori, corolla nectarioque candidis, ſtaminibus & nectarii corpuſculis flavis. *Fructus* duriſſimi, fuſci, diametro bipollicari, nati ex germine & increſcente receptaculo, ollulam cum operculo ſuo haud male repræſentant. Operculum maturo jam fructu decidit; ſenſimque hoc ſequuntur, pulpa exſiccata, ſemina: at vero ollula vacua inverſaque ſæpe per biennium in arbore perſtat. Loculamentorum diſtinctio plerumque eſt incompleta; in quibus ſingulis continentur ſemina duo tria vel unicum, ita quidem, ut ſint omnino circiter octo. Veſtiuntur hæc pellicula fuſca nitida & ſatis forti, quum ſint intus candida. Feruntur etiam ſimiis eſſe in deliciis, unde apud incolas nomen arbor traxit *Ollita de mono*, id eſt, Ollula ſimiæ. Pluribus ego his, experiundi gratia, comedenda obtuli, repulſam conſtanter paſſus. Alii mihi aſſeruerunt edulia, venenata alii dixere. Unicum ego ſemen integrum aſſumpſi, quod ſapore præditum gratiſſimo deprehendi; ſed poſt mediam horam nauſea, anxietate magna, capitisque titubatione præter conſuetudinem fui vexatus; an ab hoc nucleo? *Flores* hujus arboris ſemper occupantur a veſparum nigricantium ſpecie, quæ tangere vel decerpere hos cupientem infeſtare admodum ſolent, capillis præ cæteris partibus involant pileoque, unde eximi niſi trucidatæ nequeunt, & fugientem denſo agmine ad paſſus plurimos inſequuntur; Hiſpanis ob id dictæ *Moſcas bravas* ſive Muſcæ indomitæ. Arbor hæc ſolum tenus putata, ramos novos e ſtipite emittit, primo jam anno flores fructusque producturos. Ex collatis deſcriptionibus patet, eſſe hanc diſtinctiſſimam ſpeciem a Lecythide Læflingii. Differt forte etiam a Marcgravii Jacapucaya. Vidi Vindobonam allatos ex Braſilia fructus, qui omnino ad hoc genus pertinebant; ſed, ſeminibus multo majoribus fœti, ſuperabant ipſi caput infantis.

Habitat Carthagenæ paſſim in ſylvis; præcipue circa La Quinta. Floret Junio & Julio. Decembri fructus matureſcunt.

## SEGUIERIA.

1. SEGUIERIA (*aculeata*) aculeata.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis obovatis, concavis, obtuſis, reflexis, coloratis; quorum duo exteriora duplo minora.

COR. nulla.

STAM. Filamenta circiter triginta quinque, capillaria, patentia, longitudine calycis. Antheræ oblongæ, compreſſæ, utrinque obtuſæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſum, ſuperne membranaceum, obtuſum, latere marginali altero craſſiore, fere longitudine ſtaminum. Stylus nullus. Stigma villoſum, ab apice germinis ad usque medietatem ejusdem per marginem craſſiorem decurrens.

PER. Capſula oblonga, aucta ala maxima perpendiculari obtuſaque, unilocularis, . . .

SEM. unicum, . . .

Frutex duodecimpedalis, cujus e trunco oriuntur *rami* teretes, longiſſimi, virides, nitidi, quibus ſe ſuſtentat vicinis. *Aculei* recurvi, acuminati, breviſſimi, ad latus petioli unumquodque unicus, interdum abſentes. *Folia* lanceolata ovata vel ovalia, emarginata cum acumine, integra, nitida, petiolata, alterna, duos tresve pollices longa. *Racemi* terminales, ramoſi, folioſi. *Flores* numeroſi, albicantes, fœtidi. Calyx cum increſcente germine virorem induit. *Fructum* immaturum dumtaxat vidi, Securidacæ fructui ſimilem.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis & fruticetis, præcipue ad vias. Floret Septembri.

# TRIGYNIA.

## HOMALIUM.

1. HOMALIUM (*racemoſum.*) TAB. CLXXXIII. Fig. 72.

CAL. Perianthium monophyllum, ſexfidum: laciniis ovato-lanceolatis, acutis, patentiſſimis.

COR. Petala ſex, ovata, plana, calyce paulo longiora, patentiſſima.

Glandulæ nectareæ ſex, planæ, cum petalis alternæ.

STAM. Filamenta viginti quatuor, ſubulata, erecta, longitudine corollæ, orta quatuor ſimul inter glandulas ante baſin petalorum. Antheræ ſubrotundæ, ſimplices.

PIST.

PIST. Germen ſubrotundum, villoſum. Styli tres, erecti, filiformes, longitudine ſtaminum. Stigmata ſimplicia.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor comoſa, procera, habitu Ulmi. *Flores* racemoſi, plani. Stamina interdum ſunt octodecim, ut tria tunc ſint ante quodlibet petalum. *Fructum* non vidi. A proportione obſervata in ſtaminibus nomen huic arbori indidi.

Habitat in Martinica in pratenſibus ad oſtium fluminis dicti Capot.

# POLYGYNIA.

## ATRAGENE.

1. ATRAGENE (*polygama*) foliis caulinis omnibus ternatis, ramuſculorum ſimplicibus; floribus dicœcis.

Planta hæc fruticeta obvolvit & deprimit more ac habitu Clematidis Flammulæ. *Foliola* ſunt cordato-ovata, ſubtus villoſa, ſuperne glabriuſcula, integerrima vel dentato-inciſa. *Rami* teretes ſcandunt. *Pedunculi* ultimi ſunt triflori. *Flores* albidi, inodori, hermaphroditi & maſculi in diverſis plantis.

Habitat Havanæ in ſepibus & fruticetis. Floret Januario.

# DIDYNAMIA.
# GYMNOSPERMIA.

## TEUCRIUM.

1. TEUCRIUM (*cubenſe*) foliis ſerrato-inciſis, glabris, in petiolum attenuatis; floribus pedunculatis, ſolitariis. TAB. CLXXXIII. Fig. 74.

*Caulis* quadrangularis, erectus, ſesquipedalis, glaber, parum ramoſus, annuus, vel biennis forte. *Folia* obtuſa, inodora, ſubovata, oppoſita. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, oppoſiti. *Flores* parvi, inodori. Petalum album: labii inferioris lacinia media ſubovata, acuta, maximaque; lateralibus ovato-acuminatis. *Semina* nigreſcunt. In caldariis noſtris perennat.

Habitat copioſe in Cubæ ſepibus humidiuſculis & pratis. Floret Decembri & ſequentibus.

## BALLOTA.

1. BALLOTA (*ſuaveolens*) foliis cordatis; ſpicis folioſis; calycibus truncatis; ariſtis linearibus. *Linn. ſyſt. B. p.* 1100.

Mentaſtrum maximum, flore cæruleo, nardi odore. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 171. *t.* 102. *f.* 2.

Meſosphærum hirtum, foliis cordatis, ſerrato-ſubſinuatis, floribus verticillariter ſpicatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 257. *t.* 18. *f.* 3.

Planta odoratiſſima eſt, qua utuntur paſſim Domingenſes in balneis tepidis. Etſi *femina* interdum bina dumtaxat in uno calyce contineantur, quod quidem eſſe perpetuum videtur credidiſſe clariſſimus Browneus, plerumque tamen ego quatuor obſervavi: ita ut a generali claſſis charactere nullatenus recedat.

Habitat in plerisque Caribæis.

## SCUTELLARIA.

1. SCUTELLARIA (*havanenſis*) foliis cordato-ovatis, crenatis; floribus axillaribus; labio corollæ utroque trifido.

Plantula tenella, ramoſa, procumbenti-erecta, herbacea. *Folia* cordato-ovata, obtuſa, crenata, glabriuſcula, petiolata, oppoſita, vix ſemipollicaria. *Pedunculi* uniflori, ſolitarii, axillares. *Flores* inodori, fere pollicares, cærulei, charactere congenerum: ſed calycis bilabiati laciniis ſubrotundis,

quaternis, qui *flores* ſuſtinent minus fætidos, corollæ tubum habentes breviſſimum, lacinias vero apice concavas calyceque triplo longiores. Stamina corollam æquant. *Fructum* non vidi. Comparavi aliquoties has ſtirpes, & ſemper mihi dubium remanſit, utrum ſpecie ſint vere diſtinctæ.

Habitat & floret cum præcedente.

## ACHRAS.

1. ACHRAS (*Zapota major*) floribus pentandris. TAB. CLXXXII. Fig. 19.

Achras fructu maximo ovato, ſeminibus paucioribus oblongis turgidis. *Brown. jam.* 5. *p.* 201.

Malus perſica maxima, foliis magnis, integris, longis, fructu maximo oblongo ſcabro, oſſiculo partim rugoſo partim glabro. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 124. *t.* 218.

Arbor americana pomifera, frondoſis ramulis, foliis amplis longioribus obtuſis duris & venoſis margine æquali. *Pluk. alm.* 39. *t.* 268. *f.* 2.

CAL. Perianthium campanulatum, decaphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, imbricatis; quorum interiora emarginata, gradatim majora magisque colorata; exterioribus integerrimis.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, calyce pauxillo longior. Limbus decemfidus, erectiuſculus: laciniis exterioribus quinque ſubovatis, planis, obtuſiſſimis, longitudine tubi; interioribus ſubulatis, filamentiformibus, paulo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, orta in media tubi parte, cum laciniis corollæ interioribus alternantia, earumdemque longitudine. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, villoſum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine corollæ. Stigma obtuſum.

PER. Bacca maxima, ſubovata, obtuſa, cortice ſcabro, quinquelocularis.

SEM. ſolitaria, magna, elliptica, nitidiſſima, margine elliptico ſcabro, quo baccæ adhæſerunt.

Arbor hæc erecta, leviter lacteſcens, atque elegantiſſima, comam expandit amplam e ramis parum ſubdiviſis conſtantem. *Ramuſculi* ultimi ſunt craſſi, teretes, ad folia tomentoſi, infra eademque inæquales a numeroſis cicatricibus & tuberculis, quorum hæc a florum fructuumque, illæ a foliorum remanent lapſu. *Cortex* eſt fuſcus. *Folia* habet oblonga, baſin verſus attenuata, acutiuſcula, integerrima, nitida, venoſa, petiolata, octopollicaria, plurima ſparſim & frondoſe ad ramuſculorum fines poſita. *Pedunculi* uniflori brevesque infra folia ramuſculos nudos ad magnam ſæpe extenſionem denſiſſime obſident. *Flores* ſunt inodori, parvi, corollis ſubalbidis.

*Fructus*

dis, integerrimis, & fere æqualibus; corollæque labio inferiori ſemitrifido & paulo longiori ſuperiori, laciniis ſubrotundis, media emarginata ac latiore, lateralibus integerrimis.

Habitat Havanæ in rupeſtribus maritimis. Inveni florentem Decembri.

## CLINOPODIUM.

1. CLINOPODIUM (*martinicenſe*) foliis ovato-oblongis, baſi attenuatis; verticillis globoſis; bracteis ſetaceis. TAB. CLXXVI. Fig. 75.

CAL. Involucrum multiſetum, longitudine perianthii, verticillo ſubjectum.

Perianthium monophyllum, tubuloſum, ſuperne leviter incurvum, decemſtriatum, decemdentatum: dentibus novem ſubæqualibus, erectiuſculis, triplo brevioribus dente ſupremo patente.

COR. monopetala, ringens. Tubus brevis, ſenſim ampliatus in faucem longitudine tubi calycis. Limbus brevis. Labium ſuperius ſubrotundum, fornicatum, integerrimum, utrinque hirſutum. Labium inferius tripartitum: lacinia media obovata, erecta, longiore; lateralibus reflexis, ſubovatis; omnibus emarginatis.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, quorum duo reliquis longiora, nec ſuperantia fauces. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen oblongum, quadripartitum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, reflexum; lacinia ſuperiore obſoleta.

PER. nullum. Calyx increſcens, incurvus, ore declinato, ſemina in fundo continet.

SEM. quatuor, ovata, hinc convexa, inde angulata, nitida.

Planta annua, bipedalis, & erecta; *caule* tetragono & parum diviſo. *Folia* ſunt ovato-oblonga, baſi in petiolum attenuata, inciſo-crenata, obtuſa, oppoſita. *Verticilli* globoſi, plures, in caulis ſuperna parte nuda ad diſtantias poſiti. *Flores* parvi, numeroſi, corollis albis. Ob involucrum ad hoc genus reduxi, etiamſi floris ſtructura diſcrepet.

Habitat paſſim in Martinicæ arvis & pratis ſiccis.

# ANGIOSPERMIA.

## CRANIOLARIA.

1. CRANIOLARIA (*annua*) foliis cordatis, angulatis. TAB. CX. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 618.

CAL. Spatha monophylla, oblongo-ovata, inflata, erecta, magna, antice longitudinaliter tota diſſecta, dorſo ad baſin aucta bracteis duabus

oblongis brevibusque, apice trifido, decidua: laciniis ovatis, breviſſimis, obtuſis, media duplo latiore auctaque exiguo acumine.

Perianthium aliud nullum.

COR. monopetala, inæqualis. Tubus cylindraceus, tenuis, erectus, omnium longiſſimus. Faux campanulata, ampliſſima, patens, brevis. Limbus bilabiatus, planus, longitudine faucis. Labium ſuperius ſemibifidum: laciniis ſubrotundis, integris. Labium inferius tripartitum: laciniis lateralibus figura & magnitudine laciniarum labii ſuperioris; media duplo reliquis latiore, hinc undulata.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, inſerta ad baſin faucis, ad cujus dorſum inflexa, eandemque non ſuperantia, quorum duo exteriora reliquis longiora. Antheræ oblongæ, obtuſæ, didymæ, utrinque dependentes.

PIST. Germen ovato-oblongum, parvum. Stylus filiformis, erectus, ſuperne lateſcens & planus, ſtaminibus pauxillo longior. Stigma bifidum: laciniis oblongis, acutis, planis, patentibus.

PER. coriaceum, ovatum, utrinque acutum, compreſſum, craſſum, verrucoſum, ſulco utrinque longitudinali notatum, apice acuminato & antrorſum inflexo, bivalve, deciduum: valvulis navicularibus.

SEM. Nux lignoſa, dura, glabra, figura pericarpii, quadriſulcata, ſulci antici utroque margine denticulato, apicis bipartiti acuminibus ſubulatis, quinquelocularis, ſtructura quadrivalvis, at non dehiſcens. Nuclei ovati, compreſſi, in loculamento intermedio quaterni, in lateralibus ſolitarii.

Planta annua, bipedalis, tota villoſa & viſcoſiſſima, e *trunco* unico breviſſimo in *ramos* dividitur dichotomos, teretes, craſſos, baſi procumbentes, ſupra medietatem erectos, diffuſos. *Folia* habet magna, petiolata, oppoſita, baſi cordata, ſemiquinqueloba: *lobis* ſubovatis, repando-dentatis, acutis; *petiolo* ſubrubello, piloſo, apice bifariam diviſo marginem folii utrinque ad baſin obeunte. *Racemi* ſimplices, laxi, erecti, circiter decemflori, fere pedales, in omnibus locantur caulium dichotomiis, atque eodem ad baſin ortu augentur pedunculo unifloro ac ſolitario. Racemi alii breviores & irregulares terminant ramuſculos omnes, inſidentque foliorum alis quorundam. *Flores* ſunt inodori, ſpecioſi, hirſuti, ſeptempollicares; in quibus ſpatha viret. Corolla candida in fundo faucis pingitur tribus maculis magnis atropurpureis. Rudimentum filamenti quinti adeſt breviſſimum ſub diviſura labii ſuperioris in infima fauce. *Pericarpium* initio viride, maturum flaveſcit. *Nux* nigra, figura ſingulari donata, aliquot adhuc dies poſt pericarpii caſum in planta perſiſtit; quæ, licet ſuperne pateat, videaturque natura ſua quadrivalvis, non tamen dehiſcit, imo nec ſeparari magna adhibita vi poteſt. *Pedunculi proprii* ſtipula ſuffulciuntur bracteolis calycinis ſimili. Inveni ſemper

corollæ

corollæ faucem, quæ plantæ totius pars eſt viſcoſiſſima, refertam muſcis exiguis & numeroſis, quæ candore fortaſſe floris eminus attractæ, pellectæque nectare hoc inviſcante, incautæ capiuntur, & mortem in epulis inveniunt. *Radix* eſt alba, teres, carnoſa, craſſa, in paucos ramos diviſa, ſapore dulci, cortice fuſco. Hanc incolæ decorticatam & cum bovina elixam in menſis apponunt; vel ſaccharo conditam inter bellaria numerant. Medici Scorzoneræ Europææ in vicem præſcribunt ægris, eodemque ſub nomine venalem offerunt pharmacopæi: unde incolis etiam audit *Eſcorzonera*.

Habitat Carthagenæ in arvis ſylvisque cæduis. Floret Junio & Julio. Fructus matureſcunt Octobri.

## CRESCENTIA.

1. CRESCENTIA (*Cujete.*) TAB. CXI. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 626.

Creſcentia arboreſcens, foliis confertis, ovato-oblongis, baſi anguſtioribus. *Brown. jam.* 1. 2. & 3. *p.* 265.

Arbor cucurbitifera americana, folio ſubrotundo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 172.

Cucurbitifera arbor, ſubrotundis foliis confertis, fructu ovali. *Pluk. alm.* 124. *t.* 171. *f.* 2.

Cujete. *Plum. gen.* 23. *ic.* 109.

CAL. Perianthium monophyllum, bipartitum, deciduum: laciniis ovato-ſubrotundis, concavis, obtuſis, patulis.

COR. monopetala, inæqualis. Tubus oblongus, amplus, gibbus, incurvus, ad altitudinem calycis magna plica introrſum depreſſus, calyce duplo longior. Limbus quinquefidus: laciniis inæqualibus, acuminatis, undulatis, dentato-inciſis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, craſſa, incurva, longitudine tubi corollæ; quorum duo reliquis paulo longiora. Antheræ oblongæ, didymæ, incumbentes, obtuſæ.

PIST. Germen ovatum, compreſſiuſculum, glandulæ circulari perſiſtenti inſidens. Stylus filiformis, longitudine corollæ, ſuperne compreſſus. Stigma orbiculare, magnum, compreſſo-planum, in binas lamellas diviſum.

PER. Bacca maxima, magis minusve ſubrotunda, cortice duro, unilocularis.

SEM. numeroſa, cordata vel ſubovata, acuta, compreſſa, bilocularia, nidulantia in pulpa ſpongioſa & ſuccoſa.

Arbor hæc vigintipedalis habitu ſuo eminus ab omnibus aliis facile diſtinguitur; in *ramos* enim abit vix ſubdiviſos, longiſſimos, craſſos, fere horizontaliter porrectos, foliisque confertis ad varias diſtantias & ſparſim totos ornatos. *Materies* alba lentaque cortice veſtitur inæquali & cinereo. *Folia*

numero

numero inconſtanti plura ex eodem tuberculo prodeunt oblonga, baſi attenuata, breviſſime petiolata, acuta, integra, nitida, venoſa, læte virentia, quatuor aut quinque pollices longa. *Pedunculi* uniflori, ſolitarii, in ramis ſenioribus ſparſi, ſæpe vel ex ipſo trunco ad trium ſupra terram pollicum altitudinem enaſcuntur. *Flos* magnus, iterdum omnino viridis, ſæpe e purpureo rubro flavoque diverſimode variegatus, non marceſcit; ſed putreſcit, odoremque tunc ſpirat cadaveroſum, teterrimum, nec tolerabilem. Stamina antherifera non raro adſunt quinque, quorum tria tunc ſunt longiora. Figura *fructus* in diverſis arboribus varia eſt, aut ſphærica, aut ovalis, aut ſubrotunda: magnitudo etiam varia a diametro bipollicari ad pedalem. Varietates hæ, ſiquidem tales ſint, valde ſibi conſtant. E pulpa fructuum ſyrupum conficiunt incolæ, ſummi medicaminis celebritate notiſſimum in variis pectoris morbis inque contuſionibus ac læſionibus internis. E cortice, pulpa exempta, vaſa ſua conficiunt barbari; puta corbes, ollas, lances, cochlearia, ligulas deſpumatorias, ſimilemque ſupellectilem. In hujusmodi olla, ſuppoſito igne, aliquoties fervere aqua poteſt, antequam comburatur. Externam horum ſuperficiem cælaturis picturisque atris & rufis mire norunt decorare Caribæi, quæ *Coui* appellant. Europæi corbium loco uti ſolent. Gallis dicitur hæc arbor *Calebaſſier* ſive Cucurbitifera.

Habitat in omnibus Caribæis & in Continente vicina.

## LIPPIA.

1. LIPPIA (*hemiſphærica*) capitulis hemiſphæricis. TAB. CLXXIX. Fig. 100.

CAL. Perianthium diphyllum, germini inſidens, perſiſtens: foliolis lanceolatis, acuminatis, carinatis, villoſis, erectis.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, calyce paulo longior. Limbus ſubbilabiatus, tubo fere duplo brevior, quadrifidus: laciniis ſubrotundis, planis, obtuſis; ſuperiore latiore erectaque; lateralibus patentibus; infima fere duplo longiore reliquis patentiſſimaque.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, orta in media parte tubi corollæ; quorum duo ſuperiora reliquis breviora. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ovale, compreſſo-planum, ad margines laterales ciliis denſis auctum, infra receptaculum floris. Stylus filiformis, erectus, fere longitudine tubi. Stigma oblongum, capitatum, obliquum.

PER. Capſulæ duæ, oblongæ, interne planæ, externe angulatæ, angulo ciliis longis ornato, coronatæ ſingulæ calycis foliolo, leviſſime connatæ, uniloculares.

SEM. ſolitaria, oblonga.

Frutex decempedalis, totus odoriferus & aromaticus, in *ramos* dividitur lignoſos, teretes, infirmos, ni vicinis ſe ſuſtentent, reclinatos; quorum juniores

niores quadrangulares ſunt & floriferi. *Folia* habet ex ovali lanceolata, utrinque acuminata, integra vel interdum inciſura aliqua ſuperne inæqualia, ſubtus glabra, facie glabriuſcula, petiolata, oppoſita, duos tresve pollices longa. *Pedunculi* axillares, ſolitarii, oppoſiti, petiolorum fere longitudine, apice terminantur in capitulum imbricatum & hemiſphæricum; cujus ſquamæ ſunt rhomboideo-cordatæ, acuminatæ, integræ, ſub quovis flore unica. *Flores* exigui pedunculis propriis inſident breviſſimis. Corolla eſt alba. *Capſulæ* connatæ, quando ſunt maturæ, vi leviſſima ſeparantur; & mentiuntur capſulam ſimplicem bilocularem & bivalvem. Poſſet forte quælibet capſula ſumi pro ſemine ipſo, ita ut tunc pericarpium foret nullum. Miro certe modo hæc planta Stellatas cum Verticillatis conjungit, neutra ex utrisque ipſa.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis.

## AVICENNIA.

CAL. Perianthium quinquepartitum, perſiſtens: foliolis ſubovatis, concavis, obtuſis, erectis: auctum ad baſin ſquamis tribus imbricatis conſimilibus, at acutis pauloque brevioribus.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, erectus, calyce brevior. Limbus quadrifidus, bilabiatus, tubo duplo longior. Labii ſuperioris lacinia ſubquadrata, emarginata, plana, patens. Labii inferioris laciniæ tres, obovatæ, integræ, planæ, æquales, patenti-reflexæ, longitudine ſuperioris, eademque duplo anguſtiores.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, tubo corollæ inſerta; quorum duo anteriora pauxillo reliquis breviora & ad latera laciniæ ſuperioris reflexa. Antheræ ſubrotundæ, erectæ, didymæ.

PIST. Germen ovatum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, acutum; lacinia inferiore deflexa.

PER. Capſula, coriacea, rhomboideo-ovata, compreſſa, obtuſa, unilocularis, bivalvis.

SEM. unicum, magnum, figura capſulæ; compoſitum ex quatuor lamellis carnoſis, altera laterali & ſuperiore parte connatis, & ex intermedia radicula oblonga villoſaque; germinans intra pericarpium.

1. AVICENNIA (*nitida*) foliolis utrinque nitidis. TAB. CXII. Fig. 1.

Arbor ramoſa, quadragintapedalis. *Folia* lanceolata, acuta, integra, nitida, breviter petiolata, oppoſita, tripollicaria. *Pedunculi* racemoſi, ſubramoſi, terminales. *Flores* ſeſſiles, corollis albidis, quarum lacinia media labii inferioris impreſſam plerumque gerit ſtaminis fuſci effigiem. Lamellæ ſeminum cotyledones ſunt. Capſula dehiſcit, quum jam ceciderit in terram, nunquam vero in ipſa arbore. *Radices* late ſeſe quaquavorſum ſub terram diffundentes, ſylvam emittunt amplam turionum ſemipedalium, aſparago-

rum adinſtar noviter erumpentium. Hi foliis orbi, utrum in novam excreſcant ſtirpem, aſſerere nequeo. Incolis dicitur *Paletuvier gris.*

Habitat in Martinicæ littoribus maritimis.

2. AVICENNIA (*tomentoſa*) foliis ſubtus tomentoſis. TAB. CXII. Fig. 2.

Avicennia. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 894.

Bontia foliis oppoſitis, pedunculis ſpicatis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1122.

Bontia? foliis integris oblongis oppoſitis, petiolis craſſis breviſſimis ſubamplexantibus, floribus racemoſis. *Brown. jam.* 1. *p.* 263.

Donatia. *Læſl. hiſp.* 193.

Mangle lauroceraſi foliis, flore albo tetrapetalo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 66.

Oepata. *Rheed. mal.* 4. *p.* 95. *t.* 45.

Arbor vigintipedalis vel altior, habitu prorſum præcedentis. *Folia* ovato-oblonga, obtuſa, facie glabra & virentia, dorſo veſtita tomento denſo tenuiſſimo ac incano, petiolis craſſis. Neutiquam fructus hujus arboris ſunt Anacardii in officinis dictæ nuces; quod quidem, ex Commelini conjectura huic ſtirpi in horto malabarico ſubjuncta, aſſerit in ſua materia medica Linnæus, aliique hunc ſecuti. Quænam vero hæc Anacardia arbor proferat, adhucdum latet. Clariſſimus Linnæus Oepatam malabaricam Avicenniæ nomine donavit, poſuitque male cognitam in ſua Tetrandriæ claſſe: ubi quæri oportere illam didynamam, Læflingius atque Browneus autoptæ non ſunt ſuſpicati. Fecit itaque ille novum Donatiæ genus; hic ob fructus forte delineati aliqualem ſimilitudinem ad Bontiam credidit pertinere. His rebus omnibus confuſus Linnæus, ſuæque Avicenniæ immemor, ex eadem ſtirpe duas effinxit: cujusmodi erroribus ſemper ſe expoſitum cogitet, quicunque de rebus vix notis judicare velit. In tabulæ CLXXIII. figura 46. delineavi florem fructumque veræ Bontiæ daphnoidis, cujus optimum Linnæus characterem exhibuit, ut comparatio inſtitui queat.

Habitat in plerisque Caribæis & in Continente vicina.

## RUSSELIA.

1. RUSSELIA (*ſarmentoſa.*) TAB. CXIII.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ovatis, concavis, in acumen ſetaceum deſinentibus, parvis, erectis.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, compreſſiuſculus, ſuperne leviter ampliatus, ſemiclauſus pilis plurimis perpendiculariter ortis e tubo infra labium inferius, erectus, longiſſimus. Limbus bilabiatus. Labium ſuperius ſubrotundum, planum, emarginatum, patens, apice reflexo. Labium inferius trifidum: laciniis oblongis, obtuſis, planis, patentiſſimis, labio ſuperiori paulo longioribus.

STAM.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, orta in fundo tubi, eodemque paulo breviora, quorum duo longiora reliquis. Antheræ ovatæ, geminæ, dependentes.

PIST. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum breviorum. Stigma globoſum.

PER. Capſula ſubrotunda, acuminata parte ſtyli, longitudine calycis, unilocularis, bivalvis.

SEM. numeroſa, minima.

Planta hæc componitur ex *caulibus* ſarmentoſis, fruticoſis, tetragonis, lignoſis, glabris, longiſſimis, infirmis, numeroſis, ad trium quatuorve pedum altitudinem vicinis fruticibus ſe ſuſtentantibus, dein reclinatis. *Folia* habet ovata, ſerrata, acuta, margine & facie ſubhirſuta, dorſo glabra, breviſſime petiolata, oppoſita, pollicaria, ad duorum plerumque pollicum diſtantias ab invicem remota. Axillis utrinque egrediuntur *pedunculi* triflori vel biflori, foliis duplo breviores, directione caulis; *propriis* poſt corollarum lapſum reflexis. Ad baſin cujuslibet pedunculi proprii adeſt *ſtipula* lanceolata. *Flores* pulchelli, inodori, belle rubentes, ferme pollicares. Plantam dixi in honorem viri clariſſimi Alexandri Ruſſel, medici Halepenſis, Hiſtoriam ejusdem urbis naturalem qui edidit.

Habitat circa Havanam in ſylvaticis & fruticoſis denſis.

## GESNERIA.

1. GESNERIA (*tomentoſa*) foliis lanceolatis, crenatis, hirſutis; pedunculis lateralibus, longiſſimis, corymbiferis. TAB. CLXXV. Fig. 64. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 612.

   Gesneria erecta foliis lanceolatis rugoſis hirſutis, pedunculis longiſſimis ramoſis ex alis ſuperioribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 261.

   Gesneria amplo digitalis folio tomentoſo. *Plum. ic.* 134.

   Digitalis folio oblongo ſerrato, ad foliorum alas florida. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 162. *t.* 104. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, ſubcampanulatum, germini accretum, ſemiquinquefidum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus ſubrotundo-ovatus, ex collo coarctato abiens in faucem infundibuliformem, calyce duplo longior. Limbus leviter prominulus, quinquefidus: laciniis ſemiovatis, obtuſis: quarum binæ ſuperiores concavæ, erectæ, minus profunde inciſæ; tres inferiores planæ, patentes.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, orta in fundo tubi, ad labium corollæ ſuperius accumbentia, eandemque non ſuperantia, quorum duo reliquis paulo breviora. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ſubrotundum, depreſſum, tubo calycis adnatum, infra corollam. Stylus filiformis, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma capitato-depreſſum.

PER. Capſula ſubrotunda, depreſſa, circumdata calyce accreto, ejusdemque coronata laciniis patulis, ſubbilocularis. Diſſepimentum in medio longitudinaliter interruptum.

SEM. numeroſiſſima, ſcobiformia. Receptacula quator, oblonga, hinc convexa, inde angulata, magna, diſſepimenti diviſi parietibus utrinque adnata.

Planta fruticoſa, duos tres quatuorve pedes alta, erecta. *Caules* teretes, incurvi, plerumque ſimplices, rarius ramoſi, fragiles, a foliorum lapſu cicatriculis referti, centro medulloſo, ex eadem radice plures. *Folia* frondoſa, lanceolata, utrinque attenuata, acuminata, crenata, rugoſa, dorſo tomentoſa, facie ſcabra, venoſa, viſcoſa, fœtida, breviſſime petiolata, oppoſita, quinquepollicaria. *Pedunculi communes* axillares, ſolitarii, teretes, villoſi, erecti, ad apicem corymboſi, ſemipedales, circiter decemflori. *Flores* fœtidi, viſcoſi, inelegantes, externe ſordide virentes, interne ſordide atropurpurei. Ipſarum ſæpe rupium fiſſuras radicibus ſuis penetrat. In icone Plumieri folia nimis magna varietatem forte exhibent.

Habitat in rupeſtribus maritimis Cubæ.

## PETRÆA.

1. PETRÆA (*volubilis.*) TAB. CXIV. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 626.

CAL. Perianthium monophyllum. Tubus campanulatus, brevis. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, obtuſis, planis coloratis, magnis, patentiſſimis, perſiſtentibus; baſi introrſum abeuntibus in ſquamas quinque, truncatas, planiuſculas, erecto-connivences, ſingulas e duabus diverſis laciniis ortas.

COR. monopetala, rotata. Tubus infundibuliformis, erectus, tubo calycis paulo longior. Limbus quinquefidus bilabiatus: laciniis ſubrotundis, planis, patentiſſimis, fere æqualibus, calyce paulo brevioribus.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, brevia, in ſuperiore parte tubi corollæ, quorum duo exteriora longiora. Antheræ ovales, erectæ.

PIST. Germen ovatum, obtuſum, parvum. Stylus filiformis, erectus, longitudine tubi calycis. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Capſula obovata, depreſſa, bilocularis; recondita in tubo calycis maximi, clauſo conniventibus ſquamis.

SEM. ſolitaria.

Planta

Planta fruticosa *ramis* scabris, teretibus, brachiatis, inferne sarmentosis, arbores ad viginti pedum altitudinem scandentibus. *Folia* ovata aut lanceolata, acuta, integerrima, utrinque scaberrima, petiolata, opposita, tres quatuorve pollices longa. *Racemi* simplices, laxi, secundi, speciosi, terminales, penduli, novempollicares, floribus plus minus triginta onusti. *Flores* inodori, pulchri, successive sese explicantes, longe pedunculati, calyce cæruleo aut e purpureo cærulescente, corolla saturate violacea & caduca. *Semina* rarissime ad maturitatem perveniunt, decidentibus præmature calycibus. Perfecte maturam capsulam invenire ego nunquam potui; unde valvularum conditio mihi mansit ignota.

Habitat in Martinicæ arbustis & fruticetis. Floret Novembri & sequentibus.

## STEMODIA.

1. STEMODIA (*maritima.*) TAB. CLXXIV. Fig. 66. *Linn. syst. A. p.* 1118.

Stemodiacra maritima odorata; foliis minoribus sessilibus denticulatis hastatis; floribus solitariis, alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 261. *t.* 22. *f.* 2.

Scordium maritimum fruticosum procumbens, flore cæruleo. *Sloan. hist. jam.* 1. *p.* 175. *t.* 110. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquefidum, persistens: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, æqualibus, erectis.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, erectus, longitudine calycis. Limbus subbilabiatus, quadrifidus: laciniis subovatis, obtusis, planis, patentibus, longitudine tubi, superiore constituente labium superius latiore reliquis.

STAM. Filamenta quatuor, subulata, erecta, superne bifida, tubum non superantia, quorum duo reliquis paulo longiora. Antheræ globosæ, parvæ, in singulis filamenti laciniis una, hinc omnino octo.

PIST. Germen subrotundum. Stylus filiformis, erectis, longitudine fere staminum. Stigma obtusum, simplex.

PER. Capsula ovato-oblonga, in lateribus compressiusculis sulco longitudinali notata, bilocularis, bivalvis.

SEM. numerosa, globosa, minima.

Planta forte biennis, duos tresve pedes alta. *Caules* hirsuti, plerumque hexagoni, interdum pentagoni, foliis & ramusculis axillaribus referti. *Folia* subhastata, acuminata, serrata, sessilia, hirsuta, viscosa, odorata, opposita vel alterna, plus minus semipollicaria. *Stipulæ* ovatæ, integræ, longitudine calycis, geminæ sub quovis flore. *Flores* sessiles, axillares, solitarii, parvi; corolla cærulea caducaque.

Habitat in arenoſis maritimis Jamaicæ, & copioſe in ipſius oppidi Kingſton viis extimis.

## CAPRARIA.

1. CAPRARIA (*biflora*) foliis alternis; floribus geminis. TAB. CXV. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 1116. *Brown. jam.* 1. *p.* 268.

Planta fruticoſa, altitudine rarius quatuor pedes excedit. In *ramos* dividitur longos, ſublignoſos, erectos, ſubteretes, interdum leviter hirſutos. *Folia* habet oblonga, utrinque acuminata, ſuperne ſerrata, glabra, ſeſſilia, alterna, ſesquipollicaria; in locis pinguibus & umbroſis fere quinquepollicaria, præſertim ſubaxillaria ramuſculorum, quale unum in icone adjunxi; in arenoſis maritimis ſucculenta, craſſa, & fragilia, cujusmodi tum etiam calyces. *Pedunculi* uniflori, tenues, axillares, ut plurimum bini, interdum ſolitarii, rariſſime terni, foliis multo breviores. *Flores* inodori; calyce glabro, profundiſſime quinquepartito; corollæ candidæ laciniis ad baſin hirſutis; antheris didymis; germine ovato, utrinque ſulcato; ſtigmate capitato, acuto. *Capſula* eſt utrinque ſulcata & longitudine calycis; valvulis bivalvibus. *Semina* minima. Opinio apud quosdam invaluit, eſſe hanc herbam veram Chinenſium Theam, a qua revocare illos vix potui, etiamſi tantopere & ſapore & reliquo habitu ab eadem differat. Gallis dicitur *Theé du pays* ſive Thea indigena.

Habitat in Caribæis omnibus & in vicina Continente, in arvis, ruderatis, ad pagos, &c. Floret anni majorem partem.

## BIGNONIA.

1. BIGNONIA (*longiſſima*) foliis ſimplicibus, ovatis; caule erecto; floribus diandris. TAB. CLXXVI. Fig. 78.

Bignonia arborea, foliis ovatis verticillato-ternatis, ſiliqua gracili longiſſima. *Brown. jam.* 2. *p.* 264.

Bignonia arbor, folio ſingulari undulato, ſiliquis longiſſimis & anguſtiſſimis. *Plum. ic.* 57. *amer.* 5.

Arbor elegans, erecta, comoſa, quadraginta vel plures ſæpe pedes alta; habet *folia* ſimplicia, ovata, acuta, integerrima, undulata, nitida, oppoſita vel ternata, petiolo tenui pollicari, bipollicaria ipſa, orta præprimis verſus extremitates ramuſculorum. *Racemi* terminales, paniculati, & infirmi, ſuſtinent *flores* plus minus quadraginta, ſuaveolentes, albicantes, ſtaminibus præter fertilia duo prædítos ſterilibus tribus. *Siliquæ* tenuiſſimæ, ſubteretes, bipedales, ſpectaculo ſæpe ſingulari arborem a vertice ad truncum usque integram numero ſuo obtegunt. *Semina* linearia, utrinque acuminata, lana

veſtiun-

*Fructus* ſubovatus, tres quatuor vel quinque pollices longus, magis minusve ad figuram oblongam vel ſubrotundam accedit. Ejus cortex eſt ferrugineus, ſcaber, atque æqualis; nullatenus ſquamoſus aut reticulatus, qualis in icone Sloanei exhibetur. Pulpam continet mollem, ſubcarnoſam, glutinoſam, e carneo ſubrubentem, edulem, ſapore dulci inſipidoque. *Semina* ſunt maxima, fuſca, pulchra, ſplendentia, margine ſcabro albicante; quorum unico plura rariſſime ad maturitatem perveniunt. *Nucleus* eſt candidus, odore gratiſſimo fortiſſimoque amygdalæ amaræ præditus, in binos lobos ſeparabilis. Seminis icon habetur apud Cluſium *exot. l.* 2. *c.* 29 *f.* 1. ubi quæ differit ille de balſamo, erronea ſunt. Hiſpanis vocatur *Sapota*; Gallis & Anglis *Mamei-Sapote*. Tantam natura conſtituit in hac arbore & in ſubſequente affinitatem, ut partium in fructificatione numero neglecto, in unum conjunxerim genus; cui etiam ob hanc pentandram ſpeciem liceat in claſſe locari magis conveniente, idque vicinæ ſtirpibus illis, quibuſcum majorem ſimilitudinem habet.

Habitat Carthagenæ, in Cuba, Jamaica. Floret Decembri. Fert fructus Februario, Martio, & Aprili.

2. ACHRAS (*Zapota*) floribus hexandris. TAB. XLI.

Achras. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 988. & 1381. *ſp. pl.* 1. *p.* 1190. *Læſl. hiſp.* 186.

Achras fructu elliptico ſcabro majori, floribus ſolitariis, alaribus, cicatricula ſeminis ultra mucronem porrecta. *Brown. jam.* 1. *p.* 200. *t.* 19. *f.* 3.

Sapota fructu ovato majori. *Plum. gen.* 43.

β. Achras (*zapotilla*) brachiatus diffuſus, fructu ſubrotundo, cicatricula mucrone breviori. *Brown. jam.* 2. *p.* 200.

Anona foliis laurinis viridiuſculis, fructu rotundo minore. *Sloan. hiſt. jam* 2. *p.* 171. *t.* 230.

Sapota fructu turbinato minori. *Plum. gen.* 43.

CAL. Perianthium hexaphyllum, partim perſiſtens: foliolis erectis, ovatis, concavis, acutis; exterioribus brevioribus, ſubferrugineis; interioribus coloratis.

COR. monopetala, calyce paulo longior. Tubus campanulatus, leviter ſexſulcatus. Limbus duodecimfidus: laciniis ſex exterioribus ovatis, concavis, erectis, obtuſis cum acumine; interioribus oblongis, convexis, emarginatis, anguſtioribus, erectis, cum prioribus alternantibus, eademque longitudine.

STAM. Filamenta ſex, brevia, ſubulata, in fauce ad baſin laciniarum corollæ exteriorum orta, horizontaliter introrſum verſa. Antheræ oblongæ, acutæ, adſcendentes tuboque parallelæ.

veſtiuntur, a congeneribus hinc diverſa. Incolis dicitur *Chéne noir* ſeu Quercus nigra, propter optimam ſuam materiem.

Habitat in Domingo paſſim.

2. BIGNONIA (*echinata*) ſcandens; fructibus echinatis. TAB. CLXXVI. Fig. 52.

*Caules* teretes, brachiati, lignoſi, arbores ad usque cacumina ſcandunt. *Folia* ſunt oppoſita, inferiora ternata, ſuperiora bijugata & cirrhoſa: *foliolis* ovatis, acuminatis, glabris, integerrimis, quatuor aut ſex pollices longis. *Flores* haud contigit videre. *Fructus* ex ovali oblongus, compreſſus, maximus, fuſcus, undique aculeis brevibus ſubulatis denſisque tegitur.

Habitat frequens Carthagenæ in ſylvis denſis.

3. BIGNONIA (*dichotoma*) foliis conjugatis, cirrhoſis; foliolis ovatis, in acumen obtuſum deſinentibus; foliis imis ternatis; floribus racemoſis; pedunculis communibus dichotomis.

= Arrabidaea obliqua (HBK) Bur.

*Caules* fruticoſi ſcandunt. *Foliola* ſunt glabra, integra, tripollicaria. *Racemi* paniculati; *pedunculis communibus* dichotomis, ultimis trifloris. *Flores* inodori, purpurei, mediocres. *Siliquæ* membranaceæ, compreſſæ, longiſſimæ, anguſtæ.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis.

4. BIGNONIA (*paniculata*) foliis conjugatis, cirrhoſis; foliolis ovato-cordatis; foliis imis ternatis; floribus racemoſis; pedunculis communibus trifloris. TAB. CXVI.

Bignonia foliis conjugatis cirrhoſis; foliolis cordato-ovatis; floribus racemoſo-paniculatis. *Linn. ſp. pl.* 5. *p.* 623.

Bignonia bifolia ſcandens, flore violaceo odoro, fructu ovato duro. *Plum. ic.* 56.

CAL. Perianthium monophyllum. Tubus oblongo-campanulatus, craſſus, erectus, ſuperne coloratus, abiens in Limbos binos coloratos: quorum interior eſt tubuloſus, erectus, brevis, ab erumpente corolla varie laceratus, antea conico-convexus cum acumine & integer. Exterior ampliſſimus, margine quinquefido, patentiſſimus, planiuſculus; laciniis ſubrotundis, obtuſis, brevibus, emarginatis, æqualibus.

COR. monopetala, ſubcoriacea, ringens. Tubus figura & longitudine tubi calycis. Faux oblonga, ventricoſa, adſcendens, antice ſulcato-compreſſa, longitudine calycis. Limbus bilabiatus. Labium ſuperius oblongum, erectum, concavum, apice leviter reflexo bifidoque; laciniis ſemiovatis, acuminatis, erectis, minimis. Labium inferius trifidum, longitudine ſuperioris, profunde diviſum, patulum: laci-

niis

niis oblongis, acutis, planis, æqualibus; quarum media ad apicem augetur appendiculo craſſo introrſum deorſumque inflexo & hamato.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, orta in parte ſuperiore tubi corollæ, qua breviora, ad dorſum labii ſuperioris inclinata, quorum duo paulo longiora reliquis. Antheræ geminæ, oblongæ, ab apice utrinque dependentes.

PIST. Germen ſubrotundum, parvum, corpori orbiculari plano glandulofo inſidens. Stylus ſubulatus, ſuperne compreſſus, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma bifidum: laciniis ſubrotundis, magnis, planis, patulis.

PER. Siliqua ovalis, utrinque attenuata, bilocularis, bivalvis; valvulis ſubligneis, concavis, caducis.

SEM. plurima, ſubrotundo-cordata, compreſſo-plana, circumdata membrana ad latera in alas excurrente, imbricata.

Planta fruticoſa, ſcandens *caulibus* hexagonis & ſubteretibus, glabris, ad radicem vix pollicem craſſis, duodecimpedalibus. *Foliola* ſunt obtuſe acuminata, integra, glaberrima, variæ magnitudinis, ſuprema conjugata ternataque omnia *cirrhis* deſtituta, quibus conjugata intermedia inſtruuntur; qui ſunt longi, teretes, apiceque trifidi. *Petioli* ſunt teretes & ſulcati. *Racemi* terminales & ſpecioſi fiunt ex pedunculis partialibus oppoſitis triflorisque. *Flores* inodori calycis limbum habent candidum, at corollam purpuream. Horum medii diu ante laterales ſeſe explicant, qui ſæpe imo abortant. Corollæ labia rariſſime patent. Filamenti, ſicut in plerisque hujusce generis, quinti adeſt rudimentum breve. Caules & folia amariſſima ſunt. Floris ſingularis ſtructura impulit me, ut integrum characterem ſiſterem.

Habitat frequens circa Carthagenam in fruticetis & arbuſtis. Floret Julio & Auguſto.

5. BIGNONIA (*orbiculata*) foliis digitatis; caule ſcandente. TAB. CLXXX. Fig. 79.

*Caules* teretes, fruticoſi, lignoſi, ſcandentes. *Folia* oppoſita, digitata; *petiolis* teretibus, nitidis, quinque aut ſex pollices longis; *foliolis* quinque, ovatis, in acumen attenuatis, glabris, integris, petiolatis; medio majori reliquis, cujus loco in ſupremis adeſt *cirrhus* longus, teres, apice bifidus vel trifidus. *Racemi* ſimplices, axillares, oppoſiti, plus minus decemflori, foliis breviores. *Flores* inodori, oppoſiti, mediocres, ſtructura congenerum, flaveſcentes, limbo magis pallente. *Siliquæ* maximæ, orbiculatæ, compreſſo-planæ, nitidæ, accedentes ad ſiliquas Bignoniæ cæruleæ.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis. Floret Septembri & Octobri.

VOLKA-

## VOLKAMERIA.

1. VOLKAMERIA (*aculeata*) ſpinis petiolorum rudimentis. TAB. CXVII.
*Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 637.
Clerodendrum fruticoſum, ſpinoſum; foliis inferioribus confertis, ſuperioribus oppoſitis; pedunculis tripartitis trifloris alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 262. *t.* 30. *f.* 2.
Liguſtrum aculeatum, fructu teſticulato. *Plum. ic.* 164.
Paliuro affinis liguſtrifolia ſpinoſa, flore monopetalo difformi. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 137. *t.* 166. *f.* 2. & 3.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, ſemiquinquefidum, perſiſtens: laciniis ovatis, acuminatis, patentiſſimis, planis.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, tenuis, erectus, longiſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, obtuſis, planis, æqualibus, patentiſſimis, tubo fere triplo brevioribus, quarum ſuperiores duæ magis ab invicem divergunt.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, corolla multo longiora, accreta tubo per totam fere longitudinem, limbo accumbentia ad diviſuram ſuperiorem, quorum duo reliquis paulo breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, quadrifidum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum: lacinia altera acuta, obſoleta altera.

PER. Bacca ſubrotunda, exſucca, quadriſulcata, nitida, unilocularis, bifariam diſcedens.

SEM. duo, ſubhemisphærica, dorſo ſulcata, bilocularia, pulpa nulla diſtincta. Nuclei ſolitarii, oblongi.

Frutex quinque aut ſex pedes altus, ramoſus, erectus, totus *floribus* onuſtus inodoris, albis; in quibus ſtamina ſæpiſſime quinque & interdum ſex reperiuntur purpurea. *Baccæ* fuſcæ.

Habitat paſſim in Caribæis.

## CITHAREXYLUM.

1. CITHAREXYLUM (*teres*) caule arboreo, tereti. TAB. CXVII.
Citharexylum. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 1115.
Citharexylum fruticoſum, cortice cinereo, foliis oblongo-ovatis oppoſitis, petiolis marginatis pedatis, floribus ſpicatis, fructu majori. *Brown. jam.* 1. *p.* 264.
Citharexylum arbor laurifolia, americana, foliorum venis læte candicantibus. *Pluk. alm.* 108. *t.* 162. *f.* 1.

Jasminum arboreſcens racemoſum foliis lauri. *Plum. ic.* 157.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, erectum, quinquedentatum, acutum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus ſubinfundibuliformis, leviſſime incurvus, ad faucem hirſutus, calyce duplo longior. Limbus bilabiatus, quinquefidus: laciniis oblongis, apice lateſcentibus, truncatis, planis, patentiſſimis, tubo brevioribus, duabus ſuperioribus anguſtioribus.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, orta in media parte tubi corollæ, quorum duo reliquis pauxillo longiora. Antheræ oblongæ, didymæ, erectæ.

PIST. Germen globoſum. Stylus filiformis, vix calyce longior. Stigma capitato-obtuſum.

PER. Bacca ſubrotunda, leviter compreſſa, obſolete acuminata ſtyli parte, unilocularis.

SEM. duo, ovata, hinc convexa, illic concava, apice emarginato, pulpa diſtincta, bilocularia. Nuclei ſolitarii, oblongi.

Arbor erecta, comoſa, ramoſa, vigintipedalis, in cultis elegans; *trunco* tereti, diametro ad ſummum pedali. *Folia* ex oblongo ovalia, utrinque acuminata, integra, nitida, pagina altera ſæpe ad petiolum obliterata, plerumque oppoſita, interdum alterna, non raro etiam terna, magnitudine varia, ut plurimum plus quam ſemipedalia. *Petioli* ad latus utrumque ſuperne ſæpe foveas habent paucas glanduloſas, ex quibus guttulæ mellis exſudant in junioribus. *Racemi* terminales, denſi, ſimpliciſſimi, penduli, novem decemve pollices longi. *Flores* parvi, numeroſi, corollis candidis, odoriferi, breviter pedunculati. *Baccæ* ſucculentæ, nitidæ, molles, ſubrotundæ, primo virides, dein rubentes, tandem nigræ. In oppido Divi Petri viæ aliquot ambulacra præbent ex ſatis hiſce arboribus confecta gratiſſima. Incolis audit *Bois cotelet* ſive Arbor coſtalis. Viennæ etiam quotannis nunc floret.

Habitat in Martinicæ ſylvaticis.

2. CITHAREXYLUM (*quadrangulare*) caule arboreo, quadrangulari.

Toto habitu ita cum præcedente hæc congruit, ut negare certo non audeam, alterutram arborem ex altera originem ducere. *Truncus* tamen *ramique* principaliores ſunt obtuſe tetragoni & quadriſulcati. *Baccæ* rubent. Vocatur *Bois cotelet carré* ſive Arbor coſtalis quadrata.

Habitat cum præcedente.

## DURANTA.

1. DURANTA (*Plumieri*) calycibus in fructu contortis. TAB. CLXXVI. Fig. 76.

Duranta ſpinoſa. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 637.

Caſto-

Caſtorea repens ſpinoſa. *Plum. gen.* 30.
Duranta inermis. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 637.
Caſtorea racemoſa, flore cæruleo, fructu amaro. *Plum. gen.* 30. *ic.* 79.

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, quinqueſtriatum, quinquedentatum, acuminatum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, calyce paulo longior, ſupra eundemque leviter incurvatus. Limbus tubo triplo brevior, bilabiatus, quinquefidus: laciniis ſubrotundis, obtuſis, planis, patentiſſimis, quarum ſuperiores duæ paulo anguſtiores.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, brevia, tubum corollæ non ſuperantia, quorum duo reliquis longiora. Antheræ erectæ, ſimplices.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Bacca ovato-ſubrotunda, obſolete tetragona, unilocularis; ſtricte incluſa calyci aucto, colorato, ore connivente & oblique contorto.

SEM. quatuor, ovata, hinc convexa, inde angulata, bilocularia. Nuclei oblongi.

Arbuſcula quindecimpedalis, *ramis* alternis, erectis vel reclinatis. *Spinæ* ſubulatæ, axillares, oppoſitæ, ſæpiſſime abſentes. *Folia* ſubovata, acuta, attenuata in petiolum brevem, ſupra medium obtuſe & inæqualiter ſerrata, glabra, oppoſita, bipollicaria. *Racemi* laxi, ampli, reclinati, axillares & terminales. *Flores* inodori, plurimi, corollis cæruleis, breviſſime pedunculati. *Fructus* flavi; in quibus ipſe flaveſcit calyx, & evadit baccæ ſimilis, totus mutatus atque a priore forma diverſus.

Habitat in fruticetis & ſepibus arboreis Domingo.

2. DURANTA (*Elliſia*) calycibus in fructu rectis. TAB. CLXXVI. Fig. 77.
Elliſia. *Linn. ſyſt. A. p.* 1121.
Elliſia fruteſcens, quandoque ſpinoſa; foliis ovatis utrinque acutis, ad apicem ſerratis, ſpicis alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 262. *t.* 29. *f.* 1.

Frutex præcedenti ſimillimus, præterquam in calyce, cujus ſumma pars in fructu non contorquetur, ſed connivet, & erecta perſtat.

Habitat in Jamaica paſſim in ſepibus ad margines viæ, quæ ab oppido Kingſton ducit ad San Jago de la Vega.

## BESLERIA.

1. BESLERIA (*lutea*) pedunculis ſimplicibus, confertis; foliis lanceolatis.
*Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 619.
Besleria virgæ aureæ foliis, flore luteo, minor. *Plum. gen.* 29. *ic.* 49.

CAL. Perianthium quinquepartitum, perſiſtens: foliolis ovato-lanceolatis, acuminatis, planis, laxis, erectis, externe hirſutis, apicibus reflexis.
COR. monopetala. Tubus ſubcylindraceus, baſi antice detruſus in gibbum propendentem calyceque inferiorem, externe hirſutus, longitudine calycis. Limbus quinquefidus: laciniis ſubrotundis, planis, patentiſſimis; quarum infima maxima, duæ ſuperiores minus profunde diviſæ.
STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, orta in fundo tubi, eodemque breviora, quorum duo reliquis longiora. Antheræ oblongæ, didymæ, utrinque dependentes.
PIST. Germen ſubovatum, hirſutum; inſidens corpori glanduloſo, amplexanti, perſiſtenti, ad corollæ gibbum in figuram cordatam producto. Stylus ſubulatus, erectus, ſtaminibus brevior. Stigma bifidum, obtuſum.
PER. Bacca globoſa, unilocularis.
SEM. ſubrotunda, minima; numeroſa, nidulantia.

Habitat frequens in Martinicæ ſylvis vaſtis umbroſis humidisque.

2. BESLERIA (*criſtata*) calycibus ſerratis. TAB. CXIX.

Besleria pedunculis ſimplicibus ſolitariis, involucris pentaphyllis propriis. *Linn. ſp. pl. 3. p. 619.*

Besleria ſcandens criſtata, fructu nigro. *Plum. ic. 50.*

CAL. Perianthium pentaphyllum, coloratum, perſiſtens: foliolis cordatis, acuminatis, inæqualiter inciſo-ſerratis, maximis, omnium laxiſſimis, erectis, lateribus reflexis & proximorum duorum mutuo applicatis.
COR. monopetala, externe hirſuta. Tubus cylindraceus, antice ad baſin detruſus in gibbum magnum propendentem calyceque inferiorem, calycem ſuperans. Limbus quinquefidus: laciniis ſubrotundis, planis, parvis, ſubæqualibus, patentiſſimis.
STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, orta e baſi tubi, ejusdemque longitudine, quorum duo reliquis breviora. Antheræ globoſæ, didymæ, incumbentes.
PIST. Germen ovatum, obſolete quadrangulare; impoſitum corpori glanduloſo, amplexanti, perſiſtenti, ad corollæ gibbum in figuram cordatam producto. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitato-obtuſum.
PER. Capſula coriacea, globoſa, unilocularis, bivalvis: valvulis interne auctis lamella longitudinali lanceolata accretaque.
SEM. numeroſa, oblonga, minima, nidulantia in pulpa molli.

Planta hæc fruticoſa, a præcedente habitu diverſiſſima, arbores ſcandit, quibus radices e geniculis emiſſas affigit. *Ramuſculi* ſunt tereres, hirſuti, & longi.

longi. *Folia* habet ovata, acuta, ſerrata, hirſuta, rugoſa, venoſa, petiolata, oppoſita, bipollicaria, ſubdiſticha. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, deflexi, fere longitudine ſunt foliorum. *Florum* calyx venuſte coccineus eſt; corolla flaveſcit. Stamina oriuntur e membrana communi, quæ adnaſcitur corollæ tubo, & ad hujuſce gibbum finditur longitudinaliter: qua in fiſſura rudimentum ſpectatur filamenti quinti, a prædicta membrana liberrimi. Illa autem poſt pollinis ejaculationem intra invicem mire inflectuntur, Martiniæ more, ante eandem erecta. Poteſt corpus germen amplectens flavumque dici haud inepte glandula; quale in plurimis Didynamis angioſpermis obtinere, obſervavi, quod in Besleriis, Columnea, Creſcentia, Bignoniis, paucisque aliis multo eſt evidentius majusque.

Habitat in ſylvis humidis & montoſis Martinicæ. Florere, opinor, majorem partem anni.

# TETRADYNAMIA SILIQUOSA.

## CLEOME.

1. CLEOME (*procumbens*) floribus hexandris; foliolis lanceolatis, ſimplicibus; caule procumbente. TAB. CXX.

CAL. Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis lanceolatis, concavis, acutis, patentibus, æqualibus.

COR. Petala quatuor, ovalia, plana, utrinque acuta, patentia, calyce duplo longiora.

Glandulæ nectariferæ nullæ.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, æqualia, petalis paulo breviora. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen oblongum, erectum. Stylus brevis, perſiſtens. Stigma craſſiuſculum, obtuſum.

PER. Siliqua longa, teres, acuminata ſtylo, unilocularis, bivalvis.

SEM. plurima, reniformi-ſubrotunda.

*Radix* forte plusquam annua. *Caules* e radice fuſiformi plures, herbacei, ramoſi, glabri, toti procumbentes in orbem. *Folia* lanceolata, acuta, integerrima, glabra, petiolata, alterna, ſeptem octove lineas longa. *Pedunculi* uniflori, alares, ſolitarii. *Flores* parvi, corollis flavis, a congeneribus in multis diverſi.

Habitat in pratenſibus inſulæ Domingo.

2. CLEOME (*ſerrata*) floribus hexandris; foliis ternatis; foliolis lineari-lanceolatis, ſerratis. TAB. CLXXX. Fig. 43.

Planta annua, erecta, bipedalis. *Racemi* laxi, ſimplices, terminales. *Florum* corolla alba, ſtamina tetradynama. *Siliqua* teres, tripollicaris.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis humidis.

3. CLEOME (*ſpinoſa*) floribus hexandris; foliis ſeptenatis, quinatisque; caule ſpinoſo.

Cleome aſſurgens ramoſum & ſpinoſum heptaphyllum; ſpica multiplici foliata. *Brown. jam.* 1. *p.* 273.

Sinapiſtrum ægyptium heptaphyllum flore carneo, majus, ſpinoſum. *Sloan. cat. jam.* 80.

Sinapiſtrum indicum ſpinoſum, foliis quinque, ſex, ſeptemve, numero incertis. *Burm. zeyl.* 215.

Tareriaya. *Marcgr. bras. l.* 1. *c.* 16.

Planta fruticoſa, erecta, ramoſa, quatuor vel quinque pedes alta, tota viſcoſa & fœtida; *trunco* pollicem diametro æquante. *Rami* juniores ſunt hirſuti. *Spinæ* ſubulatæ, breves, acutiſſimæ, ad petioli latus quodlibet una, & caulinæ ſparſæ aliquot, non ubique præſentes. *Folia* ſæpius ſeptena, integra. *Racemi* ſimplices, laxi, magni, terminales. *Flores* magni, petalis albidis, ſtaminibus priſtilloque atropurpureis. *Siliquæ* teretes, longæ.

Habitat paſſim in Jamaica; in ruderatis & fimetis oppidi Kingſton frequens.

MONA.

# MONADELPHIA.
# PENTANDRIA.

## BOMBAX.

1. BOMBAX (*pentandrum*) floribus pentandris. TAB. CLXXVI. Fig. 70.

Bombax foliis digitatis, caule inermi. *Linn. ſp. pl. 2. p.* 511.

Bombax foliis digitatis, brachiis erecto-patentibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 277.

Bombax foliis digitatis, brachiis horizontaliter porrectis. *Brown. jam. 2. p.* 277.

Xylon caule inermi. *Linn. hort. Cliff.* 175.

Goſſypium arboreum maximum ſpinoſum & non ſpinoſum. *Sloan. hiſt. jam. 2. p.* 72.

Ceiba viticis folio, caudice aculeato. *Plum. gen.* 42.

Ceiba viticis folio, caudice glabro. *Plum. gen.* 42.

Eriophorus javana. *Rumpf.* 1. *p.* 194. *t.* 80.

Ponja. *Rheed. mal.* 3. *p.* 59. *t.* 49. 50. & 51.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, perſiſtens; ore erecto, quinquefido, inæquali.

COR. Petala quinque, oblongo-ovata, concava, acumine ad latus præmorſo, patentiſſima, baſi concreta in tubum campanulatum longitudine calycis.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, craſſiuſcula, incurva, longitudine corollæ; baſi concreta in unum corpus tubuloſum, breve, ſupra germen coarctatum, adnatumque petalorum baſi. Antheræ maximæ, oblongæ, varie inflexæ, verſatiles.

PIST. Germen ſubovatum, reconditum intra filamentorum tubum. Stylus infra connata filamenta tenuis, & capillaris; ſupra eademque ſubulatus, craſſus, baſi gibbus, declinatus, ſtaminibus longior. Stigma capitatum.

PER. Capſula magna, ovali-oblonga, teres, obtuſa, quinquelocularis, quinquevalvis: valvulis ſubligneis, caducis.

SEM. plurima, ſubrotunda, lanugine copioſa obvoluta. Receptaculum columnare, pentagonum, diſſepimenta emittens.

Arbor hæc triginta & plures altitudine pedes æquat, quos etiam non raro centum excedit. *Materies* eſt albicans, levis, atque fibroſa. *Cortex* viridis primo, tandem leucophæus, craſſitie ſex linearum eſt, atque ultra.

*Trun-*

*Truncus* eſt erectus, figura valde inæquali, rariſſime regularis, ſæpius circa medium ventricoſus, aut craſſior ſuperne quam in ipſa baſi, altus quandoque triginta pedes, antequam in ramos abeat. In arbore provectæ ætatis, miro ſane ſpectaculo, a trunci ſuperiore parte longitudinaliter *coſtæ* decurrunt lignoſæ ex ipſaque trunci ſubſtantia enatæ, ſenſim lateſcentes ita, ut circa radicem ad quinque & amplius pedum diſtantiam ab ipſo trunci corpore progrediantur. *Aculei* difformes, lignoſi, acuminati, fortes, & maximi, totam trunci ramorumque principalium ſuperficiem obſident; interdum vero omnino abſentes, cortice tunc plerumque ſuberoſo exiſtenti. Sunt hi aut conici ſubulatique, vel compreſſi & oblongo-quadrati, apice tunc dentato, &c. qui a cortice ſi avellantur, absque læſione maculam in eodem dumtaxat albidam relinquunt. *Rami* comam formant amplam, umbroſam, elegantem, regularemque in locis iſtis, quæ ventis Eurum inter Septentrionemque flantibus haud exponuntur. Arborum vero, quæ ſimili ſitu naſcuntur, rami verſus Africum propelluntur, a parte oppoſita fronde tunc ſæpe nulla, ramorumque brachiis non raro ipſam trunci ſuperiorem partem craſſitie ſuperantibus. *Folia* ſunt digitata, ſeptenata, glabra, integerrima vel ſerrata, ovalia, acuta, quotannis decidua. *Racemi* compoſiti, breves, ſubcymoſi, denſi, *flores* gerunt numeroſos, pulchros, pallide roſeos, odorem mihi viſos ſpirare caſeoſum, mox poſt lapſum foliorum prodeuntes, omnes æqualiter ramos exornantes; unde, calculo inſtituto, in comoſa atque adulta arbore numeravi florum ultra vicies centena millia. *Fructus* ſuccedunt magni, glabri, fuſci, lanuginem continentes fuſcam ſericamque, quæ leviſſima aura in aërem elevata os naresque tractantis infeſtat, cæterum uſus rari apud incolas. Citiſſime hæc arbor increſcit, atque ex taleis facillime propagatur: putata vero ſibique relicta in cariem atque putredinem ocyus abit. Gallis vocatur *Fromager* ſive Caſearia, Anglis *Silk Cotton-tree* ſeu Arbor Goſſypium ſericum ferens.

Habitat paſſim in Caribæis.

2. BOMBAX (*quinatum*) floribus polyandris; foliolis quinatis. TAB. CLXXVI. Fig. 71.

Bombax foliis digitatis, caule aculeato. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 511. *Læſl. hiſp.* 278.

Xylon caule aculeato. *Linn. hort. Cliff.* 75.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, erectum, perſiſtens: ore integro, leviſſime quinquedentato.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, calyce duplo longior. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, concavis, obtuſis, omnium longiſſimis.

STAM. Filamenta numeroſa, filiformia, longitudine corollæ, inferne connata in quinque corpora confluentia baſi in tubum conicum adnatum

infimæ

PIST. Germen ovatum, ſemiimmerſum receptaculo villoſo. Stylus craſſus, ſenſim attenuatus, corolla longior. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Bacca magna, carnoſa, mollis, multilocularis.

SEM. ſolitaria, oblonga, baſi acuminata, obtuſa, nitida, compreſſa, margine ſcabro, quo baccæ adhæſerunt.

Arbor hæc elegans, tota lacte ſcatens candido tenaciſſimo & vel per ipſas ſæpe foliorum gemmas tranſudanti, pro ætatis aut ſoli diſcrimine decem vel quinquaginta pedum altitudinem adipiſcitur. *Materies* albida *cortice* circumdatur ſubfuſco. *Ramuſculi* extremi ſunt craſſiuſculi. *Folia* habet oblonga, utrinque acuta, integerrima, glabra, craſſiuſcula, petiolata, tres quatuorve pollices longa, alternatim ſparſa, ſæpius frondoſa. *Pedunculi* uniflori, breves, axillares & ramei. *Flores* inodori, corolla albida, diu perſiſtentes. Hi ante fecundationem figuram habent ovatam, in ipſo autem fecundationis actu toti explicantur magis, ut evadant campanulati; quod, ut iſta ſuccedat, antheræ incluſæ ſtylusque corolla longior videntur exigere: unde tunc in ſitu figuraque mutatio partibus accidit inſignis. Fecundatione autem peracta, ovatam denuo aſſumunt. Extra hunc actum florem deſcripſiſſe videtur beatus Læflingius, cujusmodi ipſe illum ego ſæpiſſime examinavi: addidi igitur characterem, qualem in ipſamet fecundatione ſemper ſe mihi exhibuit. *Fructus* variat magnitudine & figura, quæ globoſa, ovalis, aut ovata conſpicitur. Cortex illi eſt ſcaber, fragilis, & e fuſco ferrugineus. Caro ſordide albeſcit, molliſſima eſt, & ſapore dulci gratiſſimoque prædita. Loculamentorum numerus inconſtans eſt a ſeptem ad tredecim. *Semina* externe atra, nitidiſſima, amariſſima, in Zapota hamulo inſtructa acuminato & extanti, in Zapotilla eodem deſtituta, raro ultra quatuor ad maturitatem perveniunt. Fructus edulis ſolummodo eſt, quando jam putreſcere cœpit; quod fieri, ſi non decerpitur, in ipſa arbore ſolet. In menſis ubique apponitur, & venit in foris; ſuntque non pauci, apud quos, vel Bromeliæ antelatus, primas fructus inter Americanos obtinet. Corticem trunci adſtringentem multi cum ſucceſſu adhibent loco Peruviani in debellandis febribus. Seminibus decorticatis attribuunt Martinicenſes vim maxime diureticam, iisdemque paſſim utuntur in Dyſuriis, Stranguriis, ſimilibusque morbis. Videlicet ſex ſemina pro doſi in mortario comminuta immixtaque vini aut aquæ cyatho, uno hauſtu ſumenda quotidie porriguntur: aut majori immiſcentur liquoris copiæ; unde tum ſumit pro lubitu æger, ita ut evacuet in diem. Repeti jubetur doſis ad levamen usque mali. Seminum vero doſis ad duodenum numerum augetur, nunquam ultra, ſi ægri temperamentum fortius aut morbi ratio auctas medicamenti vires requirunt: alias dolores atroces generant, nec periculi ſunt expertia. Propter fructuum bonitatem atque abundantiam a veſpertilionibus gliribusque frequens incolitur hæc arbor. Horum etiam vici-

nia

infimæ parti tubi corollæ, ejusdemque tubi longitudine. Antheræ oblongæ, verſatiles.

PIST. Germen obovatum, quinquangulare, calyce duplo brevius. Stylus filiformis, ad baſin paulo craſſior, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſiuſculum, ſubquinquefidum.

PER. Capſula magna, obovata, quinquangularis, nitida, apicis depreſſi centro concavo ſtylique baſi craſſa perſiſtente acuminato, quinquelocularis, quinquevalvis: valvulis lignoſis, ad angulos dehiſcentibus, planiuſculis, tum radiatim patentibus.

SEM. plurima, ſubrotunda, lanugine obvoluta. Receptaculum columnare, pentagonum, diſſepimenta emittens.

Habitu hæc arbor refert præcedentem; ſed in qua *aculeos* ſemper obſervavi præſentes. *Folia* ſunt digitata, quinata ſemper, atque integerrima. *Flores* vivos videre non contigit, ſed characterem ex exſiccatis deſumpſi: hos enim a menſe Aprili ad Novembrim usque ſiccos, e fuſco rubentes, & adhuc priſtinam retinentes formam, numero ingenti ramis atque arbori ſuppoſitis fruticetis inhærere vidi, ſolumque interdum obtegere. Unde conjicio, circa Januarium novos flores prodire. *Fructus* ſubfuſci ſunt duplo præcedentibus minores, ſed multo elegantiores. Hiſpanis *Ceiba* dicitur.

Habitat paſſim Carthagenæ.

3. BOMBAX (*ſeptenatum*) floribus polyandris; foliis ſeptenatis.

Goſſypium ſeu Xylon arbor orientale digitatis foliis lævibus, fructu quinquecapſulari, alba & nitente lanugine farcto. *Pluk. alm.* 172. *t.* 188. *f.* 4.

Moul-elavou. *Rheed. mal.* 3. *p.* 61. *t.* 52.

Habitus huic etiam eſt præcedentium. *Aculeos* in illa obſervavi nunquam, at corticem ſemper difformem & monſtroſe ſuberoſum. *Folia* ſunt digitata, ad minus ſeptenata, & integerrima. *Flores* ſiccos tantum vidi, eodemque, quo in priore, caſu. Sunt autem prioribus paulo majores & craſſiores; tubo corollæ inſtruuntur breviſſimo; ſtaminibus gaudent circiter quadringentis; quoad cætera ſimiles. *Fructus* omnino conveniunt cum fructibus Bombacis pentandri. Hiſpanis itidem *Ceiba* audit.

Habitat paſſim Carthagenæ.

## MELOCHIA.

1. MELOCHIA (*tomentoſa*) floribus umbellatis; capſulis pyramidatis, pentagonis, angulis mucronatis; foliis tomentoſis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1140.

CAL. Perianthium monophyllum, baſi campanulatum, profunde quinquefidum, perſiſtens: laciniis lanceolatis, acuminatis, erectis, apicibus reflexis.

COR. Petala quinque, obovata, obtuſa, calyce paulo longiora, plana, erecta, limbo patente, unguibus cum filamentorum corpore concretis, marceſcentia.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, longitudine corollæ, inferne concreta in tubum pentagonum germenque involventem. Antheræ ovales, ſimplices.

PIST. Germen obovatum. Styli quinque, ſubulati, erecti, pubeſcentes, ſtaminibus breviores. Stigmata ſimplicia.

PER. Capſula utrinque acuminata, &c.

SEM. bina vel ſolitaria, angulata.

Frutex erectus, parum ramoſus, in apricis ſaxoſis & montoſis tripedalis, in ſylveſtribus umbroſis ſeptempedalis. *Folia* habet oblongo-ovata, dentato-ſerrata, acuta, utrinque tomentoſa, alterna, petiolata, ſesquipollicaria, utrinque ſtipula ſuffulta. *Pedunculi communes* ſolitarii, axillares, apice ſuſtinent umbellatim *flores* circiter quinque corollis roſeis.

Habitat in Martinica, Jamaica, & copioſiſſime in inſula ſancti Martini circa vicum Simſonsbay.

2. MELOCHIA (*domingenſis*) umbellis lateralibus petiolisque oppoſitis; capſulis pyramidatis, pentagonis, angulis mucronatis; foliis utrinque glabris.

Planta hæc tota glaberrima, &, præterquam quod pedunculi petiolis opponantur, nec inſideant axillis, præcedenti eſt ſimillima in cæteris.

Habitat in pratenſibus glareoſis inſulæ Domingo frequens.

Inveni in Curaçao inſula fruticem paſſim in ruderatis & lapidoſis aſperis creſcentem, quadripedalem, foliis gaudentem bipollicaribus floribusque duplo quam in Melochia tomentoſa majoribus, habitu reliquo, ſi bene memini, huic ſimillimum. At erant in hoc ſtamina in corpus coalita infundibuliforme, longitudinaliter totum fiſſum, & inflexa verſus partem fiſſuræ oppoſitam, calyce etiam duplo breviora. Stigmata oblonga & craſſiuſcula inclinabantur quoque antheras verſus. Congruebant in charactere cætera. Fueritne ejusdem ſpeciei, excidit annotare.

# DECANDRIA.

## BROWNÆA.

1. BROWNÆA (*coccinea.*) TAB. CXXI.

Hermeſias. *Læſl. hiſp.* 278?

CAL.

CAL. Perianthium monophyllum, obverſe conicum, coloratum, laxum, ſuperne inæqualiter bifidum, acutum.

COR. duplex. Exterior monopetala: tubo infundibuliformi, erecto, calyce paulo longiori: limbo quinquefido; laciniis oblongis, concavis, obtuſis, erectis, longitudine tubi. Interior pentapetala: petalis ovatis, planis, obtuſis, integerrimis, patulis; unguibus laxis, longitudine ferme petali exterioris, cujus tubo inſident.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, erecta, alterna breviora, tubo petali exterioris per totam longitudinem adnata, coalita in cylindrum ſuperne diviſum, fere æquantia corollam interiorem. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, acutum, inſidens pedicello adnato parieti corollæ exterioris. Stylus ſubulatus, erectus, corollam ſuperans. Stigma obtuſum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbuſcula hæc inelegans, ramoſa, tota inodora atque inſipida, & octodecim circiter pedes alta, floribus ſpecioſiſſimis ſpectabilem ſe reddit. *Lignum* ſatis durum & flaveſcens veſtitur cortice cinereo. *Folia* ſunt ovalia, acuminata, integerrima, glabra, oppoſita, breviter petiolata, tripollicaria, tribus plerumque paribus vel duobus eidem ramuſculo affixa. *Pedunculi communes* ſunt laterales, ramei, breves & gemmas referunt oblongas, e quibus *flores* circiter decem pedunculati egrediuntur, tripollicares, & penduli. Hi calyce gaudent ferrugineo, corollis coccineis, & ſtaminibus flaveſcentibus. *Fructum*, quem haud contigit videre, ex germine diadelphis ſimillimo legumen conjicio evadere polyſpermum. Corollam exteriorem dixi, nec calycem interiorem, eo quod cum hac coaleſcant ſtamina, ut fit in affinibus. Hermeſias forte Læflingii eſt eadem cum mea ſtirps; ſed ſtamina ego undecim certo non inveni: adeoque nihil aſſero. Nominavi hanc plantam in honorem viri in hoc opere toties laudati, meritisque in Botanicam ſuis clariſſimi, Patricii Browne, medici Jamaicenſis.

Habitat in rupeſtribus ſylvaticis maritimis Zaucæ, ſinus maritimi Venezuelæ, ubi florentem Julio inveni.

# POLYANDRIA.

## SIDA.

1. SIDA (*triſulcata*) ramis triſulcatis.

Planta fruticoſa, erecta, quadripedalis, paniculata, *ramis* omnibus triſulcatis. *Caulis* primo ſationis anno obtuſe trigonus eſt & triſulcatus, altero

futurus teres. *Folia* ſunt cordata, acuminata, dentato-crenata, utrinque tomento vix conſpicuo molliſſima, ſubtus venoſa, nervis novem e baſi ortis notata, e glauco virentia, caulina tripollicaria cum petiolo bipollicari, ramea paulatim minora. *Stipulæ* ſetaceæ, breves. *Pedunculi* axillares, ſolitarii, uniflori, filiformes, patuli, longitudine circiter petiolorum. *Flores* parvi, corolla lutea. *Capſulæ* oblongæ, apice depreſſæ, quinque-acuminatæ, inflatæ, quinquangulares, quinqueloculares, quinquevalves: valvulis bidentatis, bivalvibus. *Semina* in quolibet loculamento continentur tria ſubrotunda. Viennæ e ſeminibus Auguſto terræ mandatis enata, jam Novembri fuit floribus onuſta, Januario ſeminibus maturis; & tertium jam annum perennat, ſtatura humana multo altior.

Habitat in fruticoſis inſulæ Domingo.

## HIBISCUS.

1. HIBISCUS (*ſpinifex*) foliis cordatis, crenatis, indiviſis; capſulis ſpinoſis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1149.

Abutilon americanum, fruticoſum, folio ſubrotundo, flore luteo, fructu aculeato majore. *Plum. ic.* 1.

Frutex quindecimpedalis. *Rami* erecti, longi, tenues, juniores ſcabri & piloſiuſculi. *Folia* cordata, acuta, inæqualiter crenato-dentata, utrinque ſcabra, alterna, petiolata, omnia indiviſa. *Pedunculi* uniflori, ſolitarii, axillares, fere longitudine petiolorum. *Flores* pulchelli, inodori, calyce exteriore ſemper quinquefido, corolla lutea & patente, germine piloſo. *Capſulæ* quinque, auctæ ſpinis tribus tenuibus & longis, unica in apice erecta, & duabus lateralibus: hæ omnino quindecim, in quibusvis capſulis vicinis adeo contiguæ ſunt, ut in fructus integri circumferentia ſolummodo quinque eſſe videantur. *Semina* ſolitaria.

Habitat in fruticoſis & ſylvaticis maritimis, præcipue inundatis, Caribæarum.

# DIADELPHIA.
# OCTANDRIA.

## SECURIDACA.

CAL. Perianthium triphyllum, parvum, deciduum: foliolis ovatis, obtusis, concavis, coloratis; quorum ſummum vexillum, binæ carinam reſpiciunt.

COR. papilionacea, pentapetala.

Vexillum diphyllum, oblongum, rectum, carina paulo brevius, quacum baſi connatum, apicibus reflexis.

Alæ duæ, planæ, obtuſæ, magnæ, patentiſſimæ, a reliquis corollæ partibus utrinque ad latera ſecedentes.

Carina monopetala, erecta, longitudine alarum, ex ungue tubuloſo longo abiens in bracteam latiorem auctamque appendice plicato & obtuſo.

STAM. Filamenta octo, connata in unum corpus fiſſum longitudinaliter, adnata ungui carinæ, eidemque incluſa. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, compreſſum. Stylus ſubulatus, adſcendens, ſtaminibus longior. Stigma planum, lateſcens, apice dentato.

PER. Capſula ſubrotunda, abiens in alam membranaceam oblongam obtuſam maximam & ſuperne lateſcentem, a dorſo membranæ aucta gibbo, unilocularis, non dehiſcens.

SEM. unicum, oblongum.

1. SECURIDACA (*erecta*) caule erecto. TAB. CLXXXIII. Fig. 39.

Arborem hanc erectam & duodecimpedalem, *ramis* gracilibus longis debilibus rarisque ornatam, *floribus* racemoſis purpureisque onuſtam, ſemel in itinere conſtituto videre contigit. Fructificationis tunc temporis ſolummodo adnotato charactere delineatoque, defuit mihi poſtea habitus deſcribendi occaſio. In hac ſpecie *Vexilla* ſunt obtuſa, *Alæ* ſubrotundæ, *Carinæ* appendix compreſſus & reflexus. Niſi ſcandentem diceret ſuam in iconis 247. figura 1. Plumierus, ſuſpicari potuiſſem, eſſe hanc eandem.

Habitat in Martinica circa vicum Caſe pilote in montibus ſaxoſis ſylvaticis. Floret Aprili.

2. SECURIDACA (*ſcandens*) caule ſcandente. TAB. CLXXXIII. Fig. 83.

Securidaca. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 707?

Securidaca foliis oblongis, ſpicis ramoſis. *Brown. jam.* 2. *p.* 241.

Planta fruticosa, scandens. *Ramusculi* folioſi juniores in *cirrhos* mutantur validissimos. *Folia* sunt oblongo-ovata, obtusa, integerrima, glabra, alterna, petiolata. *Racemi* laxi, laterales, foliis oppositi. *Flores* inodori, rubri; vexillis acutis, alis oblongis basique attenuatis, carinæ appendice amplo.

Habitat Carthagenæ in fruticetis densis & in sylvaticis.

# DECANDRIA.

## NISSOLIA.

1. NISSOLIA (*fruticosa*) caule fruticoso, volubili. TAB. CLXXIX. Fig. 44.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum quinquedentatum, incisura inter denticulos superiores paulo profundiore.

COR. papilionacea.

Vexillum subrotundum, leviter emarginatum, superne concavum, reflexum, lateribus reflexis.

Alæ duæ, oblongæ, planæ, obtusæ, erectæ, superne latiores, antice patentes, longitudine vexilli, unguibus tenuissimis.

Carina clausa, figura situ & magnitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, coalita in unum corpus fissum longitudinaliter & superne decemfidum, apice adscendentia, inclusa carinæ, cujus fere longitudine. Antheræ subrotundæ.

PIST. Germen oblongum, compressiusculum. Stylus subulatus, ad angulum rectum adscendens, longitudine staminum. Stigma capitato-obtusum.

PER. Capsula oblonga, teres, excurrens in alam membranaceam oblongam obtusam magnam & superne latescentem, unilocularis, nec dehiscens.

SEM. unicum, (abortantibus paucis reliquis,) oblongum, teres, obtusum.

Frutex inermis caulibus ramisque volubilibus & numerosis vicinas arbusculas scandit ad altitudinem quindecim pedum. *Folia* habet numerosa, alterna, pinnata; *costa* tereti, subvillosa, tres quatuorve pollices longa; *foliolis* utrinque duobus cum impari, subovatis, integerrimis, obtusiusculis cum exiguo acumine setaceo, glabris, petiolatis, sesquipollicaribus. *Pedunculi communes* breves, multiflori, numerosi, in ramusculis junioribus axillares, & in horum simul extremitatibus nudis e tuberculis prodeunt; unde simul efficiunt paniculam folioſam, pedalem sæpe, & speciosam. *Flores* pedunculati, parvi, lutei, inodori. Quandoquidem in generibus Linnæanis perierit Nissoliæ nomen, huic plantæ novæ denuo illud adsignavi.

Habitat Carthagenæ in fruticetis & sylvaticis. Floret Septembri.

2. NIS-

2. NISSOLIA (*arborea*) caule arboreo, erecto. TAB. CLXXIV. Fig. 48.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, erectum, limbo quinquefido: laciniis ſubrotundis, parvis, concavis, obtuſis, erectis, æqualibus, inciſura ſuperiore paulo latiore & profundiore.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, planum, patulum, lateribus reflexis, alis paulo longius, ungue longitudine calycis.

Alæ duæ, ovatæ, obtuſæ, concavæ, patulæ, calyce duplo longiores, unguibus tenuibus & longis.

Carina ſubovata, obtuſa, antice plana, poſtice convexa, concava, erecta, longitudine alarum, unguibus longis & tenuibus.

STAM. Filamenta decem, diadelpha, (ſimplex & novemfidum) erecta, apicibus leviter adſcendentia, longitudine carinæ, in qua recondita. Antheræ ſubovatæ, incumbentes.

PIST. Germen ovato-oblongum, compreſſo-planum, erectum, inſidens pedicello tereti & longitudine fere calycis. Stylus ſubulatus, leviſſime adſcendens, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, acutum.

PER. Capſula ſubleguminoſa, compreſſo-plana, magna, abiens in alam membranaceam oblongam & maximam, unilocularis, nec dehiſcens.

SEM. unicum, ſubrotundo-reniforme, planum.

Arbor inelegans, duodecimpedalis; cujus *rami* ſæpe lenti, debiles, & reclinati aliorum indigent ſuſtentaculo. *Folia* quotannis decidua ſunt pinnata vel ternata: *foliolis* utrinque cum impari duobus vel unico, ovatis, obtuſe acuminatis, integerrimis, nitidis, tenuibus; terminali maximo; interioribus minoribus, nunc oppoſitis, nunc alternis. *Spicæ* compoſitæ & denſæ, quadripollicares, terminales & axillares ante foliorum ortum e quibusvis gemmis exeunt, ſæpe etiam in ipſis ramis ſenioribus. *Flores* parvi, ſeſſiles, inodori, fere decolores, numeroſi. *Semen* in ipſo germine adeſt unicum. Incolis audit *Juan Gomez*. Si quis velit ex duabus hiſce ſtirpibus duo diſtincta genera condere; quæ opponam, multa momenta non reperio.

Habitat Carthagenæ paſſim in ſylvis. Floret Julio & Auguſto.

## AMERIMNON.

1. AMERIMNON (*Brownei*) foliis ſimplicibus. TAB. CLXXX. Fig. 58.
Amerimnon fruticoſum; foliis nitidis ſimplicibus cordato-acuminatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 288. *t.* 31. *f.* 3.

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, parvum, ore bilabiato. Labium ſuperius bifidum: laciniis ſubrotundis, concavis, obtuſis, erectis. Labium inferius trifidum: laciniis lanceolatis, acutis, concavis, lateralibus erectis, media patula & reliquis longiore.

COR.

COR. papilionacea.

Vexillum obcordato-oblongum, patentiſſimum, planum, ungue concavo & longitudine tubi calycis.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, erectæ, antice patulæ, longitudine vexilli.

Carina oblonga, obtuſa, compreſſa, erecta, apice adſcendente obtuſoque, vexillo duplo brevior.

STAM. Filamenta decem, connata in cylindrum fiſſum, ſuperne diviſa, erecta, apicibus adſcendentibus, longitudine carinæ. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

PIST. Germen oblongum, compreſſo-planum, erectum, inſidens pedicello longitudine calycis. Stylus ſubulatus, leviter adſcendens, longitudine ſtaminum. Stigma capitato-obtuſum.

PER. Legumen oblongum, utrinque acuminatum, compreſſum, unilocu-lare, bivalve.

SEM. pauca, reniformia, compreſſa.

Arbuſcula hæc ut plurimum ad decempedalem altitudinem adſcendit, cæterum reclinata habituque neglecto ſuſtentat ſe vicinis fruticibus. In *ramos* dividitur teretes, longos, corticem indutos nigricantem, & ramuſculis alternatim ornatos numeroſiſſimis. *Foliis* gaudet ſimplicibus, ovatis, acutis, integerrimis, nitidis, alternis, petiolatis, duos tresve pollices longis. *Pedunculi communes* circiter decemflori oriuntur ex axillis atque lateribus ramuſculorum virentium, ex tuberculis vero ſeniorum. *Flores* parvi, albi, & grate ſuaveolentes prodeunt numeroſiſſimi poſt copioſos quavis anni tempeſtate imbres. Vexillum poſt fœcundationem ſe erigit, ante hanc patentiſſimum.

Habitat Carthagenæ, in Jamaica, Domingo; in fruticetis denſis.

2. AMERIMNON (*pinnatum*) foliis pinnatis. TAB. CLXXVII. Fig. 50.

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, erectum, quinquedentatum: denticulis ſemiovatis, acutis, parvis, erectis, ſuperioribus duobus minus profunde inciſis.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, planum, reflexum, calyce duplo longius.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, planiuſculæ, erectæ, ſupra unguem appendiculo auctæ, vexillo paulo longiores.

Carina monopetala, figura ſitu & magnitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, connata in unum corpus fiſſum & ſuperne decemfidum, erecta, fere longitudine carinæ, cui incluſa. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST.

PIST. Germen ovale, minimum, compreſſiuſculum, pedicello longo inſidens. Stylus ſubulatus adſcendens. Stigma ſimplex.

PER. } ut in priore.
SEM. }

Arbuſcula erecta, duodecimpedalis; *ramis* teretibus, lentis, debilibus, ſubreclinatis. *Folia* ſunt pinnata, nitida, oppoſita, patentia ad angulum rectum, ſemipedalia, in ramis junioribus & virentibus: *foliolis* utrinque tribus cum impari, ovato-acuminatis, integerrimis, petiolatis, oppoſitis, tripollicaribus, ferme æqualibus. *Racemi* laxi, ſimplices, axillares, ſolitarii, oppoſiti, quadripollicares. *Flores* flavi odore ſuo perfecte referunt fœnum recens collectum. Locis umbroſis foliola evadunt fere ſexpollicaria, ſed tunc in qualibet coſta foliola ſunt tantum tria; & flores ibi prodeunt pauciſſimi.

Habitat in ſylvis Carthagenenſibus.

## PHASEOLUS.

1. PHASEOLUS (*ſclareodes*) caule volubili; floribus laxe ſubſpicatis; pedunculis unifloris, aggregatis.

*Folia* habet hæc planta Phaſeoli vulgaris. *Spicæ* ſunt erectæ, novempollicares, eminus ſpicas Sclareæ cujusdam mentientes; *pedunculis propriis* breviſſimis. *Flores* parvi. Calyces ferruginei. Corollæ cæruleæ, erectæ, tenues, & longæ.

Habitat Havanæ in ſepibus & fruticoſis. Floret Januario.

## DOLICHOS.

1. DOLICHOS (*pruriens*) caule volubili: leguminibus racemoſis, hirſutis; pedunculis ternis; foliolo intermedio rhomboideo. TAB. CXXII.

Dolichos caule volubili, leguminibus racemoſis; valvulis ſubcarinatis, hirtis. *Linn. ſyſt. C. p.* 1162.

Stizolobium ſpicis multifloris pendulis alaribus, floribus ternatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 290.

Phaſeolus virgatus hirſutus prurigeneus. *Plum. ſpec.* 8.

Phaſeolus utriusque Indiæ, lobis villoſis pungentibus, minor. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 37.

Cacara pruritus. *Rumpf.* 5. *p.* 393. *t.* 142.

Nai-corana. *Rheed. mal.* 8. *p.* 61. *t.* 35.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, laxum, tomentoſum, bilabiatum. Labium ſuperius ſemiovatum, baſi gibbum, patulum, apice emarginatum. Labium inferius trifidum: laciniis lanceolatis, acutis, lateralibus inflexis brevibusque, media erecta & longitudine labii ſuperioris.

COR. papilionacea.

Vexillum ovatum, integrum, concavum, obtuſum, patens, lateribus connivens, calyce duplo longius.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, concavæ, erectæ, vexillo duplo longiores.

Carina ſubulata, erecta, compreſſa, utrinque ſupra ungues aucta appendiculo, baſi calloſa, apice falcato, longitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, diadelpha, (ſimplex & novemfidum) alterna longiora & quadruplo latiora. Antheræ oblongæ, in filamentis brevioribus erectæ magnæque, in longioribus incumbentes.

PIST. Germen oblongum, villoſum. Stylus ſubulatus, villoſus, longitudine & ſitu ſtaminum. Stigma obtuſum, orbiculatum.

PER. Legumen oblongum, tereriuſculum, baſi & apice in oppoſita latera incurvatum, pilis hiſpidis denſiſſime obſitum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, oblonga, leviter compreſſa.

*Caules* teretes, ſubpiloſi, volubiles. *Folia* ternata; *foliolis* integerrimis, acuminatis, facie glabris, dorſo hirſutis, lateralibus ovatis latere interiori obliterato, medio ſubrhomboideo. *Racemi* ſimplices, laxi, penduli, teretes, piloſi, axillares, ſolitarii, pedem ſesquipedemve longi; *pedunculis propriis* unifloris, brevibus, ternis. *Flores* inodori, ſesquipollicares, circiter triginta ſex in quovis racemo, locis tamen apricis multo pauciores, calyce ſubrubente, vexillo carneo, alis purpureis vel violaceis, carina e viridi albente. *Legumen* tripollicare, fere craſſitie digiti, denſiſſime veſtitur pilis hiſpidis e ferrugineo ſubfuſcis nitidisque, qui dum applicantur cuti, titillationem inducunt urentem atque intolerabilem, ipſis etiam barbaris æthiopibusque, cutim qui habent duriſſimam, formidabiles. *Semina* e fuſco nigroque variegantur, & nitent; hilo albo. Gallis vocatur *Pois à grater* ſive Phaſeolus ſcalptor.

Habitat in Caribæarum ſylvis & fruticoſis paſſim. Floret imprimis Septembri & Octobri.

2. DOLICHOS (*urens*) caule volubili; leguminibus racemoſis, hirtis, transverſim lamellatis; ſeminibus hilo cinctis; foliis ſubtus tomentoſo-nitidis. TAB. CLXXXII. Fig. 84.

Dolichos caule volubili; leguminibus racemoſis, hirtis, transverſim lamellatis; ſeminibus hilo cinctis. *Linn. ſyſt. D. p.* 1162.

Zoophthalmum ſiliquis majoribus hirtis transverſe ſulcatis, pedunculis communibus tenuiſſimis longiſſimis flexibilibusque appenſis. *Brown. jam.* 1. *p.* 295.

Phaſeolus ſiliquis latis hiſpidis & rugoſis, fructu nigro. *Plum. amer.* 92. *t.* 107.

Phaſeo-

nia pellectæ incautæque Coraciæ penſiles ſuos longiſſimosque pulcherrimo ſpectaculo nidos in ramis altiſſimis ſuſpendunt, brevi, trucidatis devoratisque pullis, gliribus in habitacula ceſſuros. Meliori certe conſilio novit in ſylvis denſis vaſtisque barbarus venator has ſibi arbores eligere, ſub quarum umbra prædam ſuam tranquille exſpectat, Meleagrides, Craces, aliasque ex genere gallinaceo aves, horum fructuum cupidiſſimas. Solet porro hæc arbor ramulos ſæpe aliquot terram verſus recta propellere, quorum folia frondoſa infima expetit ſibi Trochilus minimus, quibus nidulum ſuum, e florum partibus variis mirifice venuſteque concinnatum, inædificet; ſuperioribus foliis umbraculum ipſi rectumque præbentibus. Utraque varietas Hiſpanis *Niſpero*, Batavis *Miſpelboom*, ſive Meſpilus dicitur: α. Gallis *Sapotier*, Anglis *Sapodille-tree* ſive Arbor ſapodilla: β. Gallis *Sapotillier*, Anglis *Nisberry*.

Habitat in Caribæarum hortis cultisque; in Continente vicina ſylveſtris.

## RONDELETIA.

1. RONDELETIA (*odorata*) foliis petiolatis, ſubovatis, obtuſis. TAB. XLII.

CAL. Perianthium pentaphyllum, germini inſidens, perſiſtens: foliolis oblongis, concavis, acutis, erectis.

COR. Petalum infundibuliforme. Tubus cylindraceus, erectus, calyce triplo longior, ampliatus leviter ſuperne, auctusque margine craſſo ipſam limbi baſin ſuperante. Limbus quinquefidus: laciniis ſubrotundis, obtuſis, planis, patentiſſimis, tubo triplo brevioribus.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus multo brevior. Stigmata duo, oblonga, craſſiuſcula, patula.

PER. Capſula ſubrotunda, coronata calyce, bilocularis, ab apice bifariam diſcedens.

SEM. plurima, rhomboidea, minima.

Frutex inelegans, inordinatus, erectus, ſex pedes altus. *Rami* teretes, juniores villoſi. *Folia* ſubovata, obtuſiuſcula, integerrima, ſcabriuſcula, breviter petiolata, oppoſita. *Pedunculi communes* erecti, terminales, terni, triflori; intermedio interdum in tres alios ſimiles ſubdiviſo: *propriis* flores in umbellam colligentibus ſpecioſam. *Flores* miniati, pulchri, margine tubi protuberante aurantio, odore violarum ſuaviſſimo. Corolla ſæpiſſime eſt ſexpartita cum calyce hexaphyllo, quamvis ſtamina perpetuo ſint quinque.

Habitat Havanæ in rupeſtribus fruticoſis maritimis, ipſis ſæpe innata nudis rupibus. Vidi florentem Januario, & fructibus adhucdum maturis onuſtam.

2. RONDELETIA (*diſperma*) foliis petiolatis, ovalibus, obtuſis.

Phaſeolus braſilianus fruteſcens, lobis villoſis pungentibus maximis. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 178.

Mucuna. *Marcg. bras. l.* 1. *c.* 10.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, tomentoſum, bilabiatum. Labium ſuperius fere ſubrotundum, integrum, patens. Labium inferius erectum, trifidum: laciniis lanceolatis, acuminatis, media longiore lateralibus.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, reflexo-patens, lateribus conniventibus, calyce duplo longius.

Alæ duæ, oblongæ, erectæ, acuminatæ, apice falcato, vexillo paulo longiores.

Carina oblongo-ſubulata, acuminata, apice falcato, erecta, longitudine alarum.

STAM. } ut in priore.
PIST. }

PER. Legumen oblongum, compreſſum, acutum, rectum, undique pilis hiſpidis obſitum, laterum marginibus divaricatis, auctum lamellis membranaceis transverſis inæqualibus & circa medium interruptis, uniloculare, bivalve.

SEM. pauca, orbicularia, compreſſa, hilo circumdata.

*Caules* teretes, volubiles. *Folia* ternata: *foliolis* ſubovatis, integerrimis, in acumen abeuntibus, facie glabris, ſubtus tomento argenteo vix conſpicuo nitidoque veſtitis. *Racemi* ſimplices, penduli, a me vix unquam viſi foliis longiores; unde forte hanc ſpeciem cum ſubſequente confudit clariſſimus Browneus; *pedunculis propriis* unifloris, ternis, in racemi extremitate denſe poſitis, hinc coronam florum circiter octodecim pendulam formantibus elegantiſſimam. *Flores* inodori, bipollicares, calyce ferrugineo, corolla flava, alarum margine inferiore rubente. *Legumen* ſeptempollicare ſetis urentibus rigidisque tegitur. *Semina* Gallis ob ſimilitudinem vocantur *Yeux bourrique* ſive Oculi aſinini. Sunt hæc ſatis Europæis nota, quorum in gazophylaciis paſſim reperiuntur. His ſecum portandis inepta varia adſcribit ſuperſtitioſum in America vulgus.

Habitat in Caribæarum ſylvis & fruticetis.

3. DOLICHOS (*altiſſimus*) caule volubili; leguminibus racemoſis, hirtis, æqualibus; feminibus hilo cinctis; foliis utrinque glabris. TAB. CLXXXII. Fig. 85.

Kaku-valli. *Rheed. mal.* 8. *p.* 63. *t.* 36?

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, villoſum, inæquale, bilabiatum. Labium ſuperius integrum, parvum, obtuſum, patens. Labium inferius tridentatum, minimum, acutum, erectum.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, obtuſum, concavum, in tubum connivens, reflexum, calyce ad minus triplo longius.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, concavæ, integræ, vexillo paulo longiores, baſi externe villoſæ, in oppoſitum vexillo latus cum carina reflexæ.

Carina apice falcato, poſtice patens, ſitu figura & magnitudine alarum.

STAM. reflexa & vexillo incluſa.
PIST. reflexum & vexillo incluſum. Stigma bifidum, acutum.
PER. lamellis deſtitutum.
SEM. } cæterum ut in præcedente.

Planta hæc arbores ſcandit altiſſimas; e quarum frondibus, ſpectaculo ſane pulcherrimo, viatorum capitibus impendent coronæ florum elegantes, quæ in extremitatibus *pedunculorum communium* ſæpe plus quam duodecimpedalium racematim & denſe locantur. *Pedunculi proprii* breves ſunt & terni. *Flores* inodori, ſesquipollicares, calyce ferrugineo, vexillo alisque e cæruleo violaceis, carina ſubflaveſcente, ſtaminibus piſtilloque mire adſcendentibus totis, & vexillo convoluto incluſis. *Legumina & ſemina* fere præcedentis.

Habitat in Martinicæ ſylvis vaſtis montoſis, & in ſylvaticis ad ripas præruptas altasque torrentum.

4. DOLICHOS (*ruber*) caule volubili; leguminibus racemoſis, compreſſis; calycibus quadrifidis. TAB. CXXIII.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquadrifidum: laciniis lanceolatis, acutis, ſuprema ſemireflexa, reliquis erectis, lateralibus paulo anguſtioribus & brevioribus.

COR. papilionacea.

Vexillum obovato-oblongum, obtuſum, planiuſculum, reflexum, ungue brevi.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, erectæ, carina paulo breviores.

Carina figura & ſitu alarum, longitudine fere vexilli.

STAM. Filamenta decem, diadelpha, (ſimplex & novemfidum) ſuperne leviter adſcendentia, longitudine carinæ. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex.

PER. Legumen oblongum, compreſſum, acuminatum ſtylo, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, oblongo-reniformia, compreſſiuſcula.

*Caules*

*Caules* volubiles, teretes, intorti, glabri, vicina ad duodecim pedum altitudinem ſcandunt. *Folia* ſunt ternata: *foliolis* ovatis, integerrimis, acutis, glabris, erucarum eroſioni quam maxime obnoxiis. *Racemi* ſimplices, laxiſſimi, patuli, ſtricti, axillares, foliis duplo longiores, plus minus decemflori. *Flores* inodori, pollicares, petalis rubris; in quovis fere ſemper racemo ſteriles aliquot, quibus ſtylus eſt breviſſimus & ſtigma reflexum. *Legumen* fuſcum. *Semina* nigricantia. Planta perennat, & fruticoſa evadit.

Habitat frequens in Martinicæ ſylvis & fruticetis.

5. DOLICHOS (*lignoſus*) caule perenni; pedunculis capitatis; leguminibus ſtrictis, linearibus, piloſis. *Linn. ſp. pl.* 9. *p.* 726?
Dolichos caule perenni lignoſo. *Linn. hort. Cliff.* 360. *t.* 20?

Planta perennis, volubilis, tota piloſa; præcipue vero rami inferiores lignoſi, & legumina, pilis hiſpida ſunt. *Foliola* ſunt ovata, acuta, ſcabriuſcula, duos pollices longa, lateralibus interne obliteratis. *Stipulæ* ex lanceolato ovatæ, acuminatæ, baſi emarginatæ. *Pedunculi* umbellati, foliis breviores, pauciflori. *Flores* albidi. *Legumina* tres quatuorve pollices longa, acuminata, ſtricta, ad apicem leviter incurva, teretia, nec toroſa, piloſiſſima, fuſca, interne nivea. *Semina* circiter octodecim, nitida, atra cum hilo albido, parva, compreſſiuſcula, ex oblongo reniformia.

Habitat in Caribæarum ſylvaticis.

6. DOLICHOS (*ſubracemoſus*) caule perenni; pedunculis ſubracemoſis; leguminibus ſtrictis, linearibus, glabris.

CAL. Perianthium campanulatum, breve, bilabiatum, ultra medium quinquefidum: laciniis ſubulatis, acuminatis, concavis, duabus ſuperioribus magis vicinis & reliquis brevioribus.

COR. papilionacea, e purpureo cærulea.

Vexillum ampliſſimum, patentiſſimum, emarginatum, in dorſo inter callos oblongos notatum appendice altero calloſo, quo ungui proprio incumbit.

Alæ ad baſin appendiculo auctæ, vexillo breviores.

STAM. Filamentum ſimplex curvatur ad baſin.

PIST. Stylus nitidus ſuperne valde lateſcit in figuram ſpathulatam obtuſamque, & terminatur ſtigmate ſimplici ciliis barbato.

PER. Legumen lineare, ſtrictum, rectum, acuminatum, valde compreſſum, ad ſemina toroſum, glabrum, fere ſemipedale.

Omiſſa reliqua, ut in characterе Linnæano.

Planta perennis, volubilis, tota nitida. *Foliola* ovato-lanceolata, acuta, bipollicaria, lateralium pagina interiore valde obliterata. *Stipulæ* lanceolatæ, acuminatæ, integerrimæ. *Pedunculi* foliorum circiter longitudine, tres

quatuorve flores racematim ſuſtinent. Calyci ad latera adſident bracteæ duæ ovato-acuminatæ.

Habitat in fruticoſis Caribæarum.

## VICIA.

1. VICIA (*littoralis*) pedunculis multifloris; foliolis oblongis, tomentoſis; ſtipulis integris; leguminibus ſublinearibus. TAB. CXXIV.

Planta hæc forte biennis *caulibus* teretibus, ramoſis, villoſisque procumbit, vel vicinis ſe fruticetis ſuſtentat. *Cirrhi* nulli. *Stipulæ* lanceolato-acuminatæ, villoſæ, integerrimæ. *Folia* pinnata: *coſta* villoſa, ſulcata, duos tresve pollices longa: *foliolis* utrinque circiter ſex cum impari, oblongis, baſi attenuatis, obtuſis, integerrimis, externe villoſis & cinereis, interne tomento vix conſpicuo viridique mollibus. *Racemi* ſimplices, ſtricti, ſubterminales, ad ortum in folii axilla aucti ſæpe flore uno alterove pedunculato. *Flores* inodori, carnei, charactere congenerum; at vexillo plano & patentiſſimo; carina lunulata & acuta; nectarii glandula nulla. *Legumen* villoſum, acutum, fuſcum, ſesquipollicare. *Semina* oblonga, teretiuſcula, utrinque obtuſa, e fuſco & nigro variegata. Vindobonæ perennat, totumque annum viret & floret.

Habitat proxime Carthagenam in littoribus arenoſis maritimis.

## PSORALEA.

1. PSORALEA (*carthagenenſis*) foliis pinnatis; ſpicis axillaribus.

Colutea enneaphyllos lotoides, ſiliculis conglomeratis. *Pluk. alm.* 113. *t.* 166. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, bilabiatum, perſiſtens. Tubus campanulatus, compreſſus, erectus. Limbus diviſus in ſetas quinque, acuminatas, patulas, quarum duæ ſuperiores longitudine tubi reliquis ſunt paulo breviores.

COR. papilionacea.

Vexillum cordato-ſubrotundum, obtuſum cum acumine, concavum, patens, calyce paulo longius, ungue longitudine bracteæ.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, erectæ, vexillo paulo longiores.

Carina ſubrotunda, concava, indiviſa, patenti-reflexa, vexillo duplo longior, ungue anguſto.

STAM. Filamenta decem, baſi coalita in unum corpus fiſſum, ſuperne diviſa, alterna longiora, ſitu carinæ. Antheræ ſubovales, incumbentes.

PIST. Germen parvum, ovatum, compreſſum, ſuperne villoſum. Stylus ſubulatus, inferne villoſus, ſitu & longitudine carinæ. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER.

PER. Legumen ſubrotundum, compreſſum, ſuperne ad latus acuminatum, vix longitudine calycis, uniloculare, bivalve.

SEM. unicum, figura leguminis.

Frutex erectus, gracilis, quinquepedalis, *ramis* paucis lentisque. *Folia* pinnata, alterna, unum alterumve pollicem longa: *foliolis* cum inpari ut plurimum quinque, obovatis vel ovalibus, emarginatis, glabris, petiolatis, oppoſitis, quatuor ſexve lineas longis, dorſo notatis folliculis, qui punctorum adinſtar apparent, haud ſecus atque in Hyperico perforato, quique ſucco ſcatent gummoſo & ingrate odorato. Hæc trita leviſſime, manum tingunt colore flavo lotioni vix cedente; frigidæ autem injecta, ilico hanc imbuunt flavedine gratiſſima, limpida, gradatimque ſaturatiore. *Spicæ* denſæ, axillares, ſolitariæ, breviter pedunculatæ, fere longitudine foliorum. *Flores* parvi, rubelli, ſeſſiles, calyce non punctato. Hæc planta Pſoraleas Ebenumque Linnæi ferme conjungit.

Habitat Carthagenæ in fruticetis. Floret Majo & ſequentibus.

## GOFFROEA.

1. GEOFFROEA (*ſpinoſa.*) TAB. CLXXX. Fig. 62.

Umari. *Marcgr. bras. l.* 3. *c.* 13.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, dorſo compreſſo-angulatum, ſemiquinquefidum: laciniis planis, longitudine fere æqualibus; quarum duæ ſuperiores ſubrotundæ, acutæ, divergentes, minus profunde inciſæ, patentiſſimæ; tres inferiores lanceolato-ovatæ, acuminata, patulæ.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, planum, reflexum, ungue plano & tubo calycis breviori.

Alæ duæ, oblongæ, concavæ, obtuſæ, erectæ, longitudine vexilli, baſi auctæ appendiculo, unguibus tenuibus & longitudine tubi calycis.

Carina compreſſa, figura ſitu & fere longitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, diadelpha, (ſimplex & novemfidum) erecta, apicibus leviter adſcendentibus, longitudine carinæ. Antheræ ſubrotundæ, parvæ.

PIST. Germen ſubrotundum, parvum. Stylus ſubulatus ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, ſimplex.

PER. Drupa ſubovata, magna, mollis, notata utrinque ſulco longitudinali, in latere autem compreſſiuſculo minus conſpicuo.

SEM. Nux ſubovata, magna, acuta, compreſſiuſcula, ſulco utrinque longitudinali, ſublignea, unilocularis, bivalvis. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbor

Arbor inelegans, ramoſa, erecta, duodecimpedalis. *Spinæ* raræ, ſubulatæ, ſæpè pollicares, in trunco ramisque craſſis. *Folia* pinnata: *coſta* glabra, ſuperne ſulcata, quadripollicari: *foliolis* utrinque ſæpius ſeptem cum impari, oblongis, obtuſis, glabris, integerrimis. *Racemi* ſimplices, denſi, axillares, tres quatuorve pollices longi. *Flores* breviſſime pedunculati, corollis ſordide fulvis, odorem late ſpirant fœtidiſſimum. *Drupa* haud male refert Amygdali fructum recentem, cortice veſtitur leviſſime tomentoſo, coloremque habet e flavo virentem. *Pulpa* eſt mollis, dulcis, odoris nauſeoſi, ſubflava; manumque inquinat macula ſubferruginea & difficulter delebili. *Nux* albicans pulpæ firmiter adhæret, continetque *nucleum* candidum ſaporis farinacei & adſtringentis. In ſtirpe papilionacea drupam quis prædicere fuiſſet auſus? Niſi forte objiciatur mihi, drupam hic enatam eſſe ex legumine, cujus cortex interior induratus mutatusque mentiatur nucem; adeoque legumen molle dici oportere. Ego vero naturæ præſcribere leges, ejusdemque liberrimum agendi modum torquere ad præconceptam hypotheſin nolui: adeoque drupam vocavi fructum pulpoſum nucem nucleumque continentem. Plantam nominavi in memoriam viri celeberimi Claudii Joſephi Geoffroy, edito ſuper materie medica opere laudatiſſimi.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis arenoſis maritimis; præſertim ad viam publicam El ſpaſſeo dictam.

## DIPHYSA.

1. DIPHYSA (*carthagenenſis.*) TAB. CLXXX. Fig. 51.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, compreſſiuſculum, ſemiquinquefidum: laciniis duabus ſuperioribus ſubrotundis, obtuſis, planis, patentiſſimis; duabus lateralibus ovatis, acutis, erectis, planiuſculis; infima lanceolato-acuminata, concava, erecta, reliquis paulo longiore.

COR. papilionacea.

Vexillum obovato-oblongum, emarginatum, amplum, planum, ungue concavo & longitudine tubi calycis; ita totum retrorſum arcuatum, ut cum ungue ſuo evadat bractea parallela.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, planæ, vexillo breviores, antice divergentes, poſtice conniventes, hinc alterum mentitæ vexillum, baſi auctæ appendiculo, inferne attenuatæ in unguem tenuem, retrorſum in ſemicirculum arcuatæ.

Carina falciformis, acuminata, compreſſa, alis brevior, baſi utrinque appendiculo aucta, poſtice & inferne diviſa, hinc attenuata in duos ungues tenues erectosque, ad alas ita recurvata, ut ad ungues apex evadat parallelus.

STAM.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum,) ſitu & longitudine carinæ, cui incluſa. Antheræ ovatæ, parvæ.

PIST. Germen lineare, teretiuſculum, pedicellatum, ſitu & fere longitudine carinæ. Stylus capillaris, deſcendens, carinam ſuperans. Stigma ſimplex, acutum.

PER. Legumen lineare, compreſſo-planum, obtuſum, uniloculare; utrinque longitudinaliter auctum veſica membranacea, maxima, inflata, undique clauſa, orta qualibet e futuris oppoſitis.

SEM. plura, oblonga, obtuſa, compreſſa, hamulo exiguo inſtructa.

Arbuſcula inermis, inelegans, erecta, ramoſa, decempedalis, habitu ad Mimoſas arboreſcentes accedit. *Folia* ſunt pinnata, glabra, bipollicaria, in ramuſculis junioribus: *foliolis* cum impari utrinque ſæpius quinque, quamvis etiam non raro ſint plura vel pauciora, oblongis, emarginatis, parvis, alternis vel oppoſitis. *Pedunculi communes* biflori vel triflori, axillares, filiformes, longitudine foliorum. *Flores* flavi, vix odori. *Leguminum* veſicæ ſunt tenues, ſiccæ, & albicantes; propter quas novi generis huic plantæ nomen ἀπὸ τῦ δὶς καὶ ταῖν φύσαιν derivatum indidi. Legumina autem diu in arbore perſiſtunt, nec in valvulas dehiſcunt; ſed tandem, vel deſtructis vel integris adhuc veſicis, inter ſingula ſemina transverſim in fruſta diſcedunt. *Semina* numero ſunt quinque vel ſex, & flaveſcunt. Incolis vocatur *Vivaſeca*.

Habitat paſſim proxime Carthagenam in fruticoſis; præcipue ad pedem collis, qui eſt e regione noſocomii leproſorum. Floret Auguſto & Septembri.

## PISCIDIA.

1. PISCIDIA (*Erythrina*) foliolis ovatis.

Piſcidia. *Linn. ſyſt. A. p.* 1155.

Erythrina foliis pinnatis, leguminibus membranaceo-tetragonis. *Linn. ſp. pl.* 3. *p.* 707.

Ichthyomethia foliis pinnatis ovatis, racemis terminalibus, ſiliquis quadrialatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 296.

Coral arbor polyphylla non ſpinoſa, fraxini folio, ſiliqua alis foliaceis extantibus rotæ molendinariæ fluviatilis aucta. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 39. *t.* 176. *f.* 4. & 5.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, bilabiatum: laciniis ſubrotundis, tubo duplo brevioribus; labii ſuperioris unica, obtuſa, emarginata, erecta, reliquis duplo latiore; labii inferioris lateralibus duabus obtuſis & patulis, media acuta & erecta.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, convexum, reflexum, calyce duplo longius, ungue brevi.

Alæ duæ, obovatæ, obtuſæ, erectæ, longitudine vexilli, unguibus tenuiſſimis calycemque leviter ſuperantibus.

Carina lunulata, retuſa, erecta, alis paulo brevior, unguibus tenuibus.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum,) inferne erecta, ſuperne ad angulum fere rectum adſcendentia, longitudine carinæ. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen oblongum, compreſſiuſculum, pedicellatum, erectum. Stylus ſubulatus, adſcendens ad angulum fere rectum, ſtaminibus longior. Stigma ſimplex, acutum.

PER. Legumen lineare, compreſſo-planum, auctum quatuor alis membranaceis longitudinalibus & latiſſimis, uniloculare, inter ſemina transverſim fere connatum.

SEM. plura, oblongo-reniformia, compreſſa.

Arbor erecta, inelegans, viginti quinque pedes alta, facileque habitu ſuo neglecto & ſingulari eminus diſtinguenda. *Folia* ſunt pinnata, quotannis decidua: *foliolis* ovatis, acutiuſculis, integerrimis, interioribus ſæpe rotundioribus. *Flores* inodori, racemoſi, prodeuntes ante folia, vel interdum una cum iisdem. Folia ramulique contuſa, & aquis injecta, piſces inebriant, ut aquis ſupernatent, manuque capi poſſint: quam virtutem cum multis aliis plantis Americanis communem hæc arbor poſſidet.

Habitat in Jamaica paſſim ad vias publicas.

2. PISCIDIA (*carthagenenſis*) foliolis obovatis.

Pſeudoacacia ſiliquis alatis. *Plum. ſpec.* 19. *ic.* 233. *f.* 2.

Habitum habet arbor hæc præcedentis; at omnia duplo majora. *Foliola* ſunt obovata & obtuſiſſima cum acumine vel absque illo. *Flores* non contigit videre.

Habitat Carthagenæ in ſylvis maritimis.

## ROBINIA.

1. ROBINIA (*violacea*) inermis; pedunculis racemoſis, partialibus biforis; foliis impari-pinnatis. TAB. CLXXVII. Fig. 49.

Pſeudoacacia fraxini foliis, floribus violaceis. *Plum. ſp.* 19.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, ore integro.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, amplum, planum, reflexum, ungue brevi.

Alæ duæ, obovatæ, obtuſæ, erectæ, longitudine vexilli, unguibus longis.

Carina

Carina figura ſitu & magnitudine alarum.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum,) erecta, apice adſcendentia. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſum, erectum. Stylus ſubulatus, adſcendens. Stigma ſimplex.

PER. Legumen oblongum, compreſſum, acutum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, reniformia, compreſſa.

Arbor inermis, erecta, duodecimpedalis. *Folia* pinnata, alterna, numeroſa, nitida; *foliolis* utrinque tribus (raro duobus, rarius quinque,) cum impari, ovatis, obtuſis, emarginatis, integris, petiolatis, oppoſitis, bipollicaribus. *Racemi* axillares, ſemipedales: *pedunculis partialibus* brevibus, biflo-ris, numeroſis. *Flores* & habent colorem & odorem Violæ martiæ.

Habitat Carthagenæ in fruticoſis. Floret Julio & Auguſto.

2. ROBINIA (*ſepium*) inermis; pedunculis racemoſis, partialibus uniflo-ris; foliis impari-pinnatis. TAB. CLXXIX. Fig. 101.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, ore leviſſime quinquedentato; denticulis ſuperioribus magis ad invicem approximatis.

COR. papilionacea.

Vexillum ſubrotundum, emarginatum, planum, amplum, reflexum.

Alæ duæ, oblongæ, obtuſæ, erectæ, liberæ, longitudine vexilli.

Carina oblonga, obtuſa, erecta, ſuperne ſublunulata, alis paulo brevior.

STAM. Filamenta decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum,) ſuperne adſcendentia. Antheræ ſubrotundæ, planæ, erectæ.

PIST. Germen lineare, compreſſum. Stylus ſubulatus, adſcendens. Stigma pubeſcens.

PER. Legumen longum, magnum, compreſſo-planum, obtuſum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, ovata, compreſſo-plana.

Arbor erecta, inermis, ad triginta altitudinem pedum excreſcit, habitu valde affinis Robiniæ Pſeudoacaciæ. In *ramos* dividitur teretes, ſuberectos, & longiſſimos. *Folia* habet pinnata, decempollicaria, ſparſa alternatim per integros ſæpe ramos, quotannis decidua: *foliolis* utrinque ut plurimum quinque cum impari, ovatis, obtuſis, apice attenuatis, nitidis, integerrimis, oppoſitis, petiolatis, bipollicaribus. *Racemi* axillares. *Flores* inodori, roſei. *Legumina* glabra, ſubfuſca. Ex putatis ſatisque ramis facili negotio propagatur. Hinc paſſim ab incolis adhibetur ad ſepes conſtruendas hortenſes, cito certoque comprehenſuras, nec vel aridiſſima anni tempeſtate interituras;

ſed quæ incommodum cultis ſimul terris inferunt non leve, niſi anniverſaria ramorum ante ſeminum maturitatem putatione illud avertatur. Flores enim quotannis quum proferunt numeroſiſſimos, ex his orta ſemina, valvularum elaſticitate quaquavorſum projecta, totidem novas arbuſculas celerrime produnt, in magnum domini detrimentum aut laborem. Vidi ſic putatam arborem anni ſpatio reproduxiſſe ramos novos, vix diviſos, totosque floribus onuſtos, qui duodecim altitudine pedes excedebant. Incolis dicitur *Raton* vel *Mata-raton*, id eſt, Glis vel Gliricida; eo quod hæc arbor prompte cuilibet offerat pro fuſte ramum, conſpecto gliri quo caput ocyus illidat.

Habitat paſſim Carthagenæ.

## GALEGA.

1. GALEGA (*caribæa*) leguminibus ſtrictis, glabris, pendulis, racemoſis; foliolis oblongis, glabris; caule fruticoſo. TAB. CXXV.

Frutex erectus, ramoſus, tenuis, bipedalis. *Stipulæ* ſetaceæ, integræ. *Folia* pinnata, tripollicaria, ſæpe diſticha: *foliolis* utrinque cum impari plus minus decem, ovali-oblongis, obtuſis cum acumine ſetaceo, integerrimis, utrinque glabris. *Racemi* axillares, laxi, ſimplices, ſtricte patentes, ſolitarii, plus minus ſexflori, foliis longiores. *Flores* inodori, e rubro albidoque variegati. Calycis laciniæ duæ ſuperiores minus profunde inciduntur & ſunt reliquis breviores; lacinia vero infima ſuperat longitudine omnes. Vexillum obtuſum, emarginatum, & patentiſſimum ungui brevi inſiſtit. Carina ſubrotundo-falcata eſt, atque acuminata. Stamina diadelpha ſitum ſequuntur carinæ. Hinc etiam ſtylus, totus leviter hirſutus, ad angulum fere rectum adſcendit, ſtigmate terminatus ſimplici & obtuſiuſculo. *Legumen* lineare, compreſſo-planum, longum, obtuſum cum acumine, inter ſemina ſingula transverſe ſulcatum, fuſcum, glabrum, uniloculare; bivalve, terram verſus pendet, vel etiam ad racemum usque per pedunculum incurvatum retroflectitur. *Semina* nitida nigricant. Cætera conveniunt cum charactere Linnæano Craccæ *gen.* 795.

Habitat in Caribæis; præcipue in fruticoſis pratenſibus.

CAL. Perianthium pentaphyllum, germini inſidens, tandem deciduum: foliolis lanceolatis, planis, acutis, parvis, patentiſſimis.

COR. Petalum hypocrateriforme. Tubus cylindraceus, longiſſimus, erectus, circa medium ventricoſus. Limbus quinquefidus: laciniis obovatis, obtuſis, planis, brevibus, patentiſſimis.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima. Antheræ lineares, erectæ, in ventre tubi.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, erectus, ſtaminibus paulo longior. Stigma bifidum: laciniis linearibus, obtuſis.

PER. Capſula ſubrotunda, veſtita pellicula multivalvi & decidua, bilocularis, bivalvis: diſſepimento valvulis contrario, longitudinaliter diviſo.

SEM. ſolitaria, hemisphærica, ſtriata, leviter umbilicata.

Arbuſcula erecta, ramoſa, ſæpe quindecim pedes alta. *Folia* ovalia, baſi attenuata, obtuſa, integerrima, glabra, oppoſita, petiolata, magnitudine valde varia. *Racemi* compoſiti, axillares, laxi, trifidi; *pedunculis communibus partialibus* dichotomis. *Flores* numeroſiſſimi, leviter odorati, ſeſſiles atque pedunculati, e purpureo albicantes. *Capſula* involvitur pellicula ſuccolenta ceu bacca, quæ paulatim exſiccatur in maturitate, calycisque in modum polyphylli abſcedit; tuncque valvulæ aperiuntur. Si quis diſtincti generis hanc ſtirpem eſſe voluerit, facile patiar.

Habitat Carthagenæ locis rupeſtribus & ſylvaticis; omnium frequentiſſime in inſulis Baru & Tierra Bomba. Floret Julio.

3. RONDELETIA (*trifolia*) foliis ternis, verticillatis. TAB. XLIII.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, quinquedentatum, acuminatum, perſiſtens: tubo ad baſin germini circumnato.

COR. Petalum hypocrateriforme. Tubus cylindraceus, erectus, longiſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, obtuſis, planis, patentiſſimis, tubo triplo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, tubo circa medietatem inſerta. Antheræ lineares, erectæ, tubo breviores.

PIST. Germen ſubrotundum, calyci adnatum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum: laciniis linearibus, craſſiuſculis.

PER. ſubrotundum, obſolete didymum, coronatum dentibus calycinis, biloculare, . . .

SEM. ſolitaria, ſubrotunda.

Arbor erecta, duodecimpedalis. *Rami juniores* obtuſe triangulares, hirſuti. *Folia* terna, verticillata, lanceolata, acuta, integerrima, facie glabra, dorſo leviter tomentoſa, tripollicaria; *petiolis* hirſutis. *Stipulæ* ſubrotundo-

acu-

# POLYADELPHIA.
# POLYANDRIA.

## HYPERICUM.

1. HYPERICUM (*cayennenſe*) floribus pentagynis; caule arboreo; foliis ovatis.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis ovatis, concavis, acutis, erectiuſculis.

COR. Petala quinque, obovata, obtuſiſſima, concava, interne hirſutiſſima, erecta, calyce duplo longiora.

Glandulæ nectareæ quinque, ovatæ, erectæ, longitudine germinis, cum corporibus filamentoſis alternantes.

STAM. Filamenta numeroſa, calyce paulo longiora; connata in corpora quinque, ſubulata, hirſuta, apice penicilli inſtar diviſa. Antheræ globoſæ, minimæ.

PIST. Germen ovatum, calyce triplo brevius. Styli quinque, ſubulati, patentes, ſtaminibus breviores. Stigmata capitata, obtuſa.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor ramoſa, erecta, octodecim pedes alta. *Folia* ovata, acuta, integerrima, nitida, punctis nigris notata, petiolata, oppoſita, duos tresve pollices longa. *Racemi* compoſiti, terminales. *Flores* ſubvirentes, corollæ hirſutie alba. *Amygdali cayennenſis* titulo ex Cayenna in Martinicam translata, ibidem in horto P. P. Societatis Jeſu floruit ſæpius, fructum vero, quum iſtic degebam, tulerat nedum. Forſitan conſtituit novum genus, quod aliquando cognitus pericarpii character docebit.

Habitat Cayennæ.

# SYNGENESIA.

# POLYGAMIA ÆQUALIS.

## SPILANTHES.

1. SPILANTHES (*urens*) foliis integerrimis. TAB. CXXVI. Fig. 1.
Santolina pyrethri ſapore, humifuſa. *Plum. ſpec.* 10.

CAL. Communis ſubhemisphæricus, imbricatus: ſquamis ovatis, compactis, exterioribus duabus acuminatis, reliquis obtuſis.

COR. Compoſita tubuloſa, conico-convexa. Corollulæ hermaphroditæ numeroſæ, uniformes.

Propria monopetala, infundibuliformis; limbo quinquefido, acuto, reflexo, tubo duplo breviori.

STAM. Filamenta quinque, capillaria, breviſſima. Anthera cylindracea, tubuloſa, corollæ tubo pauxillo longior.

PIST. Germen oblongum, plano-compreſſum, longitudine corollæ. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, reflexum.

PER. nullum. Calyx immutatus.

SEM. ſolitaria, oblonga, compreſſo-plana, aucta lateribus membranula ad marginem villoſa, quæ ſuperne abit utrinque in ſetam unicam, alteram altera duplo longiorem.

REC. nudum, conicum, obtuſum.

*Radix* perennis. *Caules* herbacei, teretes, glabri, ramoſi, procumbunt, terræque e geniculis radiculas immittunt teretes & albicantes; opinor, plusquam annui. *Folia* ſunt ex anguſto lanceolata, acuminata, integerrima, utrinque glabra, facie virentia, dorſo leucophæa, ſeſſilia, ſemper oppoſita, trinervia, nervis ſupra baſin unitis, ſesquipollicaria, plurima. Hæc morſa, & linguæ impoſita, etiamſi in principio videantur inſipida, brevi urentem caloris ſenſum ori imprimunt, radici Pyrethri nequaquam cedentem, cujus etiam in locum iſtis utuntur incolæ in Odontalgiis ſimilibusque morbis, ubi convenit humorum fluxum provocare ad internas oris partes. *Pedunculi* uniflori, ſolitarii, ſuberecti cum ramulo ſuo, longi, ſubterminales, *florem* gerunt albicantem, inodorum, punctisque nigris variegatum; quæ proveniunt ab antheris, nigredine ſua flores veluti maculis punctatis adſperſos reddentibus: unde hiſce plantis nomen impoſui ἀπὸ τῦ ϖιλῦ καὶ τῦ ἄνθος derivatum. Poſt floris perfectam explicationem, e latere pedunculi ad baſin cauliculus novus enaſcitur folioſus, ſuum & ipſe tempore ſuo florem producturus.

Habitat

Habitat Carthagenæ in campis arenoſis, præſertim maritimis. Florentem vidi a Majo ad Octobrim.

2. SPILANTHES (*inſipida*) foliis dentatis. TAB. CXXVI. Fig. 2.

*Caules* fruticoſi, teretes, ramoſi, procumbentes. *Folia* obovata, baſi attenuata, glaberrima, crenato-dentata, acuminata, ſubſeſſilia, oppoſita, ſesquipollicaria, ſapore ſalſo, at nullatenus urente. *Pedunculi* & *flores* omnino præcedentibus ſimillimi.

Habitat Havanæ in rupeſtribus maritimis. Vidi florentem Decembri & Januario.

## KLEINIA.

1. KLEINIA (*ruderalis.*) TAB. CXXVII.

CAL. Communis ſimpliciſſimus, oblongus, cylindraceus, glaber, collo convente, ore patulo, pentaphyllus: foliolis lineari-lanceolatis, acuminatis, æqualibus.

COR. Compoſita tubuloſa, uniformis. Corollulæ hermaphroditæ plurimæ, æquales, calyce pauxillo longiores.

Propria monopetala; tubo lineari, tenui, longiſſimo; limbo ſubcampanulato, quinquefido.

STAM. Filamenta quinque, capillaria, breviſſima. Anthera cylindracea, tubuloſa, quinquedentata.

PIST. Germen lineare, calyce duplo brevius. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, revolutum, apicibus villoſis.

PER. nullum. Calyx totus retroflexus.

SEM. ſolitaria, linearia, coronata pappo capillari.

REC. nudum, planiuſculum, punctatum.

Planta annua, erecta, tripedalis vel minus alta, glaberrima, paniculata. *Folia* ad lanceolatam figuram magis minusve accedunt, magnitudine valde varia, pleraque alterna, nunc integra, nunc inæqualiter repanda vel inciſa, acuta, petiolata, e glauco virentia. *Pedunculi* uniflori, terminales, ſolitarii, erecti. *Flores* inodori, calyce viridi, corollis e viridi luteoque mixtis. Quum plantæ, quæ dictæ fuerant in celeberrimi Kleinii memoriam, cum Cacaliis nunc ſint conjunctæ, hanc novi generis ſtirpem laudati viri nomine appellavi.

Habitat in Domingo & Martinica; in ruderatis, glareoſis, muris, ſimilibusque locis.

# POLYGAMIA SUPERFLUA.

## PECTIS.

1. PECTIS (*punctata*) foliis linearibus, integerrimis, dorso punctatis. TAB. CXXVIII.

Chondrilla foliis anguſtis & ad oras punctatis. *Plum. ic. 86. f.* 1.

CAL. Communis ſimplex, oblongus, quinqueſulcatus, pentaphyllus: laciniis linearibus, canaliculatis, obtuſis, erectis, æqualibus.

COR. Compoſita, radiata. Corollulæ hermaphroditæ tubuloſæ duæ tresve in diſco. Fœminæ ligulatæ quinque in radio. Propria hermaphroditi infundibuliformis: limbo quinquefido, acuto, erecto, brevi.

Fœminæ ligulata; tubo cylindraceo; limbo ovali, plano, reflexo, ad apicem tridentato, hermaphroditis paulo longiori.

STAM. Hermaphroditis Filamenta quinque, capillaria, breviſſima. Anthera cylindracea, longitudine corollæ.

PIST. Hermaphroditi Germen lineare, longitudine calycis. Stylus filiformis, erectus, corolla longior. Stigma bifidum, patens.

Fœminæ Germen lineare, longitudine calycis, ſingulum ſingulo calycis foliolo incluſum. Stylus filiformis, longitudine tubi corollæ. Stigma bifidum, patens.

PER. nullum. Calyx immutatus, patens.

SEM. Hermaphroditis ſolitaria, linearia, inſtructa ſetis duabus.

Fœminis ſimillima Hermaphroditis.

REC. nudum.

Planta annua, tenella, erecta, bipedalis vel tripedalis. *Rami* glabri, ſtriati, dichotomi. *Folia* linearia, utrinque attenuata, acuminata, integerrima, ſuperne glabra, dorſo punctata, baſi utrinque ciliata, oppoſita, ſubſeſſilia, ſesquipollicaria. *Pedunculi* uniflori, ſolitarii, fere longitudine foliorum, in dichotomiis caulium, interdum etiam axillares. *Flores* parvi, ſordide flaveſcentes, inodori.

Habitat paſſim Carthagenæ ad margines ſylvarum. Floret Septembri & Octobri.

## BELLIS.

1. BELLIS? (*ramoſa*) caule ramoſo. TAB. CXXIX.

Planta annua, erectaque, *caule* adſurgit tereti, ramoſo, folioſo, ſcabro, ſesquipedali, rubeſcente cum adſperſis punctis albidis. *Folia* habet lanceo-

lato-

lato-oblonga, acuta, ferrata, ſcabra, oppoſita, ſeſſilia, duos tresve pollices longa. *Pedunculi* uniflori, ſubterminales. *Flores* albidi, inodori. Scatet planta tota ſucco viridi & aquoſo, qui ad aëris attactum nigricat. Hæc una cum foliis & radicibus ad manipulum unum preſſa contuſaque ſine addito liquore ullo dedit fere uncias duas ſucci valde diluti, atri, cum eleganti cæruleſcentia mixti, quo ceu atramento uti potui. Color iſte, ſi figi poſſet, pulcherrimam ſane tincturam conſtitueret. Servus æthiops ex Guinea Africæ in Martinicam advectus aſſeruit mihi, loco natali ſuo a popularibus ipſiſſimam adhiberi plantam, quo cutim intenſius denigrent, iisdemque *Intoum* nuncupari. Valde dubitanter hanc plantam ad Bellides retuli; in adverſariis enim dumtaxat notata ſequentia reperio. Calycem eſſe hemisphæricum, æqualem, polyphyllum, in fructu immutatum. Stamina, piſtillum, & pericarpium, ut in Bellide. Receptaculum nudum, convexum, nec conicum. Corolla omittitur, quæ certitudinem afferret, & quæ ex icone tubuloſa tota videtur.

Habitat in Domingo & Martinica, in pratenſibus humidis, & inundatis, æque maritimis atque aliis.

## WEDELIA.

1. WEDELIA (*fruteſcens.*) TAB. CXXX.

CAL. Communis tetraphyllus: foliolis ſubovatis, planis, laxis, magnis.

COR. Compoſita radiata. Corollulæ hermaphroditæ plurimæ in diſco. Fœminæ ut plurimum octo in radio.

Propria Hermaphroditis monopetala; tubo infundibuliformi, longo; limbo quinquefido, acuto, erecto.

Fœminis monopetala; tubo cylindraceo, brevi; limbo obcordato, plano, magno, ſemibilobo: laciniis ſemiovatis, integerrimis, obtuſis, divaricatis.

STAM. Filamenta Hermaphroditis quinque, capillaria, brevia. Anthera cylindracea, tubulata, longitudine corollulæ.

PIST. Hermaphroditis Germen oblongum. Stylus filiformis, longitudine corollulæ. Stigma bifidum; laciniis filiformibus, revolutis.

Fœminis Germen oblongum. Stylus filiformis, tubo corollæ duplo longior. Stigma bifidum; laciniis filiformibus, revolutis.

PER. nullum. Calyx immutatus.

SEM. Hermaphroditis ſolitaria, obovata, coronata calyculo campanulato circiter decemdentato.

Fœminis ſimillima Hermaphroditis.

REC. planiuſculum, inſtructum paleis totidem, quot ſunt floſculi, concavis, obtuſis, longitudine floſculorum, interiorum apicibus corollæ concoloribus.

Planta fruticosa, scandens; *caulibus* teretibus, glabris, lignosis, gracilibus, ramosis, brachiatis. *Folia* sunt ovata, acuta, leviter serrata, utrinque scabra, brevi petiolo donata, opposita, in ramusculis junioribus. *Pedunculi* uniflori, solitarii, subterminales, ad quorum nempe basin novi ramuli exsurgunt. *Flores* flavi, diametro pollicari minores. *Paleæ* extimæ majores imponunt, ac si calycis imbricati essent foliola interiora; sed attenta floscu-lorum inspectio docet, ad floseulos radii ceu paleas pertinere, suamque cuilibet floseulo esse paleam. Hanc plantam in memoriam viri clarissimi Joannis Wolfgangi Wedelii, Jenensis Medici, optime de Botanica meriti nominavi.

Habitat passim Carthagenæ in fruticetis & sylvaticis. Floret præcipue Julio & Augusto.

# MONOGAMIA.

## STRUMPFIA.

1. STRUMPFIA (*maritima.*)

Thymelæa frutescens, rosmarini folio, flore albo. *Plum. spec.* 17. *ic.* 251. *f.* 1.

Thymelæa humilior, foliis acutis atrovirentibus. *Sloan. hist. jam.* 2. *p.* 93. *t.* 189. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, erectum, quinquedentatum, acuminatum, germini insidens, persistens.

COR. Petala quinque, ovato-oblonga, obtusa, patentia.

STAM. Filamenta omnino nulla. Antheræ quinque, oblongæ, erectæ, corolla paulo breviores, coalitæ in unum corpus ovatum quinquesulcatum apice & basi levissime quinquedentatum.

PIST. Germen subrotundum, inferum. Stylus subulatus, erectus, staminibus paulo longior. Stigma simplex, obtusum.

PER. Bacca subrotunda, umbilicata, coronata calyce, unilocularis.

SEM. unicum, subrotundum.

Frutex erectus, tripedalis. *Rami* teretes, subcinerei, a casu foliorum articulis constare brevibus visi, eo quod folia cum stipulis ortum ducant e vagina communi, quæ ramum ambit, ac persistit. *Folia* sunt terna, Rorismarini foliis simillima. *Stipulæ* parvæ, acutæ, & nigricantes, cum foliis alternant. *Pedunculi communes* axillares & foliis duplo breviores sustinent *flores* circiter quinque, parvos, petalis albis, & breviter pedunculatos. *Baccæ* molles & albi magnitudinem habent piselli. Tota planta odorem spirat levem & ingratum. Nominavi hanc in memoriam Christophori Caroli Strumpff, Halæ Magdeburgicæ, dum viveret, Chemiæ & Botanices Professoris, prænatura morte erepti.

Habi-

Habitat in Curaçao in rupibus maritimis; præcipue in ſuburbio dicto de Klip.

## LOBELIA.

1. LOBELIA (*Plumieri*) fruteſcens; foliis ovali-oblongis, integerrimis.
TAB. CLXXIX. Fig. 88. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 929. *Osb. it.* 275.
Lobelia fruteſcens, portulacæ folio. *Plum. ic.* 165. *f.* 1. *Catesb. car.* 1. *p.* 79. *t.* 79.
Bugloſſum littoreum. *Rumpf.* 4. *p.* 116. *t.* 54.

BIBLIOTECA NACIONAL DE COLOMBIA BOGOTA LIBROS RAROS Y CURIOSOS

CAL. Perianthium margo parvus, inæqualiter quinquedentatus, germen coronans.

COR. monopetala, ſubinfundibuliformis, tota longitudinaliter fiſſa patensque. Tubus oblongus, interne hirſutus, longiſſimus, ſuperne adſcendens. Limbus quinquefidus, tubo duplo brevior: laciniis lanceolatis, planis, ſecundis, patentiſſimis, baſi ciliatis, in ambitu membranula auctis.

STAM. Filamenta quinque, capillaria, orta ex ſuperficie germinis, tubo corollæ breviora. Antheræ diſtinctæ, oblongæ, obtuſæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, inferum. Stylus filiformis, ſuperne craſſeſcens, e fiſſura corollæ totus egreſſus, ſtaminibus duplo longior, ſuperne verſus corollam ad angulum rectum recurvatus abiensque in Stigma applanatum, obtuſum, ore aperto & ciliato.

PER. Drupa ſubrotunda, nitida, pulpoſa, mollis, notata puncto umbilicato.

SEM. Nux ovata, acuta, rugoſa, bilocularis. Nuclei ſolitarii, hinc convexi, illinc plani.

Frutex bipedalis, lignoſus, fragilis, diffuſus, baſi ramoſus & procumbens, habitu neglecto, littora arenoſa maritima ad magnam ſæpe extenſionem denſe obſidet. *Folia* habet ovata, craſſa, nitida, ſucculenta. *Flores* albeſcunt. *Drupa* atra eſt. A congeneribus tantopere differt, ut omnino credam, diſtinctum eſſe genus oportere.

Habitat in inſula ſancti Martini.

2. LOBELIA (*longiflora*) foliis lanceolatis, dentatis; pedunculis breviſſimis, lateralibus; tubo corollæ filiformi, longiſſimo. *Linn. ſp. pl.* 9. *p.* 930.
Rapunculus aquaticus; foliis cichorei, flore albo, tubo longiſſimo. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 158. *t.* 101. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquinquefidum, quinquangulare, germini circumnatum, perſiſtens: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, dentatis, erectis, fere æqualibus.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, omnium longiſſimus, ſuperne leviter lateſcens, externe villoſus, erectus. Limbus quinquefidus, planus: laciniis lanceolato-ovatis, acutis, æqualibus.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, orta in parte ſuperiore tubi. Antheræ quinque, didymæ, connatæ in cylindrum oblongum, gibbum, baſi quinquefariam dehiſcentem.

PIST. Germen calycis tubo adnatum, cujus figura. Stylus cylindraceus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, bifidum.

PER. Capſula ſubovata, cincta calyce, ejusdemque laciniis coronata, inflata, bilocularis, apice dehiſcens.

SEM. numeroſa, minima. Receptacula duo, oblonga, medio diſſepimento adnata.

Planta annua, ſuberecta, elegans, *caulibus* magis minusve villoſis. *Folia* oblonga, ſubpinnatifido-dentata, acutiuſcula, glabra, marginibus denticulatis, ſeſſilia, alterna, ſemipedalia. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, villoſi, breves. *Flos* ſpecioſus, niveus, erectus, quadripollicaris. *Capſula* viret, quando feminibus jam maturis diſrumpitur. Tota planta eſt veneno-ſiſſima. Interne ſumpta hypercatharſin creat nullis remediis cedentem, tandemque lethalem. Succo ejus infecta manus ſi oculos fricat labiave, inflammationem inducit urentem, cujus inſcius feci experimentum. Equus hanc ſi comedit, rumpi medius fertur; unde nomen apud Hiſpanos ſortita eſt *Rebenta-cavallos*, id eſt, Equorum diſruptor. Apud Domingenſes famoſa eſt ſub nomine *Quedec*.

Habitat in Domingo, Cuba, Jamaica, & Martinica; ad rivulos, inque humidis.

# GYNANDRIA.
# DIANDRIA.

## ORCHIS.

1. ORCHIS (*ſetacea*) bulbis faſciculatis; nectarii cornu ſetaceo, germine longiori; labio quinquepartito, ſetaceo.

Planta bipedalis, erecta; *foliis* lanceolatis, acutis, integerrimis, alternis. *Flores* ſpicati, candidi.

Habitat in pratis humidis Martinicæ. Floret Novembri.

SATY-

## SATYRIUM.

1. SATYRIUM (*plantagineum*) bulbis ſubfibroſis; foliis caulinis ovatis, petiolatis, vaginantibus; nectarii labio inferiore integro. *Linn. ſyſt. A. p.* 1244.

Orchis elatior latifolia, aſphodeli radice, ſpica ſtrigoſa: *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 250. *t.* 147. *f.* 2.

Planta bipedalis. *Caulis* procumbenti-erectus, e geniculis radicans. *Folia* falcato-ovata, acuminata, quinquenervia, alterna, petiolata. *Flores* albi, circiter quinquaginta in eadem ſpica. Nectarii labium inferius refert veſiculam oblongam, pauloque eſt germine brevius. Antheræ in unum cuſpidem ſunt connatæ. Petala connaſcuntur in galeam quinquedentatam. *Spathæ* ovato-lanceolatæ, longitudine germinis.

Habitat in Martinicæ ſylvis humidis & umbroſis.

## EPIDENDRUM.

1. EPIDENDRUM (*lineare*) foliis caulinis linearibus, emarginatis, obtuſis; caulibus ſimpliciſſimis. TAB. CXXXI. Fig. 1.

Helleborine tenuifolia, repens. *Plum. ſp.* 9. *ic.* 182. *f.* 1.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.

Perianthium nullum. Germen florem ſuſtinens.

COR. Petala quinque, ovato-oblonga, ſubæqualia, acuta, erecta, quorum tria exteriora paulo latiora.

Nectarium monophyllum, erectum, tubuloſum, bilabiatum. Labium ſuperius oblongum, apice cucullatum, petalis brevius. Labium inferius tertii petali interioris figura, ejusdemque locum occupans.

STAM. Filamenta duo, breviſſima, piſtillo inſidentia. Antheræ obovatæ, didymæ, reconditæ ſub cuculla biloculari nectarii.

PIST. Germen cylindraceum, rectum, longitudine corollæ, inferum. Stylus adnatus margini interiori tubi nectarii. Stigma infundibuliforme.

PER. Capſula ovato-oblonga, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Planta bipedalis, arborum paraſitica. *Radix* repens, fibroſa, teres, cinerea, emittit *caules* plurimos folioſos ſimplices teretesque. *Spica* laxa, plerumque quadriflora. *Folia* linearia, integra, emarginata, obtuſa, nitida, plana, coriacea, rigidiuſcula, vaginantia, diſticha, alterna, totum caulem ornantia. *Flores* purpurei, parvi.

Habitat in ſylvis denſis Martinicæ.

2. EPIDENDRUM (*ramoſum*) foliis caulinis oblongis, emarginatis, obtuſis; caule ramoſo. TAB. CXXXII.

Planta ſesquipedalis, ramoſa, folioſa, arboribus innaſcens paraſitica. *Radices* fibroſæ. *Rami* compreſſiuſculi, glabri, cinerei. *Folia* oblonga, obtuſa, emarginata, coriacea, rigida, avenia, integra, nitida, baſi vaginantia, ſordide virentia, alterna, ſesquipollicaria. *Spathæ* cordato-ovatæ, acutæ, conniventes. *Spicæ* laxæ, diſtichæ, terminales, ſesquipollicares, plus minus quadrifloræ. *Flores* parvi, inelegantes, virentes; in quibus *petala* ſunt rigidiuſcula, longitudine æqualia, tria exteriora lanceolata, duo interiora linearia. *Nectarii* labium inferius eſt oblongo-cordatum, acuminatum, concavum, rigidum, longitudine petalorum, cujus tertii interioris locum occupat. *Antheræ* ſunt ſubrotundæ. *Germen* corollam leviter ſuperat. Reliqua omnia plane ſunt, qualia in præcedente,

Habitat in Martinicæ ſylvis.

3. EPIDENDRUM (*globoſum*) foliis caulinis ſubulatis, ſulcatis; floribus terminalibus, ſubſolitariis. TAB. CXXXIII. Fig. 1.

*Radices* fibroſæ, teretes, cinereæ, numeroſæ, ramis arborum paraſiticæ adnaſcuntur; ac cespitoſe produnt *caules* ſimpliciſſimos, duos tresve pollices altos, teretes, glabros, folioſos, apice in *ſpadicem* abeuntes uniflorum, rarius biflorum, rariſſime triflorum; unde *ſpathæ* adſunt pauciſſimæ. *Folia* ſunt ſubulata, acuta, glabra, interne ſulco exarata, nitida, rigidiuſcula, ſeſſilia, alterna, pollicaria. *Flos* exiguus, vix coloratus, erectus, ſtructura eſt Epidendri linearis; præterquam quod *germen* ſit petalis duplo longius; *capſulaque* globoſa, ſexſulcata, & piſelli magnitudine.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

4. EPIDENDRUM (*rigidum*) foliis caulinis oblongis, obtuſis; ſpathis longitudine flores æquantibus. TAB. CXXXIV.

Planta pedalis, tota viridis, arboribus paraſitica inhabitat. *Radices* ſunt fibroſæ, cinereæ, teretes, numeroſæ; e quibus exſurgunt *caules* ſimplices, teretes, folioſi, terminati *ſpica* diſticha, laxiſſima, circiter quadriflora. *Spathæ* maximæ, coriaceæ, rigidæ, fere longitudine æquant *flores* inelegantes, parvos, totos rigidos & craſſos; quorum ſunt *petala* patentiſſima, tria exteriora ovata, duo interiora lanceolata, pauloque breviora. *Nectarii* labium inferius cordato-ſubrotundum, obtuſum cum exiguo acumine, planum, erectum, longitudine petalorum, denticulo utrinque ad baſin inſtruitur. *Antheræ* ſunt ſimplices. *Germen* eſt oblongum, incurvum, & trigonum. *Capſula* ovata, obtuſa, & trigona. Cætera ſunt in charactere ſimillima Epidendro lineari. *Folia* ſunt coriacea, rigida, & nitida.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

5. EPIDENDRUM (*coccineum*) foliis caulinis ſubenſiformibus, obtuſis; pedunculis unifloris, axillaribus. TAB. CXXXV.

Helleborine coccinea, multiflora. *Plum. ſpec.* 9. *ic.* 180. *f.* 1.

Planta

acuminatæ, ternæ, alternantes cum foliis. *Racemi* hirſuti, inæquales, ramoſi, axillares, ſesquipollicares. *Flores* inodori, exigui, rubelli, ſeſſiles & pedunculati. *Fructum* maturum non vidi; qui immature carptus in ſpecimine exſiccato meo bivalvis evaſit, diſſepimento valvulis oppoſito. Ad Rondeletias reduxi, donec cognitus pericarpii character aliud ſtatuat.

Habitat in Jamaica ad pedes montium in Ferry. Florentem vidi Februario.

## CHIMARRHIS.

1. CHIMARRHIS (*cymoſa.*)

CAL. Perianthium margo integer, coronans germen, perſiſtens.

COR. Petalum infundibuliforme. Tubus breviſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, concavis, obtuſis, inferne lineola longitudinali media hirſutis, patentibus.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, baſi hirſuta, infra diviſuras limbi, longitudine corollæ. Antheræ ovales, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, obtuſum.

PER. Capſula ſubovata, obtuſa, coronata, bilocularis, bivalvis; valvulis apice bifidis.

SEM. ſolitaria.

Arbor procera, comoſa, atque elegans. *Rami* primarii patent horizontaliter. *Folia* ſunt ovata, utrinque acuminata, integerrima, nitida, petiolata, oppoſita, pedalia, in ſummitate cujusque ramuli octo plerumque aut decem ſubfrondoſa. *Flores* numeroſi, parvi, inodori, corollis albidis; in *racemis* cymoſis & diametro ſemipedali, qui in axillis ſunt oppoſiti & ſolitarii, terminales plerumque quaterni. *Capſulæ* parvæ. *Materies* alba ad aſſeres vulgares conficiundos adhibetur. Vocatur ab incolis *Bois de riviere* ſive Arbor fluviorum. Ἀπὸ τῦ χειμάῤῥȣ, quod ad torrentes plerumque creſcat, nomen derivavi.

Habitat in Martinica vulgaris.

## CINCHONA.

1. CINCHONA (*caribæa*) pedunculis unifloris. TAB. CLXXIX. Fig. 95.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, quinquedentatum, acuminatum, erectum, germini inſidens, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, longiſſimus, erectus. Limbus quinquefidus: laciniis linearibus, obtuſis, concavis, reflexis, tubum ſuperantibus.

Planta elegans, paraſitica arborum. *Radices* teretes, numeroſæ, fibroſæ, cinereæ. *Caules* ex eadem radice plures, vix tandem pedales, ante quorum evidentem exortum jam flores prodeunt in axillis foliorum radicalium; quos dein ipſi caules in axillis foliorum ſuorum ſucceſſive altioribus emittere porro pergunt. Ad caulium vero latera adſtant *nodi* ſeu bulbilli ſubrotundi, compreſſi, glabri, rugoſi, ſpongioſi, virides, folioque terminati. *Folia* radicalia & caulina ſunt ſubenſiformia, emarginata, obtuſa, integra, avenia, nitida, craſſiuſcula, flacciuſcula, baſi conniventia, ſuperne plana, a quatuor ad octo pollices longa. *Pedunculi* filiformes, albicantes, tenelli, bipollicares, uniflori, axillares, bini plerumque vel terni, *ſpathis* paucis & vaginantibus veſtiti. *Flores* inodori, polycares, toti cum germine miniati, charactere cum Epidendro lineari conveniunt; niſi quod ſint *petala* ovato-acuminata & concava. *Nectarii* labium inferius lanceolato-cordatum, rigidiuſculum, ſuberectum. *Antheræ* in ſinguli filamentis geminæ, compreſſæ. *Germen* lineare, tenue, petalis concolor, iisdemque multo longius.

Habitat in ſylvis Martinicæ humidis, præcipue ad torrentes.

6. EPIDENDRUM (*difforme*) foliis caulinis oblongis; floribus terminalibus, aggregatis; nectarii tubo longitudine corollæ. TAB. CXXXVI.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.
Perianthium nullum. Germen florem proferens.

COR. Petala quinque, oblonga, ſubæqualia, patentiſſima, quorum duo interiora paulo anguſtiora.
Nectarium monophyllum, petalis concolor. Tubus cylindraceus, erectus, fere longitudine corollæ. Limbus bilabiatus. Labium ſuperius erectum, parvum, cucullatum. Labium inferius amplum, obcordatum, emarginatum, patentiſſimum, longitudine tubi

STAM. Filamenta duo, breviſſima, piſtillo inſidentia. Antheræ bilamellatæ, obovatæ, planæ, reconditæ intra cucullam bilocularem nectarii.

PIST. Germen obverſe ſubulatum, incurvum, tenue, petalis duplo longius, iisdemque concolor, inferum. Stylus adnatus tubo nectarii. Stigma infundibuliforme.

PER. Capſula ovalis, obtuſe hexagona, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Planta arborum paraſitica, glabra, pedem rarius æquat altitudine. *Radices* teretes, fibroſæ, cinereæ, numeroſæ. *Caules* teretes, folioſi, plures, ſimplices, plerumque ſitu horizontali vel pendulo. *Folia* ſunt oblonga, coriacea, emarginata, avenia, dilute virentia, vaginantia, totum caulem veſtientia, alterna, pollicem vel ſesquipollicem longa, ut plurimum difformia. *Spadix* breviſſimus, reconditus in ſinu folii terminalis, circiter quinqueflorus.

*Spathæ*

*Spathæ* pauciſſimæ. *Flores* ſubfœtidi, e viridi albentes, rigidiuſculi, ſesquipollicares.

Habitat in Martinicæ arboribus vaſtis paſſim.

7. EPIDENDRUM (*ſecundum*) foliis caulinis oblongis; ſpicis ſecundis; nectarii tubo longitudine corollæ; caule tereti. TAB. CXXXVII.
Helleborine purpurea, umbellata. *Plum. ſpec.* 9. *ic.* 148. *f.* 1.

Planta bipedalis, arborum paraſitica. *Radices* fibroſæ, teretes, albicantes. *Caulis* teres, rubicundus, glaber, folioſus. *Folia* ex ovali oblonga, emarginata, integra, nitida, coriacea, avenia, rigida, amplexicaulia, alterna, diſticha, fere tripollicaria, atro-virentia levique rubore ſuffuſa. *Spathæ* inferiores in parte ſpadicis nuda vaginantes, ſuperiores ſeſſiles minimæque. *Spica* laxa, ſecunda. *Flores* purpurei toti, non rigidi, pollicares; quibus eſt *nectarii* labium inferius trifidum: lacinia media ſubrotunda, concava, emarginata, adſcendente, tubo duplo breviore; lateralibus emarginatis, conniventibus, pauxillo minoribus. Reliqua ſunt, ut in Epidendro difformi.

Habitat in ſylvis Martinicæ montoſis.

8. EPIDENDRUM (*anceps*) foliis caulinis oblongis; ſpicis laxis; nectarii labio inferiori ſemitrilobo; caule ancipiti. TAB. CXXXVIII.

Planta paraſitica arborum, ſemipedalis vel paulo altior. *Radices* fibroſæ, teretes. *Caulis* compreſſus, ſuperne anceps, foliis paucis ornatus. *Folia* oblonga, obtuſa, coriacea, alterna, vaginantia. *Spadix* lateralis, pauciflorus. *Flores* charactere Epidendri difformis; ſed *nectarii* tubo petalis fere duplo breviori; ejusdemque labio inferiori ſemitrilobo; lobis rotundatis, ſubæqualibus, intermedio leviſſime bidentato. *Germine* petalis æquali. *Fructum* non vidi.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

9. EPIDENDRUM (*ciliare*) caule bifolio; nectarii labio tripartito, ciliato; lacinia intermedia lineari. TAB. CLXXIX. Fig. 89.
Epidendrum foliis oblongis, aveniis; nectarii labio tripartito ciliato: lacinia intermedia lineari. *Linn. ſyſt. C. p.* 1246.
Helleborine graminea, foliis rigidis carinatis. *Plum. ſpec.* 9. *ic.* 179. *f.* 2.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.
Perianthium nullum. Germen florem ſuſtinens.
COR. Petala quinque, lanceolato-linearia, acuminata, ſubæqualia, patentiſſima; quorum duo interiora pauxillo anguſtiora.
Nectarium monophyllum. Tubus infundibuliformis, compreſſus, incurvus, petalis duplo brevior. Labium ſuperius breviſſimum, cucullatum. Labium inferius patentiſſimum, trifidum: laciniis lateralibus alæformibus, in cilia numeroſa longaque abeuntibus, longi-

tudine

tudine petalorum: intermedia ſubulato-lineari, acuminata, dorſo canaliculata, ad baſin utrinque aucta gibbo ſubovato, longitudine lateralium.

STAM. Filamenta quatuor, capillaria, brevia, piſtillo inſidentia. Antheræ obovatæ, compreſſo-planæ, erectæ, reconditæ in cuculla quadriloculari nectarii.

PIST. Germen oblongum, teres, leviter contortum, longitudine petalorum, inferum. Stylus adnatus parieti interno tubi nectarii. Stigma infundibuliforme.

PER. Capſula ovali-oblonga, trigona, unilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, ſcobiformia.

Planta elegans, ſesquipedalis, paraſitica truncis arborum vaſtarum innaſcitur, unde propendet terram verſus. *Radices* craſſæ, fibroſæ, numeroſæ. *Caulis* ſimplex, glaber. *Folia* duo, oblonga, obtuſa, integerrima, nitida, avenia, coriacea, plana, diſtiche alterna, ſemipedalia, auricularum inſtar leporis erecta; ſingula orta ex corpore oblongo, craſſo, ſtriato, ſpongioſo, caulis baſin conſtituente. *Spathæ* glabræ, ferrugineæ, numeroſæ; infra flores compreſſæ, imbricatæ, alternæ, diſtichæ, ſpadicem tegentes; florales laxæ & patulæ. *Spica* laxa, ſecunda, circiter decemflora. *Flores* ſpecioſi, maximi, albeſcentes, quadripollicares.

Habitat in Martinica.

10. EPIDENDRUM (*nocturnum*) caule multifolio; nectarii labio tripartito, integro; lacinia intermedia lineari. TAB. CXXXIX.

Planta vix pedalis, paraſitica arborum. *Radices* teretes, fibroſæ. *Caulis* teres, ſimplex, glaber, circiter quinquefolius. *Folia* oblonga, obtuſa, integerrima, coriacea, nitida, avenia, vaginantia, alterna, ſubdiſticha, fere tripollicaria. *Flores* tripollicares, ſeſſiles in *ſpadice* breviſſimo *ſpathisque* pauciſſimis veſtito, bini plerumque, rariſſime tres, interdiu inodori, noctu odorem exhalantes ſuaviſſimum, qui aliquid cum liliis albis commune habet; *petalis* e viridi luteis; *nectarii* albi laciniis lateralibus nulla cilia emittentibus, hinc petalis duplo brevioribus. Reliqua, ut in charactere Epidendri ciliaris; ſed de ſtaminibus nihil dico, quum illa in floribus, quos ego examinavi, omnibus deciderant cum nectarii cucullis.

Habitat in ſylvis montoſis Martinicæ.

11. EPIDENDRUM (*ophioglosſoides*) caule unifolio; floribus racemoſis, ſecundis. TAB. CXXXIII. Fig. 2.

Helleborine ophiogloſſo ſimilis. *Plum. ſpec.* 9. *ic.* 176. *f.* 3.

CAL. Spathæ vagæ. Spadices ſimplices.

Perianthium nullum. Germen florem ſuſtinens.

COR. duplex. Exterior monophylla, basi plana & triangulari, trifida: laciniis triangularibus, acutis, planis, patulis, rigidis. Interior dipetala: petalis cordatis, acutis, patulis, minimis.

Nectarium monophyllum, corollæ interioris longitudine, tubo breviſſimo, bilabiatum. Labium ſuperius cucullatum, minimum. Labium inferius ſimile petalo interiori, ejusdemque tertii locum occupans.

STAM. Filamenta duo, breviſſima, piſtillo inſidentia. Antheræ ſubrotundæ, reconditæ in cuculla biloculari nectarii.

PIST. Germen oblongum, minimum, inferum. Stylus adnatus tubo nectarii. Stigma patulum.

PER. Capſula ovalis, trigona, triſulcata, ſulco ſuperiori carinato, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Plantula quadripollicaris, paraſitica arborum. *Radices* fibroſæ, albicantes, numeroſæ. *Folium* caulinum, lanceolatum, acutum, integerrimum, coriaceum, rigidum, avenium, planum, nitidum, duos tresve pollices longum. E ſinu hujus ſucceſſive prodeunt *ſpadices* tres quatuorve, racemoſi, ſimplices, tenues, erecti, folio paulo longiores, circiter decemflori, veſtiti ad baſin *ſpathis* paucis, & floralibus exiguis. *Flores* exigui, ſecundi, inodori, breviter pedunculati, ſordide lutei.

Habitat in ſylvis montoſis Martinicæ.

12. EPIDENDRUM (*ruſcifolium*) caule unifolio; pedunculis e ſinu folii aggregatis. TAB. CXXXIII. Fig. 3.

Helleborine ruſci majoris folio. *Plum. ſpec.* 9. *ic.* 176. *f.* 2.

Plantulæ hujus paraſiticæ flores videre haud contigit; quare ex habitu fructuque huc retuli. *Caulis* eſt ſimplex, terminatus *folio* unico, ovali, acuminato, integerrimo, coriaceo, rigido, nitido, quadripollicari, leviter conniventi, avenio; in cujus ſinu ſtat tuberculum, e quo oriuntur ceu ſpadice *pedunculi* plurimi brevesque.

Habitat in ſylvis denſis Martinicæ.

13. EPIDENDRUM (*nodoſum*) folio unico, ſubulato, interne ſulcato; ſpadice ſubquadrifloro. TAB. CXL.

Epidendrum foliis radicalibus ſubulatis acutis; nodo radicatis. *Linn. ſpec. pl.* 7. *p.* 953.

Epidendron curaſſavicum orchidi affinis, folio craſſo, ſulcato. *Herm. parad.* 207. *t.* 207.

Satyrium paraſiticum, folio ſingulari longo ſinuato; ſpica aſſurgenti, ab infimo ſinu orta. *Brown. jam.* 6, *p.* 325.

Viſcum

Viſcum arboreum ſeu Epidendron, flore albo ſpecioſo, americanum, folio forma ſiliquarum nerii. *Pluk. alm.* 390. *t.* 117. *f.* 6.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.

Perianthium nullum. Germen florem ſuſtinens.

COR. Petala quinque, lanceolato-linearia, acuminata, plana, patentia, æqualia; quorum duo interiora duplo anguſtiora reliquis.

Nectarium monophyllum, erectum, tubo craſſo & breviſſimo, bilabiatum. Labium ſuperius profunde trifidum, minimum, reconditum cum tubo in baſi labii ſuperioris, tubumque coronans: laciniis erectis, acutis, linearibus; ſuperiore duplo latiore apiceque bifida; duabus reliquis huic oppoſitis. Quibus omnibus locatur intermedia cuculla quadrilocularis. Labium inferius oritur e baſi tubi, quam amplectitur, eſtque corollæ longitudine, abiens ex ungue incurvo in tubum compreſſum conniventi in bracteam cordato-acuminatam, amplam, baſi infundibuliformem, integram, ſuberectam, longitudine unguis.

STAM. Filamenta duo, oblonga, utrinque ſulco longitudinali exarata, decumbentia in piſtillo, eidemque in medietate affixa, apicibus utrinque bifidis. Antheræ obovatæ, compreſſo-planæ, erectæ, in filamentorum qualibet lacinia unica, hinc omnino octo, reconditæ in cuculla nectarii.

PIST. Germen lineare, contortum, petalis paulo brevius, infra receptaculum floris. Stylus adnatus tubo nectarii. Stigma infundibuliforme.

PER. Capſula ovalis, ventricoſa, obtuſe trigona, ſexſulcata, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Planta pedalis, ſpecioſa, arborum paraſitica. *Folium* unicum, lineari-ſubulatum, acutum, ſemicylindricum, interne ſulco acuto exaratum, glabrum, craſſum, plus minus ſemipedale, baſi ſpatha longa cinerea vaginatum, in *petiolum* teretiuſculum & cauliformem abiens ex tuberculo ſeu nodulo; e quo ortum ducunt *radices* craſſæ, teretes, longæ, cinereæ, & vix diviſæ. *Spadix* ſimplex, brevis, teres, glaber, erectus, triflorus vel quadriflorus, e ſinu folii prodit. *Flores* ſeſſiles, magni, elegantes, de die fere inodori, noctu autem odore præditi fragrantiſſimo, vix ulli cedente, quiddam habente Lilii albi, nectarium gerunt niveum, & germen petalaque ſubflaveſcentia. Dicitur Hiſpanis *Abraça-palo* ſive Amplexicaulis, quia radicibus ſuis arborum ramos circumdat.

Habitat paſſim in ſylvis inſulæ Baru.

14. EPIDENDRUM (*concretum*) foliis radicalibus, lanceolatis, acutis; nectario cum petalis concreto.

CAL. Spathæ vagæ. Spadix ſimplex.
Perianthium nullum. Germen florem ſuſtinens.

COR. Petala quinque, longitudine æqualia. Exteriorum ſuperius ovatum, concavum, acutum, patens; duo lateralia triangularia, duplo latiora, angulo germini inſidentia, angulo petalum ſuperius ſpectante acuto, reliquis obtuſis, latere, quod angulo acuto opponitur, concreto cum nectario. Interiora duo oblonga, obtuſa, patentia.

Nectarium monophyllum, tubo brevi, bilabiatum. Labium ſuperius cucullatum, breve. Labium inferius oblongum, inter petala triangularia deſcendens, iisdemque utrinque accretum; dein verſus ſuperiora adſcendens, lateſcens, liberum, apice trifido, lacinia media ſubrotunda.

STAM. Filamenta duo, breviſſima, piſtillo inſidentia. Antheræ, obovatæ, erectæ, intra cucullam nectarii.

PIST. Germen oblongum, rectum, inferum. Stylus adnatus tubo nectarii. Stigma obſoletum.

PER. Capſula ovato-oblonga, obtuſe trigona, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Planta pedalis, paraſitica arborum. *Radices* fibroſæ, albicantes, craſſæ, teretes, longæ. *Folia* radicalia omnia, duo tria quatuorve, lanceolata, acuta, coriacea, plana, rigidiuſcula, integerrima. *Scapus* ſimplex, compreſſus, erectus, circiter decemflorus. *Pedunculi communes* pauci, laterales, pauciflori. *Flores* exigui, ſeſſiles.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

15. EPIDENDRUM (*carthagenenſe*) foliis radicalibus, lanceolato-oblongis, acutis, planis; racemo compoſito. TAB. CXXXIII. Fig. 4.

CAL. Spathæ vagæ. Spadicis racemo compoſito.
Perianthium nullum. Germen florem ſuſtentans.

COR. Petala quinque, acuta, repanda, patentiſſima; quorum tria exteriora ovata, ungue longo donata, duobus inferioribus ad baſin coalitis; interiora duo ſubrotunda, ungue brevi.

Nectarium monophyllum, tubo brevi & antice ſulcato, bilabiatum. Labium ſuperius petalis duplo brevius, trifidum: lacinia media cucullata, parva; duabus lateralibus alæformibus, planis, parvis, patentibus. Labium inferius ortum ad baſin tubi, e diſco oblongo excurrens in lacinias tres; quarum media eſt reniformis, emarginata, plana, patentiſſima, longitudine petalorum; lateralibus alæformibus,

mibus, planis, patentiſſimis, brevioribus: diſco ſuperne ornato duobus gibbis oblongis.

STAM. Filamenta duo, breviſſima, piſtillo inſidentia. Antheræ obovatæ, hinc planæ, illinc convexæ, erectæ, reconditæ in cuculla nectarii.

PIST. Germen lineare, ſtriatum, rectum, breve. Stylus brevis, tubo nectarii innatus. Stigma infundibuliforme.

PER. Capſula oblonga, ſuperne craſſior, ſexſulcata, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Planta paraſitica arborum truncis increſcens, habitu haud male refert Aloën guineenſem. *Radices* teretes, albicantes. *Folia* radicalia omnia, lanceolato-oblonga, utrinque acuta, integerrima, glabra, coriacea, virentia utrinque ac punctis nigris variegata, pedalia, duos pollices lata, pauca. *Scapus* teres, tenuis, e rubenti fuſcus, ſesquipedalis, apice racemoſus. *Pedunculi* pollicares, alterni, ſesquipollicem ab invicem diſtantes, ſummi uniflori, infimi quinqueflori, intermedii inter utrosque. *Spathæ* lanceolatæ, membranaceæ, tenuiſſimæ, breves, vagæ ad nodos, & ſubaxillares ad pedunculos & flores. *Flores* ſpecioſi petala habent albida maculisque e purpureo ferrugineis variegata; nectarii labium ſuperius pallide purpureum, inferius petalis concolor, diſco violaceo. Antheræ ſunt aurantiæ. *Fructus* ſesquipollicares.

Habitat Carthagenæ in ſylvis denſis.

16. EPIDENDRUM (*altiſſimum*) foliis radicalibus, enſiformi-oblongis, baſi carinatis, ſuperne planis; racemo compoſito. TAB. CXLI.

Viſcum radice majus & elatius, delphini flore ferrugineo guttato. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 250. *t.* 148. *f.* 1.

Planta elegans, paraſitica arborum. *Radices* teretes, fibroſæ, cinereæ, numeroſæ. *Folia* acuta, enſiformi-oblonga, avenia, nitida, integerrima, craſſiuſcula, pollicem lata, ſesquipollicem longa, baſi carinata, cæterum plana: orta ſingula e nodo vel tubere ovato, compreſſo, glabro, ovi interdum anſerini magnitudine; qui ipſe inſidet baſi folii alius radicalis, unius alteriusve, & ſimilis. Inter hoc nodumque exſurgit *ſcapus* ſolitarius, teres, glaber, colore ferrugineo, tenuis, inclinatus, quadripedalis, ſuperne racemoſus; qui ad pedunculos & nodos veſtitur *ſpathis* membranaceis, lanceolatis, cinereisque. *Pedunculi* biflori vel triflori plerumque, diſtiche alterni. *Flores* inodori, flavi cum maculis fuſcis, numeroſi. His ſunt petala oblonga, diſtincta, utrinque acuta, undulata, ſubæqualia. Nectarii labii inferioris lacinia media eſt ſubquadrata, flavaque tota ſine maculis. Reliqua in charactere obtinent, ſicuti in Epidendro carthagenenſi.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

β. EPIDENDRUM (*violaceum*) floribus violaceis.

Parasiticam hanc plantam inveni crescentem in Cereo quodam arboreo altissimo, unde avellere ob aditus difficultatem temporumque angustias haud licuit. Videbatur mihi prorsus ejusdem habitus atque præcedentis; sed floribus coloris pulchre violacei conspicua.

Habitat ad littora Zaucæ in Venezuela.

17. EPIDENDRUM (*tetrapetalum*) foliis radicalibus, subulatis, carinatis; racemo simplici; corolla subtetrapetala. TAB. CXLII.

Planta elegans, arboribus parasitica innascens. *Radices* teretes, cinereæ, fibrosæ. *Folia* radicalia, subulata, acuminata, carinata, rigidiuscula, coriacea, dorso obtuse angulata, marginibus acutangulis, pallide virentia, punctis ferrugineis nunc scabra, nunc iisdem destituta glabraque, a sesquipollice ad semipedem longa in plantis ætate fortasse variis. *Scapus* teres, tenuis, pedem unum alterumve longus. *Spathæ* lanceolatæ, parvæ, ad nodos & pedunculos. *Pedunculi* circiter decem, uniflori, racemum speciosum secundumque formantes. *Flores* sunt suaveolentes, eleganter varieque colorati ex purpureo, violaceo, flavo, pallido, rubroque. *Petala* sunt quatuor, obovato-acuminata, inæqualia, patentissima, quorum infimum apice bifidum; reliqua tria repanda; superiori paulo reliquis breviori. *Nectarii* discus oblongus ornatur gibbo cruciformi; labii autem inferioris laciniæ laterales sunt obovatæ atque obtusæ. Cætera omnia sunt, ut in Epidendro carthagenensi.

Habitat in sylvis Jamaicæ, frequens in Ferry.

18. EPIDENDRUM (*Cebolleta*) folio radicali unico, subulato, nodo radicato; racemo composito. TAB. CXXXI. Fig. 2.

Planta arborum truncis parasitica innascens. *Radices* teretes, fibrosæ, numerosæ. *Folium* unicum, radicale, subulatum, teres, acutum, interne leviter sulcatum, glabrum, carnosum, inferne digitum crassum, longum pedem unum alterumve, interdum vel quadripedale; basi abiens in nodum sive tuberculum subrotundum, post folii interitum persistens. *Scapus* teres, bipedalis aut longior. *Spathæ* lanceolatæ. *Pedunculi* multiflori. E floribus emarcidis conjeci, charactere illos gaudere eodem, quo Epidendrum gaudet carthagenense. Incolæ appellant *Cebolletas* sive Bulbillos; dictisque nodis vel bulbillis cum sale trituratis externe utuntur magno cum nomine in contusionibus validis, fracturis ossium, aliisque morbis chirurgicis. Tota planta est saporis expers.

Habitat Carthagenæ in sylvis, præsertim maritimis.

Omnia hæc Epidendra ætate magis minusve cespitosa evadunt, imprimis vero species minores; radicibusque numerosis super corticibus arborum decurrunt, affigunturque iisdem sat firmiter. Discrepant quoad floris structu-

ram

ram vehementer ab invicem, & profecto magis, quam quidem inter ſeſe Satyria Orchides Ophresque. Unde qui multiplicationi generum favet, facile poterit haſce plantas in plura diſpeſcere, ac per me diſpeſcat licet. Certe quinque primæ ad idem pertinent genus: ſic eſto de quatuor ultimis; de ſexta, ſeptima, & octava; deque nona ac decima. Ad has minus commode reducuntur aliæ.

# PENTANDRIA.

## PASSIFLORA.

1. PASSIFLORA (*quadrangularis*) foliis indiviſis, ſubcordatis, integerrimis; petiolis ſexglanduloſis; caule membranaceo-tetragono. TAB. CXLIII. *Linn. ſyſt. A. p.* 1248.

Paſſiflora foliis amplioribus cordatis, petiolis glandulis ſex notatis, caule quadrigono alato. *Brown. jam.* 2. *p.* 327.

Plantæ hujus elegantiſſimæ *caules* ſunt perennes, fruticoſi, numeroſi, ſubdiviſi, inferne lignoſi, ſuperne in alas quatuor membranaceas abeuntes, ſcandentes. *Folia* ſunt cordato-ſubrotunda, acuminata, integerrima, nitida, rugoſa, quinquepollicaria: *petiolo* tribus glandularum paribus notato. *Flores* odoratiſſimi, pulcherrimi, colore & ſtructura ſimiles Paſſifloræ laurifoliæ, at paulo majores. *Fructus* ovati, nitidi, e luteo virentes, ovo anſerino majores, ſuaveolentes; corticem habent ſpongioſum, mollem, digiti craſſitie, fragilem, albidum, inſulſum, a porcis ſimilibusque animalibus expetitum. Pulpa eorum eſt ſucculenta, ſubaquei coloris, leviter odorifera, ſaporis dulcis & aciduli gratiſſimique, ſeminibus fœta: continetur autem membrana propria, ceu ſacco, ſatis firma, facili negotio a cortice ſecedente. Fructus integri in menſis apponi ſolent, magnique fiunt. Pulpa ſacco ſuo liberata, aut ſola, aut una cum contentis ſeminibus comeditur; vino prælimis injecta; & vim poſſidere videtur valde refrigerantem. Sylveſtrem nullibi, cultam in hortis inveni ubique; ad quorum ornamentum etiamſi faciat non parum, formando paucorum menſium ſpatio pergulas amplas atque denſiſſimas, ſuo tempore floribus fructibusque futuras ſpectabiles; id tamen incommodi adfert in regionibus, quas incolunt ſerpentes venenati, ut his infeſtari horti ſoleant. Inviſa enim & damnoſa hæc animalia Paſſifloras (præ cæteris autem hanc atque laurifoliam) vel earum viciniam pro habitaculo ſeligunt, quo commodius certiusque ſibi eſcam captent; bene gnara, nullibi plures quam hic glires reperiri, qui Paſſiflorarum fructus in deliciis habent. Ex taleis optime propagatur. Gallis vocatur *Granadille*. Viennæ e ſeminibus nata flores quotannis producit, fructus nedum.

Habitat in Caribæis.

β. PASSI.

β. PASSIFLORA (*ſulcata*) fructu maximo, transverſim ſulcato.

Planta hæc præcedenti ſimillima eſt, ſolius figuram & magnitudinem fructus ſi exceperis; unde ceu varietatem recenſeo. Eſt vero ille ſubrotundus, capite ſæpe major infantis, & ſulco circulari transverſo digitumque profundo exaratus.

Habitat in Terra Firma.

# HEXANDRIA.

## ARISTOLOCHIA.

1. ARISTOLOCHIA (*anguicida*) foliis cordato-acuminatis; caule volubili; pedunculis ſolitariis; ſtipulis cordatis. TAB. CXLIV.

Odor totius plantæ nauſeoſus eſt ac ingratus. *Radices* teretes & ramoſæ medullam habent albicantem, plenam ſucco aurantio amaro nauſeoſo & fœtido, veſtitamque cortice ſuberoſo & fuſco. *Caules* teretes; inferiores ſarmentoſi, lignoſi, perennes, ſuberoſi; ſuperiores glabriuſculi, ſtriati, volubiles; ſcandunt arbores ad pedum decem altitudinem. *Stipulæ* cordatæ, magnæ, conniventes, ſolitariæ adſtant axillis. *Folia* ſunt cordato-acuminata, integerrima, plana, utrinque glabra, ſubtus reticulato-venoſa; *petiolo* tereti, pubeſcente, brevi. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, petiolo nunc ſunt breviores, nunc longiores. *Flos* ex viridi flaveſcit; ſtriis & venis notatur purpureis; corollæ labello lanceolato-acuminato, poſtice in canalem conniventi. *Capſulæ* ſunt hexagonæ & ſubfuſcæ. Succus radicis, maſticatione ſalivæ immiſtus, ori ſerpentis mediocris ad guttam unam alteramve inſtillatus, adeo hoc animal inebriat hebetatque, ut tuto ac impune tractari, laceſſi, ſinuique imponi poſſit, poſt horas aliquot tandem ad ſe rediturum. Si guttas deglutire plures cogatur, ilico correptus motu convulſivo tremulo valdeque per totum corpus conſpicuo, brevi emoritur. Americani circumforanei, hujus arcani participes, ſerpentem aliquem veneno lethali celebrem manu capiunt, caute ſcilicet unoque impetu prehenſo prope maxillas collo; qua in re ipſe, factus his animalibus jam familiarior, nec difficultatem magnam nec periculum inveni, ſi prudentia adhibeatur. Tunc diducto ori ſalivam, hujus ſimilive facultate pollentis plantæ ſucco imprægnatam, infundunt doſi, qua leviter hebetent animal; atque ita quæſtus gratia ſpectatoribus exponunt; falſo jactantes, poſſe ſe corpus ſuum cuicunque obvio ſerpenti, arte ſibi cognita, absque periculo noxæ offerre mordendum. Fateor, vel ab odore hujus radicis abhorreſcere hæc animalia, longeque fugere oblatam: at vero infelix, opinor, obtineret audaciæ præmium, qui utcunque inunctam hoc ſucco manum ſerpenti obtruderet laceſſito. Impune homini

deglu-

STAM. Filamenta quinque, filiformia, orta in fundo tubi, eodemque longiora. Antheræ lineares, erectæ, longitudine corollæ.

PIST. Germen oblongum, inferum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

PER. Capſula ſubovata, obtuſa, coronata calyce, bilocularis, bivalvis: valvulis apice bifariam dehiſcentibus.

SEM. plura, ſuborbiculata, plana, imbricata.

Arbuſcula erecta, ramoſa, decempedalis. *Folia* lanceolata, acuminata, integerrima, glabra, apicibus reflexis, petiolata, oppoſita, duos tresve pollices longa. *Pedunculi* uniflori, breves, axillares. *Flores* odoratiſſimi, e carneo albidi, ſesquipollicares. *Capſulæ* ante maturitatem virides, amariſſimæ, ſcatentes ſucco, qui naribus labiisque titillationem inducit ardentem.

Habitat in fruticetis circa Havanam; & in Domingo ad ſinum Bayaha. Floret Septembri & Octobri. Fructus maturos collegi Decembri.

## PORTLANDIA.

1. PORTLANDIA (*grandiflora*) floribus pentandris. TAB. XLIV.

Portlandia. *Linn. ſyſt. A. p.* 928.

Portlandia foliis majoribus nitidis ovatis oppoſitis, floribus ampliſſimis. *Brown. jam.* 1. *p.* 164. *t.* 11.

CAL. Perianthium pentaphyllum, germini inſidens: foliolis ex oblongo lanceolatis, acutis, planis, ſubcoloratis, laxe patentibus.

COR. monopetala. Tubus oblongo-infundibuliformis, longiſſimus, quinquangularis, leviter incurvus. Limbus quinquefidus, brevis: laciniis ſemiovatis, obtuſiuſculis, planis, patentibus.

STAM. Filamenta quinque, filiformia, inferne hirſuta, declinata, ipſa ex baſi tubi orta, eundemque ibidem cum ſtylo exacte claudentia. Antheræ lineares, obtuſæ, compreſſæ, erectæ, longitudine petali.

PIST. Germen obovatum, quinquangulare, inferum. Stylus filiformis, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Capſula obovata, quinquangularis, craſſa, lignea, apicis convexi margine ab induratis deſtructi calycis reliquiis inæquali; bilocularis, bivalvis, ab apice dehiſcens: diſſepimento valvulis contrario & bifariam diviſo.

SEM. plurima, ſuborbicularia, compreſſo-plana, imbricata.

Arbor hæc erecta, elegantiſſima, raro quindecim altitudine pedes excedens, *comam* fert oblongam raramque. *Truncum* habet plerumque rectum, longum, diametro bipollicari; *cortice* veſtitum craſſo ſuberisque adinſtar ſemper in omnem partem fiſſo, ac non caduco. *Rami* pauci, parum ſubdiviſi, bre-

deglutiuntur ſucci guttulæ aliquot; credo tamen propter nauſeam, quam ipſe ſenſi, majore aſſumptum copia emeſin producere poſſe, vel alias nocere. Fertur etiam vulneri a ſerpente recens inflicto, impoſitus externe, vel & interne pariter aſſumptus, mederi, omneque adeo tollere venenum. Ter ita ſe curatum aſſeruit is, qui ſecretum detexit mihi Indus; ſed quum ipſe ego experimenti nullius teſtis fuerim, fidem penes auctorem relinquo. Ab incolis, quibus cognita nomine tenus dumtaxat planta eſt, vocatur *Contracapitan*.

Habitat paſſim Carthagenæ in fruticetis. Floret Auguſto & Septembri.

2. ARISTOLOCHIA (*caudata*) foliis cordatis, obtuſiſſimis, paginis in baſi ad petiolum incurvatis; caule volubili. TAB. CXLV.

Planta inferne fruticoſa, tota odore leviter nauſeoſo atque ingrato prædita, *caulibus* volubilibus, teretibus, glabrisque arbuſta ſcandit ad decem altitudinem pedum. *Folia* habet cordata, obtuſiſſima, emarginata, glabra, petiolata, alterna, paginis ad baſin utrinque productis in lobos mutuo incumbentes. *Pedunculi* ſunt uniflori, axillares, ſolitarii. *Flores* ex albo vireſcunt, lineis ſubfuſcis externe ſtriati; tubo interne fuſco: labello abeunte ex apice fere plano in mucronem longiſſimum, tenuem, obtuſum, fuſcum, apiceque craſſiuſculum; limbo maculis fuſcis variegato. *Capſula* hexagona figura & magnitudine convenit cum fructibus Ariſtolochiarum bilobatæ, peltatæ, & anguicidæ.

Habitat in Domingo paſſim in collibus fruticoſis circa Cap Français. Florentem inveni Decembri.

3. ARISTOLOCHIA (*maxima*) foliis oblongis, acuminatis; caule volubili; pedunculis multifloris. TAB. CXLVI.

Tota planta leviter eſt odorata. *Radix* teres, ramoſa, primaria diametro ſesquipollicari, veſtitur cortice fuſco rimoſoque, ſucco autem ſcatet aurantio. *Caules* verſus radicem ſuberoſi & fruticoſi, cæterum teretes, & volubiles, arbores ſcandunt ad triginta pedum altitudinem, hinc ſæpe iterum penduli. *Folia* ſunt oblonga, acuminata, nitida, integerrima, ſubtus reticulato-venoſa, alterna, petiolata, ſæpe vel pedalia. *Pedunculi* axillares, ſolitarii, plerumque biflori vel triflori, rarius uniflori vel quadriflori. Ad baſin cujusque floris *bractea* ſtat lanceolata. *Flores* ſunt atropurpurei, maximi, labello ſimplici ovato. *Capſulæ* omnium maximæ patent, dependentque, jucundo ſpectaculo corbulas mentitæ e viminibus contextas. Vocatur *Capitan*.

Habitat in ſylvis Carthagenenſibus, in cacumine montis de la Popa, in inſula Tierra bomba. Floret præcipue Octobri.

4. ARISTOLOCHIA (*pentandra*) floribus pentandris. TAB. CXLVII.

Planta volubilis, glabra, frutices vicinos ad octo pedes ſcandit. *Folia* habet ſubtrilobo-cordata, obtuſiuſcula, glabra, integra, petiolata, alterna. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, petioloque breviores, ornantur in api-

ce *bractea* cordata; in qua ſeſſilis *flos* locatur externe vireſcens, interne fuſcus. Omnes hi ſunt pentandri, ſtigmate quinquepartito. *Capſula* eſt quinquangularis & quinquelocularis.

Habitat in ſylvis circa Havanam. Vidi Januario florentem.

## PISTIA.

1. PISTIA (*Stratiotes*) foliis obcordatis. TAB. CXLVIII. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 963.

Piſtia aquatica villoſa, foliis obovatis ab imo venoſis, floribus ſparſis, foliis inſidentibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 329.

Lenticula paluſtris ſexta ſeu ægyptia, ſive Stratiotes aquatica, foliis ſedo majore latioribus. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 15. *t.* 2. *f.* 2.

Plantago aquatica. *Rumpf.* 6. *p.* 177. *t.* 74. *f.* 2.

Kodda-pail. *Rheed. mal.* 11. *t.* 63. *t.* 32.

Kodda-pail paluſtris, folio oblongo ſpecioſo. *Plum. gen.* 30.

CAL. nullus.

COR. monopetala, inæqualis, erecta, externe villoſa, perſiſtens. Tubus oblongus, brevis, germen arcte amplectens; abiens in labium unicum, cordato-ſubrotundum, ampliatum, acutum, integrum, patens, in medio utrinque plica laterali introrſum procedente coarctatum.

STAM. Filamentum teres, craſſum, obtuſum, fere perpendiculariter ortum e centro labii corollæ, piſtillo altius & transverſim imminens; ornatum in inſertionis loco bractea circulari & integra, quæ inferne utrinque augetur fimbria dependente & latitudine antherarum. Antheræ ſex ſeptem octove, globoſæ, in orbem inſidentes margini filamenti ad apicem.

PIST. Germen ſubovatum, tubo corollæ duplo longius, adnatum dorſo petali per lineam longitudinalem incraſſatam pergentemque ad originem usque filamenti. Stylus craſſus, erectus, ſtamine brevior. Stigma ſubpeltatum, obtuſum.

PER. Capſula ovata, compreſſa, inſtructa ſtylo, unilocularis.

SEM. plurima, oblonga, apice depreſſa, punctoque umbilicato notata, ſitu horizontali affixa dorſo capſulæ in linea longitudinali concretionis ejusdem cum corolla.

Planta acaulis, natans, elegans. *Radices* plurimæ & ſesquipedales in ambitu emittunt radiculas ſimplices, ſesquipollicares, numeroſas, & Ranunculi aquatici haud male referentes folia. *Radiculæ* aliæ capillares, breviores, & refertæ, ad baſin foliorum, radicumque principalium originem, egrediuntur. *Folia* pro ætate plantæ magnitudine numeroque varia, in jam adoleſcente circiter vicena, in circulum diametri pedalis expanduntur. Sunt vero illa

obo-

obovata, basi attenuata, ut plurimum integerrima, quandoque emarginata, sessilia, patula, basi lanuginosa, inter nervos facieque villosa, crassa, spongiosa, parum succulenta, adeoque natationi aptissima: in dorso autem ex area crassiore maxima subovataque nervos protendunt adscendentes, crassissimos, valdeque prominulos. *Flores* albicantes, inodori, axillares, solitarii, & erecti, brevi pedunculo instruuntur. Corolla plus minus marcescit, ac increscente germine disrumpitur. *Capsulas* vere maturas forte non inveni; nec igitur determinare, nec ex inspectione sæpius repetita capsulæ conjicere valui, dehiscatne tandem, nec ne? Videtur Browneus pericarpii descriptionem suam esse a Linnæo mutuatus; vix enim in simili ludere varietate natura deprehenditur. Moveri dubium haud immerito potest, ad quemnam oporteat classem in Systemate sexuali referri hanc plantam? Certe, nisi linea crassa illa, quæ a basi germinis ad filamentum usque per dorsum corollæ percurrendo ambas hasce partes connectit, stylus dicatur, ita ut hujus propagatio habeatur filamentum a me dictum, neutiquam gynandra erit vocanda. Illud vero negat veri styli, recta e germine orti, apiceque aperti, præsentia evidens; tum apex filamenti imperforatus, & situs partium. Nusquam etiam, quoad observando didici, pollini antherarum vel potius ejusdem auræ fœcundanti per stylos via patet ad seminum basin, qua affiguntur receptaculis, quod quidem posito gynandriæ casu hic fieri deberet; sed inipsa ubique ducit penetratque loculamenta. Esset igitur Monadelphas inter forte collocanda. Porro planta hæc ex alis foliorum gignit *stolones* paucos, teretes, novempollicares, & digitum auricularem crassos; e quorum extremitate nova planta progerminat: unde fit, ut sensim ex una parente sobolis numerosæ sylva aquis supernatet. Animadvertisse se, dicit celeberrimus Adansonius in sua Senegaliæ descriptione, radicem primariam ripis fortiter infigi. Ego vero in hanc rem neglexi inquirere de industria: optime tamen memini, aliquoties ex aquis Pistiam tollentem, nullum adeo me sensisse renixum. An forte vera quidem, at non perpetua est hæc radicis cum ripa communicatio? Anne potius tenella adhuc plantula, a ripis casu avulsa, dein libera in aquis crescere pergit? Hæ plantæ numero ingenti post primos copiosos imbres per flumina vicina in mare abreptæ, post unum alterumve diem, maris secutæ fluxum, ad littora oppidi Cap Français denuo appellunt.

Habitat in aquis stagnantibus, & in amfractuosis quietisque fluminum locis: in Cuba, Domingo, & vicina Continente.

# DECANDRIA.

## HELICTERES.

1. HELICTERES (*jamaicensis*) foliis cordatis, serratis; floribus decandris; fructu composito, integre contorto. TAB. CLXXIX. Fig. 99.

Helicteres foliis cordatis ſerratis, fructu compoſito contorto. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 463.

Helicteres villoſa & fruticoſa; foliis cordato-acuminatis ſerratis. *Brown. jam.* 1. *p.* 330.

Helicteres arbor Indiæ occidentalis, fructu majore. *Pluk. alm.* 182. *t.* 245. *f.* 3.

Abutilo affinis arbor, altheæ folio, cujus fructus eſt ſtyli apex acutus, quatuor ſeu quinque ſiliquis hirſutis, funis adinſtar in ſpiram convolutis. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 22.

Arbuſcula erecta, parum ramoſa, duodecimpedalis. *Capſulæ*, quarum ipſi apices gyrum ſequuntur integrum, abſolvuntque, veſtiuntur tomento denſo, quod tollere venti pluviæque tandem ſolent, quum diu in arbore perſiſtunt. *Semina* angulata ſunt & ovata. Nec *flores* nec *folia* vidi, quibus tunc temporis deſtituebatur.

Habitat copioſe in ſylvaticis Jamaicæ.

2. HELICTERES (*baruenſis*) foliis cordatis, ſerratis; floribus decandris; fructu compoſito, contorto, apicibus erectis. TAB. CXLIX.

CAL. Perianthium monophyllum, oblongum, tubuloſum, leviter compreſſum, quinqueſulcatum, tomentoſum, coriaceum, in fundo notatum fovea impreſſa campanulata & quinquedentata, limbo bilabiato, marceſcens. Labium ſuperius lanceolatum, acuminatum, erectum, ſemibifidum. Labium inferius ſemiovatum, concavum, acuminatum, patens, ſemitrifidum.

COR. Petala quinque, calycem ſuperantia; unguibus tenuibus, erectis, longitudine calycis; bracteis linearibus, obtuſis, baſi utrinque appendiculo auctis, intortis, utrinque inter labia calycis omnimode reflexis, longitudine fere unguium.

Nectarii foliola quinque, calyciformia, linearia, apice latiuſcula, acuta, erecta, longitudine germinis, ad cujus baſin orta, ejusdemque ſulcis incumbentia, decidua.

STAM. Filamenta decem, capillaria, erecta, germine breviora, poſita extra nectarium. Antheræ lineares, ſpirali-erectæ, media ſui parte ſulco transverſo notatæ, ibidemque filamentis affixæ, maximæ, germen totum obtegentes.

PIST. Germen ovatum, quinqueſulcatum, inſidens receptaculo filiformi recurvo omniumque longiſſimo. Stylus ſubulatus, erectus, germine duplo longior. Stigma quinquefido-obtuſum.

PER. Capſulæ quinque, oblongæ, acuminatæ, ſpiraliter contortæ, apicibus erectis, uniloculares, univalves, interne dehiſcentes.

SEM. plurima, ovata, angulata.

Arbuſcu-

Arbuſcula erecta, duodecimpedalis, parum ramoſa; ramis junioribus, pedunculis, & petiolis tomentoſis. *Folia* ſunt ſubrotundo-cordata, vel cordata ſimpliciter, acuta, ſerrata, rugoſa, ſubtus tomentoſa & albicantia, facie ſubpiloſa, petiolata, alterna, quotannis decidua. *Stipulæ* ſubulatæ. *Pedunculi* multiflori, terminales, craſſi. *Propriis* circumſtant *glandulæ* virides, depreſſæ, magnæ, numero inconſtanti; quum exſiccantur, atræ. *Flores* inodori calycem habent e flavo virentem, fovea albicante, labiis quandoque integris aut vix diviſis; petala albida; antheras quaſi e binis conflatas, luteas, nectarium germen filamentaque prorſum occultantes. *Capſularum* apices in hac ſpecie ſemper eriguntur. Cortex trunci ramorumque principalium, utpote lentiſſimus facilisque detractu, ab incolis adhibetur ad vinciendum funium loco. Arbuſculæ nomen eſt *Majagua de playa* ſeu Majagua littoralis.

Habitat in littoribus ſylvaticis maritimis inſulæ Baru. Floret Junio.

3. HELICTERES (*carthagenenſis*) foliis cordatis, ſerratis; floribus polyandris; fructu oblongo, recto. TAB. CL.

CAL. Perianthium monophyllum, oblongo-campanulatum, inflatum, coriaceum, globulis tomentoſis denſis externe adſperſum, in fundo notatum fovea impreſſa campanulata, & quinquedentata, apice quinquefidum, marceſcens: laciniis parvis, ſemiovatis, acutis, patulis, unica inciſura reliquis duplo profundiore.

COR. Petala quinque, oblonga, obtuſa, concava, erecta, inferne ſenſim attenuata in unguem anguſtum concavum & longiſſimum, ad cujus initium lateribus fimbriatis ornantur, paulo longiora calyce, ejusdemque fundo inſerta.

Nectarium monophyllum, calyciforme, oblongum, ſemiquinquefidum, acuminatum, erectum, longitudine fere germinis, ad cujus baſin ortum, deciduum.

STAM. Filamenta numeroſiſſima, capillaria, longitudine germinis, orta in ſuperiore parte tubi nectarii, unde foras quaquavorſum egreſſa germen cum nectario obtegunt. Antheræ reniformes, magnæ.

PIST. Germen ovatum, quinqueſulcatum, inſidens receptaculo filiformi longiſſimo incurvo & incumbenti inciſuræ calycis profundiori, longitudine nectarii, intra quod poſitum. Stylus ſubulatus, erectus, germine longior. Stigma bifidum, acutum, parvum, patens.

PER. Capſulæ quinque, oblongæ, acuminatæ, ſubquadrangulares, baſi leviter connatæ, ſuperne liberæ, erectæ, uniloculares, univalves, interne dehiſcentes.

SEM. plurima, oblonga, angulata.

Arbuſcula duodecimpedalis, erecta. *Folia* utrinque tomentoſa. *Flores* fœtidiſſimi, interdum prodeuntes ante folia, ſæpius una cum iisdem; caly-

ce e fuſco luteo; petalis purpureis. Habitu reliquo ita ſimilis eſt præcedenti, ut, præterquam in flore & fructu, ægre diſtingui queant.

Habitat paſſim Carthagenæ in ſylvaticis. Floret Junio & Julio.

4. HELICTERES (*apetala*) foliis ſemiquinquelobis; floribus dodecandris, apetalis. TAB. CLXXXI. Fig. 98.

an Macpalcxochi Quahuitl. *Hern. mex. p.* 383. & 459?

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, ampliſſimum, patens, coloratum, externe villoſum, ſemiquinquefidum: laciniis ſemiovatis, acutis, planis, ſemireflexis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta circiter quatuordecim, ſubulata, breviſſima, ad baſin germinis receptaculo inſerta. Antheræ ſubrotundæ, didymæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum, quinqueſulcatum, inſidens receptaculo filiformi recurvo calyce fere duplo breviori. Stylus ſubulatus, reflexus, longitudine germinis. Stigma capitatum, obſolete quinquefidum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor elegans, quadraginta pedes alta, coma ampliſſima concinnaque ſpectabilis. *Folia* habet frondoſa, plicata, ſemiquinqueloba, facie glabra, dorſo ſubvilloſa, diametri plus quam pedalis, numeroſa; *lobis* ovato-ſubrotundis, acutis, integerrimis: *petiolis* teretibus, novempollicaribus. *Paniculæ* laxæ, magnæ, plurimæ circa extremitates ramuſculorum prodeunt. *Flores* fœtidiſſimi & numeroſi ſordide flaveſcunt cum maculis purpureis; in quibus petala & nectarium abſunt perpetuo. In his ad oculum patet, filamenta eſſe dumtaxat continuationem diviſam corticis ſeu partis exterioris receptaculi; germen vero enaſci ex prolongata mutataque ejusdem medulla. *Fructum* examinare haud contigit. Majo & Junio has arbores floribus inveni onuſtas; quos diu permanentes, omnes tandem ante Octobrim decidiſſe vidi, doluique; nullo fructus rudimento relicto vel minimo, ex quo de hujus natura judicare licuiſſet. Siccitatem, opinor, fuiſſe in cauſa, quæ Carthagenæ iſto anno more ſolito diutius protrahebatur. Aderant ſemper flores plurimi, in quibus omnino deficiebat ſtylus, ſtigmate quinquefido majorique immediate germen coronante; at hi abortabant ilico. Incolis appellatur *Camajonduro*.

Habitat Carthagenæ in ſylvis, atque in ipſo paſſim ſuburbio.

POLY-

# POLYANDRIA.

## ARUM.

1. ARUM (*Seguine*) caulescens, suberectum; foliis lanceolato-ovatis. TAB. CLI.

Arum caule erecto, geniculato, inferne nudo; foliis majoribus oblongo-ovatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 331.

Arum caulescens; Cannæ indicæ foliis. *Plum. amer.* 45. *t.* 51. *f. b.* & *t.* 59.

CAL. Spatha monophylla, maxima, lanceolato-oblonga, acuta, basi leviter convoluta, patens, apice reflexo. Spadix longitudine spathæ, superne teres, ad basin compressus, incurvus, fere ad dimidiam sui partem dorso spathæ accretus, marcescens supra germina.

COR. nulla.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ circiter decem, accretæ circa unumquodque nectarium.

Nectaria numerosa, quadrato-subrotunda, depressa, fere totum spadicis a spatha liberi ambitum stipantia.

PIST. Germina plura, totum latus anticum spadicis inferioris laxe tegentia, subgloboſa, didyma. Styli nulli. Stigmata villosa.

Glandulæ nectareæ circa unumquodque germen plerumque quatuor, sæpe sex, rarius quinque, oblongæ, teretes, obtusæ, patentissimæ, fere longitudine germinis.

PER. Spatha tota stricte convoluta, . . .

SEM. . . .

Planta perennis, sexpedalis. *Folia* sunt ovato-lanceolata, acuta, integerrima, nitida, subtus nervis parallelis & adscendentibus notata, interdum vel sesquipedalia; *petiolo* amplexicauli, canaliculato, inferiora versus paulatim latescente, superne marginato. Hæc in extremitate tantum habentur, decidentibus successive senioribus: unde *caulis* enascitur pollicem diametro æquans, cicatricibus semicircularibus albentibus variegatus, basi procumbens, cæterum erectus. *Spadix* est axillaris & foliis brevior. *Fructum* maturum non vidi. Tota planta succo scatet venenato, acerrimo, ipsamque cutim tenerioremi inflammante; unde, si vera narrat Piso, credere nequeo, esse hanc eandem cum sua Aninga. Viciniam quoque odore inficit teterrimo. Gallis *Seguine* dicitur; adhibeturque caulis in frustula transversim sectus ad confectionem lixivii illius acerrimi, quo in succi saccharini depuratione utuntur.

Habitat in Caribæarum humidis pratensibus.

2. ARUM

2. ARUM (*hederaceum*) caulescens, scandens; foliis oblongo-cordatis, acuminatis. TAB. CLII.

Colocasia hederacea sterilis minor, folio cordato. *Plum. amer.* 39. *t.* 51. *f. d. & tab.* 55.

CAL. Spatha monophylla, maxima, ovata, acuta, crassa, basi interne colorata, . . .

Spadix simplicissimus, teres, erectus, longitudine fere spathæ, cujus dorso ad basin leviter adcrevit, supra germina marcescens.

COR. nulla.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ . . .

Nectaria numerosa, depressa, totam dimidiam superiorem spadicis partem occupantia.

PIST. Germina plurima, basin spadicis dense vestientia, collocata infra stamina. Styli angulati, crassi, erecti, solitarii. Stigmata capitata, depressa, maxima, bifida trifida vel quadrifida.

PER. Baccæ totidem, oblongæ, obtusæ, apice paulo crassiores, a vicinis comprimentibus inæqualiter tetragonæ vel pentagonæ, quadriloculares. Spatha tota stricte convoluta.

SEM. in quolibet loculamento bina, ovalia, utrinque obtusa.

Planta hæc fruticosa & late sese diffundens arboribus parasitica innascitur, quas ad cacumina usque scandit. Dispescitur in *caules* teretes, pollicem circiter crassos, glabros, & cinereos, qui radiculis teretibus emissis ramos amplexantur, ac transversim dissecti succum per punctula exstillant aurantium & odoris ingrati. *Folia* sunt cordato-acuminata, nitida, subcoriacea, integerrima, alterna, quotannis decidua, in ramusculis junioribus: *petiolo* tereti, fere longitudine foliorum. *Floris* descriptionem ex emarcido desumpsi, in quo propter aquæ commorantis in spatha inclusæque præsentiam putruerant stamina: unde character evasit incompletus. Odor autem spadicis superne putrescentis est singularis, vinosus, ingratissimus, manumque inficiens tenacissime. *Fructus* omnes simul ovum gallinaceum figura atque magnitudine æquant.

Habitat Carthagenæ in sylvis montosis. Floret, opinor, Augusto.

## POTHOS.

1. POTHOS (*acaulis*) acaulis. TAB. CLIII.

Arum foliis rigidis angustis & acuminatis. *Plum. amer.* 47. *t.* 62? & *t.* 51. *f. innominata supra f. i.*

CAL. Spatha monophylla, lineari-lanceolata, acuta, plana, subcoriacea, tota retrorsum flexa.

Spadix

Spadix ſimpliciſſimus, ſubulatus, teres, obtuſus, erectus, ſpatha paulo longior, totus tectus fructificationibus hermaphroditicis.

Perianthium nullum, niſi corollam velis.

COR. Petala quatuor, oblonga, fornicata, dorſo acute angulata, apice depreſſa, ſimul corollam quadratam formantia.

STAM. Filamenta quatuor, ſubovata, concava, erecta, petalorum longitudine, ad quorum baſin orta. Antheræ in quolibet filamento geminæ, ovatæ, erectæ, ad latus altera alterius poſita.

PIST. Germen oblongum, quadrangulare, fere longitudine corollæ. Stylus nullus. Stigma ſimplex, in centro apicis depreſſi germinis.

PER. Baccæ totidem, oblongæ, apice attenuatæ, quadrangulares, . . .

SEM. . . .

Planta acaulis, perennis, paraſitica arborum, habitu Aloën refert. *Folia* habet cuneiformi-oblonga, acuminata, integerrima, glabra, brevi petiolo donata, coriacea, ſubrigida, numeroſa, radicalia, ſesquipedalia & longiora. *Scapi* ſunt axillares, teretes, & pedales. *Fructum* maturum non vidi. Incolis a ſpadicis florigeri ſimilitudine audit *Queuë de rat* ſive Cauda gliris.

Habitat in ſylvis vaſtis montoſis Martinicæ.

# MONOECIA.
# MONANDRIA.

## ELATERIUM.

1. ELATERIUM (*carthagenenſe.*) TAB. CLIV.

* Mas.

CAL. nullus.

COR. monopetala, hypocrateriformis. Tubus cylindraceus, baſi retuſus, erectus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, acutis, patentiſſimis, longitudine tubi, lateribus retrorſum conniventibus, hinc dorſo canaliculatis; inciſuris denticulo inſtructis.

STAM. Filamentum unicum, columnare, erectum, tubo corollæ paulo brevius. Anthera eſt linea continua, quinquies longitudinaliter adſcendens, totiesque deſcendens, in parte ſuperiore filamenti, farinifera.

* Fœmina.

CAL. nullus.

COR. ut in mare, germini impoſita, decidua.

PIST. Germen ſubrotundum, leviter incurvum, undique ſetis mollibus obvallatum, inferum. Stylus columnaris, ſuperne craſſeſcens, erectus, tubo corollæ brevior. Stigma teres, baſi retuſum, apice convexum, capitatum, magnum.

PER. Capſula coriacea, reniformis, compreſſiuſcula, dorſo plana, ſetis mollibus undique armata, unilocularis, bivalvis, elaſtice diſſiliens.

SEM. plura, angulato-ovata, plana, imbricatim receptaculo affixa, in carne aquoſa.

Planta forte annua; *caulibus* teretibus, glabris, herbaceis, diffuſis, ſcandentibus; *cirrhis* bifidis & lateralibus. *Folia* habet cordata, angulata, tenuiſſime ſerrata, ſubtus glabra, facie ſcabriuſcula, petiolata, alterna, numeroſa. *Pedunculi maſculorum communes* ſunt multiflori, axillares, ſolitarii, patentes, fere longitudine foliorum, racemoſi, vel ſubumbellati. *Pedunculus fœmineus* oritur ex eadem axilla ſolitarius, uniflorus, & brevis. *Flores* candidi, interdiu inodori, noctu ſunt ſuaveolentes. *Fructus* viridis ſesquipollicem longitudine æquat; carnem continet paucam aqueam & cucumerini odoris; maturus ad tactum leviſſimum ſumma vi diſſilit, ſeminaque diſpergit; maturitati tantummodo propior, manu clauſa aliquamdiu ſi contineatur, impetu dehiſcit ſimili. Forte pomum dici bivalve poſſet. Valvula altera componitur ex lateribus totis atque anteriore fructus parte; eſtque hinc ſubrotundobiloba, ſive numeri arabici octavi notam figura ſua exprimit. Fructus dorſum conſtituit alteram, quæ itaque eſt oblonga. Hæc interne ad apicem augetur appendice lanceolato, ſumme elaſtico, inſtructoque denticulis circiter octodecim, quibus totidem *ſemina* adhæſerunt ſubfuſca. Boerhavii Elaterium quum ſit Momordicæ ſpecies, poſſe hoc nomen ad plantam hanc diſtinctiſſimam apte transferri, judicavi.

Habitat Carthagenæ in cacumine montis de la Popa, ubi caulibus ſuis fruticeta ſæpe tota obtegit. Floret Octobri & Novembri; brevique matureſcunt fructus.

# DIANDRIA.

## ANGURIA.

1. ANGURIA (*pedata*) foliis ternatis, pedatis. TAB. CLV.

Anguria polyphyllos, parvo fructu. *Plum. ſp.* 3. *ic.* 23.
Cucumis triphyllos, fructu variegato. *Plum. amer.* 85. *t.* 99.
Cucumis foliis pedatis integerrimis. *Linn. ſyſt. E. p.* 1279.

* Mas.

CAL. Perianthium monophyllum, oblongum, baſi ventricoſum, quinquefidum: laciniis lanceolatis, acuminatis, patentibus, brevibus.

COR.

2. BEURRERIA (*exſucca*) fructibus exſuccis, quadripartitis. TAB. CLXXIII. Fig. 17.

Arbuſcula quindecimpedalis, interdum erecta, interdum vicinis arboribus ſe ſuſtentans lentaque; cæterum habitu præcedentis. *Folia* ovata, acuta, glaberrima, alterna, petiolata, bipollicaria. *Racemi* ſubcorymboſi, ſubterminales. *Flores* leviter ſuaveolentes, præcedentibus multo majores; corollæ candidæ laciniis cordatis; antheris ovatis magnisque. *Baccæ* virides, tetragonæ, leviter quadriſulcatæ, in acumen definentes obtuſum, pulpa fartæ nulla; tandem e nigro rufeſcentes, cumque ipſis inhærentibus ſeminibus quadrifariam ſecedentes, & diu adhuc in arbore perſiſtentes. Rhamnus cumanenſis Læflingii *hiſp.* 182. omnino eſt hujus generis, & forte eadem cum hac ſpecies; quod aſſerere tamen non auſim.

Habitat frequens Carthagenæ in ſylvaticis montoſis. A Majo ad usque Auguſtum floret. Fructus Octobri matureſcit.

## EHRETIA.

1. EHRETIA (*tinifolia*) inermis. *Linn. ſyſt. A. p.* 936.

Ehretia arborea, foliis oblongo-ovatis alternis, racemis terminalibus.

*Brown. jam.* 1. *p.* 168. *t.* 16. *f.* 1.

Ceraſo affinis arbor baccifera, racemoſa, flore albo pentapetalo, fructu flavo monopyreno dulci eduli. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 94. *t.* 203. *f.* 1.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, obtuſum, erectum, ſemiquinquefidum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, calyce paulo longior. Limbus quinquefidus: laciniis ſubovatis, acutis, planis, reflexis, tubum leviter ſuperantibus.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, patula, petalo paulo breviora, cujus fundo baſi latiuſcula inſeruntur. Antheræ ovatæ, utrinque ſulcatæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, ſuperne craſſior, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſubbifidum, obtuſum.

PER. Bacca ſubrotunda, unilocularis.

SEM. quatuor, hinc convexa, inde angulata, pauciſſima pulpa diſtincta.

Arbor erecta, viginti vel triginta pedes alta, in comam abit oblongam denſamque. *Folia* habet ovalia, obtuſa, integerrima, glabra, alterna, breviter petiolata, circiter quadripollicaria. *Racemi* paniculati, oblongi, magni, terminales. *Flores* numeroſi, parvi, candidi, ſubgraveolentes.

Habitat in Cuba & Jamaica. Florentem vidi Januario & Februario.

brevesque, horizontaliter porriguntur omnes, ad distantias circiter pollicares notati a foliorum lapsu totidem nodis, qui articulationes imitantur. *Folia* sunt ovata, acuta, integerrima, nitida, crassiuscula, plus minus quinquepollicaria, breviter petiolata, opposita, pagina altera ad basin leviter oblitterata: quibuscum alternant *stipulæ* oppositæ, virides, latæ, subrotundæ, & acumine brevi auctæ. *Pedunculi communes* sunt axillares, solitarii, oppositi, crassi, brevissimi, ut plurimum triflori; *propriis* etiam crassis atque brevissimis. *Flores* sunt maximi, pulcherrimi, semipedales, mutuo succedentes, interdiu prorsum inodori, noctu odorem late spirantes gratissimum & resicientem. Calycis foliola e viridi rubroque miscentur. Corolla candida, angulis & limbi margine rubentibus, lineis seu striis longitudinalibus quindecim insignitur. Stamina flavescunt, & a fundo tubi ortum ducunt; unde error in figura Brownei conspicitur. *Capsulæ* nigrescunt, diuque persistunt in arbore. *Semina* inveni plerumque ab insectis comesta omnia, etiam in tenellis adhucdum immaturisque fructibus. Hæc nimirum cunctorum post seminum destructionem, qua intrarunt, sponte iterum capsulis exeunt, relictis sui loco excrementis, quæ, ut vulgo fit, minutorum faciem seminum præ se ferunt. Imposuisse illa videntur delineatori in icone Brownei, quæ excrementa dicta quidem, semina vero neutiquam exhibet. Quem delinearem ego, aquæ imposueram abscissum ramulum, aperto flore unico ornatum. Iste per quatuor noctes subsequentes cubiculum omnino meum fragrantia sua implevit; ad solis videlicet ortum amittens quotidie, quem sub vesperam recuperabat odorem.

Habitat in Jamaica copiose ad pedes montium in Ferry, locis rupestribus, inque ipsis nudis sæpe rupibus. Vidi florentem Januario & fructibus simul maturis onustam.

2. PORTLANDIA (*hexandra*) floribus hexandris. TAB. CLXXXII. Fig. 20.

CAL. Perianthium monophyllum, parvum, germini insidens, marcescens, profunde sexpartitum: laciniis ovatis, desinentibus in setas acutas & suberectas.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, longissimus, basi globosus, superne leviter arcuatus & gibbus. Limbus sexfidus: laciniis ovatis, planis, patentissimis, tubo triplo brevioribus.

STAM. Filamenta sex, filiformia, declinata, orta in ipso tubi fundo, eundemque cum stylo ibidem exacte claudentia, fere longitudine tubi. Antheræ lineares, obtusæ, erectæ, compressæ, longitudine petali.

PIST. Germen obovatum, compressum, striatum, inferum. Stylus filiformis, superne utrinque sulco notatus longitudinali, situ & longitudine staminum. Stigma simplex, obtusum.

PER. Capsula obovata, compressa, apice a destructis calycis indurati reliquiis inæqualis, sublignea, bilocularis, bivalvis, ab apice dehiscens:

valvu-

COR. Petala quinque, obovata, obtusa, plana, patentissima, calycis limbo adnata.

STAM. Filamenta duo, brevissima, opposita, affixa superiori parti ventris perianthii. Anthera in singulis lanceolata, acuminata, ex linea semel sursum deorsumque repente & farinifera.

* Fœmina.

CAL. ut in mare, germini insidens, deciduus.

COR. ut in mare.

STAM. Filamenta duo, acuminata, opposita, brevissima, adnata parti superiori calycis. Antheræ nullæ.

PIST. Germen oblongum, teres, fere longitudine corollæ, inferum. Stylus crassus, teres, erectus, semibifidus. Stigmata bifida, acuta, longitudine calycis.

PER. Pomum oblongum, leviter compressum, obtuse acuminatum, quadriloculare. Dissepimentum membranaceum, tenue.

SEM. plurima, ovalia, compressa, nidulantia.

Planta perennis, *cirrhis* longis ad viginti fæpe altitudinem pedum arbores scandit: *caulibus senioribus* lignosis, fruticosis, aphyllis, & sarmentosis; *junioribus* teretibus, lentis, glabris, & foliosis. *Folia* sunt ternata, repando-serrata, acuminata, nitida, petiolata, alterna; *foliolis* petiolatis; quorum intermedium lanceolatum, lateralia sunt pedata, paulo breviora, & sæpe difformia. *Pedunculi masculorum* racemosi, foliis longiores; *fœmellarum* uniflori, teretes, glabri, axillares, plerumque bini. *Flores* inodori, petalis aurantiis. *Poma* pollicaria, digiti medii crassitie, virentia cum striis longitudinalibus albidis, nitida. *Semina* albescunt. Plumierus in descriptione plantarum Americanarum iconem exhibuit, in qua jungit ex eadem axilla cum fœminis mares. Hoc utrum eveniat interdum, ignoro. Ego semper in alia planta hos, in distincta alia solas illas offendi; etiamsi non perfunctorie quæsiverim. Commotus tamen magna, quam habet cum Cucumerinis, analogia; inde etiam suspicatus, utut ego observarim, posse tamen monœcos flores dari, in Monœcia collocavi; nomenque a Plumiero impositum servavi. Videtur clarissimus Burmannus in icone Plumieri radicem inversam pro fructu habuisse.

Habitat in Domingo in fruticosis & sylvaticis. Floret Septembri. Maturos fructus collegi Decembri.

2. ANGURIA (*trilobata*) foliis trilobis. TAB. CLVI.

Anguria fructu parvo, folio tricuspidato. *Plum. amer.* 3. *ic.* 22.

Cucumis foliis cordatis trifidis dentatis, pomis muricatis. *Linn. syst.* B. *p.* 1279.

Marem hujus dumtaxat examinare contigit, qui cum præcedentis mare perfecte congruit, petalis tamen magis rotundis. In paucis plantis, quas vidi, fœminæ veſtigium erat nullum. Planta eſt nitidiſſima, habitu prioris. *Folia* gerit alterna, magna, triloba: *lobis* oblongis, acuminatis, planis, integris quidem, at ſimul denticulis raris in margine inſtructis; quorum exteriores plerique augentur appendiculo obtuſo cum denticulo terminali, ceu quarti quintique lobi rudimento. *Cirrhi* longitudine folia æquant. *Pedunculi maſculorum* ex axillis ſolitarii exeunt, longi, & apice gerentes *flores* ſubaggregatos ſeſſiles, inodoros, pulchros, corollis miniatis, circiter viginti, in explicatione ſenſim mutuo ſuccedentes.

Habitat Carthagenæ in ſylvis montis de la Popa. Vidi florentem Junio.

# TRIANDRIA.

## AXYRIS.

1. AXYRIS (*pentandra*) foliis ſerrato-dentatis; floribus maſculis pentandris.

* Mas.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquedentatum: laciniis ſubrotundis, concavis, patentibus.

COR. nulla.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, patula, longitudine calycis. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

* Fœmina.

CAL. Perianthium monophyllum, perſiſtens. Tubus ſubrotundus, externe apophyſibus inæqualis. Limbus bifidus: laciniis ovatis, planis, acutis, ſuberectis, longitudine tubi.

COR. nulla.

PIST. Germen ſubrotundum, compreſſum, minimum. Stylus profunde bifidus, capillaris, patulus, longitudine tubi. Stigmata ſimplicia, acuta.

PER. nullum. Calyx induratus, hinc multicornis, ſemen in ſinu fovet.

SEM. unicum, ſubrotundum, compreſſum, emarginatum, nitidum.

Planta ſesquipedalis, forte annua vel biennis. *Caules* ſubteretes, ramoſi, ad radicem ſublignoſi, procumbenti-erecti. *Folia* ovalia, utrinque acuta, ſerrato-dentata, lateribus reflexis, facie ſubpinguia, dorſo tecta tomento pruinæ ſimili, glauca, petiolata, alterna, numeroſa, pollicem raro excedentia. *Flores maſculi* exigui, glauci, ſeſſiles, colliguntur in ſpicam brevem ſubrotundam & terminalem. Antheræ ſunt flavæ. *Fœminæ* ſunt glaucæ, exiguæ, ſeſſiles, axillares, plures. Maſculis ab extremitate ramuſculi delapſis,

lapſis, ultra pergit hic elongari, & novos promere utriusque ſexus flores; unde tota planta referta conſpicitur ſeminibus per gradus maturitati vicinis. Tota planta inodora eſt, at ſapore prædita valde ſalſo. Reduxeram antea hanc plantam ad Spinaciam; quacum & cum Atriplice plura habet communia. Axyris tamen melius ſibi illam vindicat propter habitum conſimilem.

Habitat in littoribus maritimis Cubæ.

## TRAGIA.

1. TRAGIA (*hexandra*) floribus hexandris. TAB. CLXXIII. Fig. 63.

* Mas.

CAL. Perianthium tetraphyllum: foliolis oblongis, acutis, planis, reflexis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, apicibus extrorſum recurvis, longitudine calycis; quorum exteriora quatuor paulo breviora duobus interioribus. Antheræ in quolibet filamento binæ, parvæ.

* Fœmina.

PIST. Stylus vix ullus. Reliqua omnia, ut in charactere Linnæano.

Planta fruticoſa, ſexpedalis. *Caules* teretes, lenti, lignoſi, volubiles, ad ortum cujusque petioli armantur *aculeis* ſubulatis & geminis. *Folia* ſunt oblonga, obtuſa cum acumine, dentata, glabra, margine facieque adſperſa pilis rigidis urentibus, petiolata, alterna. *Pedunculi* racemoſi, breves, terminales, maſculorum & fœminarum in ejusdem plantæ ramuſculis diſtinctis. *Fructus* ſetis urentibus teguntur. Ad Tragiam hanc ſtirpem retuli; neque enim mihi videtur partium in maribus diverſus a charactere Linnæano numerus, ubi reliqua ipſeque adeo habitus tantopere conveniunt, diverſum poſſe genus conſtituere.

Habitat Havanæ in ſylvis.

## HERNANDIA.

1. HERNANDIA (*ſonora*) foliis peltatis. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 1264. *Hort. cliff.* *t.* 23.

Hernandia amplo hederæ folio umbilicato. *Plum. gen.* 6.

Hernandia arborea, foliis cordato-peltatis, capſula tenui aperta. *Brown. jam.* 1. *p.* 373.

Nux veſicaria oleoſa, foliis umbilicatis. *Pluk. alm.* 266. *t.* 208. *f.* 1.

* Maſculi flores pedunculati in eadem umbellula bini.

CAL. Involucrum umbellulæ tetraphyllum, petalis exterioribus concolor, deciduum: foliolis ſubovatis, obtuſis, patentiſſimis.

Perianthium proprium nullum.

COR. Petala ſex, ſubovata, obtuſa, concava, patentia; quorum tria interiora & anguſtiora.

Glandulæ nectareæ ſex, teretes, capitatæ, obtuſæ, erectæ, ſtaminibus duplo breviores, eademque ambientes.

STAM. Filamenta tria, erecta, ſuperne divaricantia, petalis breviora. Antheræ oblongæ, magnæ.

* Fœmineus flos in eadem umbellula binos inter maſculos ſeſſilis unicus.

CAL. Involucrum commune cum maſculis.

Perianthium proprium monophyllum, ſubrotundum, parvum, ore indiviſo, perſiſtens, inferum.

COR. Petala octo, germini inſidentia, quorum quatuor interiora & anguſtiora. Cæterum ut in maribus.

Glandulæ nectareæ quatuor, obovatæ, obtuſæ, germini impoſitæ, ſtylum ambientes, eodemque duplo breviores, cum petalis interioribus alternantes.

PIST. Germen oblongum, truncatum, perianthio fere duplo longius. Stylus craſſiuſculus, incurvus, corolla brevior. Stigma obliquum, ſubinfundibuliforme, magnum, margine convexo.

PER. Drupa ſicca, ovata, obtuſa, octo ſulcis exarata, notata puncto umbilicato, ſita in medio calyce. Perianthium maximum, inflatum, ſubrotundum, depreſſiuſculum, ſucculentum, coriaceum, nitidum, coloratum; ore parvo, ſubrotundo, integroque.

SEM. Nux globoſa, leviter depreſſa, unilocularis. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbor procera, erecta, comoſa, elegans. *Racemi* paniculati. *Flores* e flavo pallent. *Calyces* in fructu flaveſcunt. Incolis vocatur *Myrobolan.*

Habitat in Martinica ad rivulos & torrentes.

## BOEHMERIA.

1. BOEHMERIA (*ramiflora.*) TAB. CLVII.

* Maſculi flores aggregati infra fœmineos.

CAL. nullus.

COR. Petalum tubuloſum, ſemitrifidum: laciniis ovatis, concavis, acutis, patulis.

STAM. Filamenta tria, capillaria, erecta, corollam ſuperantia. Antheræ ſubrotundæ.

* Fœminei flores aggregati ſupra maſculos.

CAL. nullus; cujus obeunt munus paleæ ovatæ, concavæ, acutæ, erectæ, germinibus intermixtæ.

COR. nulla.

PIST.

PIST. Germen ovatum. Stylus ſubulatus, erectus, longiſſimus. Stigma ſimplex, acutum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbuſcula octopedalis; *ramis* longis, ſuperne ut plurimum reclinatis. *Folia* ſunt lanceolato-acuminata, falcata, ſerrato-dentata, rugoſa, venoſa, ſcabra, breviſſime petiolata, alterna, propendentia, in extremitatibus ramuſculorum, magnitudine valde varia, in eodem ſcilicet ramulo ſæpe bipollicaria & pedalia. *Flores maſculi* exigui, flaveſcentes, numeroſi, aggregatim ad diſtantias ramos obſident aphyllos ſeniores. *Fœminei* albicantes eodem diſponuntur modo in ramuſculis junioribus ad ſummitates usque. *Fructum* haud contigit obſervare. Novam hanc plantam nomi iavi in honorem viri clariſſimi Georgii Rudolphi Boehmeri in Academia Wittenbergenſi Anatomiæ & Botanices profeſſoris.

Habitat in Martinica ad ripas fruticoſas fluvii Divi Petri. Floret Aprili.

# TETRANDRIA.

## MORUS.

1. MORUS (*Zanthoxylum*) foliis ovato-oblongis, glabris; ſpinis axillaribus.

TAB. CLXXX. Fig. 55. *Linn. ſyſt. A. p.* 1266.

Morus, quæ Tata-iba aculeata, fructu villoſo. *Plum. ic.* 204.

Zanthoxylum aculeatum, carpini foliis, americanum, cortice cinereo. *Pluk. alm.* 396. *t.* 239. *f.* 3.

* Maſculi flores in amento cylindraceo denſo longiſſimo.

CAL. Perianthium quadripartitum: foliolis ovatis, patentiſſimis, planis, apicibus reflexis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, calyce duplo longiora, unumquodque e quolibet calycis foliolo elaſtice erigens ſe in floris explicatione. Antheræ ovales, didymæ, incumbentes, in filamentorum erectione pollen omne elaſtice explodentes.

PIST. Germen obovatum, compreſſo-planum, obtuſum, calyce triplo brevius. Stylus nullus. Stigma nullum.

* Fœminei flores in globum collecti in diverſa planta.

CAL. Perianthium tetraphyllum, perſiſtens: foliolis obovatis, fornicatis, apice craſſiuſculo depreſſoque, erectis, ſibi mutuo incumbentibus.

COR. nulla.

PIST. Germen ſubrotundum, compreſſo-planum, longitudine calycis. Stylus unicus, ſubulatus, erectus, longiſſimus, diu perſiſtens. Stigma ſimplex, acutum.

PER.

PER. nullum. Calyx major, carnoſus, ſucculentus, & connivens ſemen involvit.

SEM. unicum, ovatum.

Arbor procera, ramoſa, & comoſa, tota lacte abundat leviter glutinoſo & coloris ſulphurei. *Materies* flaveſcit, & tingendo inſervit. *Spinæ* ſubulatæ, ſolitariæ, raræ, axillis inſident; at ſæpe vel in integris ramis deſiderantur. *Folia* ſunt ex ovato oblonga, acuminata, ſerrata, utrinque glabra, venoſa, diſticha, baſi altera breviore, breviter petiolata, magnitudine varia. Maſculorum *amenta* ſolitaria, pendula, axillaria petiolum inter ſpinamque, duos tresve pollices æquant. Fœminarum *receptacula* axillaria, e glauco virentia, & ſolitaria, brevibus petiolis donantur. Inter flores fœmineos quædam corpuſcula obſervavi paleacea, quæ forte erant flores a vicinis ſuffocati exſiccatique. *Fructus* e viridi flaveſcunt, dulces ſunt, atque avibus amantur. Arbor hæc perpetuo dioica eſt. Materies in Europam mittitur pro tincturis. Hiſpanis audit *Morita*, Batavis *Stokvishoudt*. Fere inducor, ut credam, hanc Linnæique Morum tinctoriam eandem eſſe arborem, foliorum hirſutie, ſi quidem illa obtineat, a ſoli fortaſſe diſcrimine orta.

Habitat Carthagenæ in ſylvis vaſtis; & in inſulis Caribæis pluribus.

# POLYANDRIA.

## SAGITTARIA.

1. SAGITTARIA (*lancifolia*) foliis lanceolato-ovatis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1270.
   Sagittaria foliis maximis ſimplicibus oblongis utrinque productis; ramulis verticillatis; caule glabro. *Brown. jam.* 1. *p.* 345.
   Ranunculus aquaticus, plantaginis folio, flore albo, calyce purpureo. *Plum. amer.* 7. *ic.* 116.

*Folia* ovalia, utrinque acuminata, integerrima, nitida, coriacea; *petiolis* teretibus & longiſſimis. *Spicæ* foliis pedem unum alterumve ſunt longiores. Harum *partiales* quatuor, intermedia tribus exterioribus longiore. *Pedunculi* uniflori, terni. *Flores* petalis albis, calyce ſubrubente, antheris flavis, floribus Europææ ſagittifoliæ duplo majores. *Fructus* depreſſi.

Habitat in aquis ſtagnantibus Cubæ & Jamaicæ.

* * * * * *
* * * *
* * * *
* *

MONA-

# MONADELPHIA.

## SAPIUM.

1. SAPIUM (*aucuparium.*) TAB. CLVIII.

Sapium arboreum, foliis ellipticis glabris, petiolis biglandulosis, floribus spicatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 338.

Hippomane foliis ovato-oblongis, serratis, basi glandulosis. *Linn. sp. pl.* 2. *p.* 1191.

Mançanilla lauri foliis oblongis. *Plum. ic.* 171. *f.* 2.

Tithymalus arbor americana, mali medicæ foliis amplioribus tenuissime crenatis, succo maxime venenoso. *Pluk. alm.* 369. *t.* 229. *f.* 8.

* Mas.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, coloratum, semibifidum: laciniis subrotundis, concavis, obtusis, conniventibus.

COR. nulla.

STAM. Filamenta duo, filiformia, basi coalita in unum corpus, patentia, duplo longiora calyce, cujus incisuris incumbunt. Antheræ in singulis filamentis geminæ, oblongæ, apicibus contiguis, utrinque dependentes.

* Fœminæ in eadem spica infra mares.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, parvum, coloratum, germen arcte complectens, margine tridentato.

COR. nulla.

PIST. Germen ovatum, calyce longius. Stylus erectus, brevissimus. Stigma trifidum, acutum, reflexum, maximum.

PER. Capsula subrotunda, obsolete trisulcata, obtusa, tricocca, trilocularis, trivalvis; valvulis apice bifariam dehiscentibus.

SEM. solitaria, orbiculata, compressa, rugosa, margine inæqualiter dentato.

Arbor hæc elegans, nitida, comosa, trigintapedalis, in *ramos* abit longos, plurimos, parum subdivisos, plerosque horizontaliter porrectos. Fulcitur *trunco* erecto & a septem ad duodecim pedes alto; cujus cortex est subfuscus & striatus. *Materies* est alba. Tota scatet *succo* niveo, glutinoso, & abundanti; qui ex qualibet læsa parte guttatim exstillat, ferturque venenatus. *Folia* sunt lanceolato-oblonga, acuta, serrata cum intermixtis denticulis aliquot majoribus & rotundatis, coriacea, nitida, venis parallelis transversis tenuibus ac numerosis notata, apice crasso subcartilagineo rostratoque introrsum flexo, patentia, alternatim sparsa, semipedalia, sita præcipue versus extremitates ramusculorum: *petiolo* brevi, rubente, ad ortum folii in-

 structo

ſtructo utrinque glandula oblonga, tereti, obtuſa, & patente. *Spicæ* terminales, laxæ, craſſæ, virides, plus minus ſemipedales, incurvatæ ſurſumque verſæ, ſuperne gerunt mares, infra hos fœminas: quas tamen in arbuſculis junioribus vidi ſolis maribus refertas. *Flores maſculi* circiter quatuordecim aggregatim ſeſſiles ad baſin ſuffulciuntur duabus *glandulis* oblongis, obtuſis, magnis, planiuſculis, e viridi flaveſcentibus. *Fœminæ* ſolitariæ, numero vario ſeſſiles in eadem infra maſculos ſpica, baſi ſingulæ glandulis duabus ſimilibus muniuntur. *Calyx* utrisque atropureus eſt. *Antheræ* rubent. *Semina* nigreſcunt. In tanta florum cum Hippomane ſimilitudine quis fructum futurum Iatrophæ fuiſſet ſuſpicatus? Americani truncum hujus arboris amputare ſolent, effuſumque ſequenti die inſpiſſatumque ſuccum colligunt, quo ad pſittacos aliasve capiendas aves utuntur: hinc illis vocatur *Mangle cautivo* ſive Mangle captiva. Videtur Cammetti *Rheed. mal.* 5. *t.* 45. eſſe Sapii ſpecies.

Habitat Carthagenæ in ſylvis; inque ipſo ſuburbio Xiximani ante macellum.

## HIPPOMANE.

1. HIPPOMANE (*Mançanilla*) foliis ſerratis, baſi glandulosis. TAB. CLIX

Hippomane foliis ovatis, ſerratis. *Linn. ſpec. pl.* 1. *p.* 1191.

Hippomane arboreum lacteſcens, ramulis ternatis, petiolis glandula notatis; floribus ſpicatis mixtis. *Brown. jam.* 1. *p.* 351.

Mançanilla pyri facie. *Plum. gen.* 50.

Malus americana lauroceraſi folio, venenata. *Comm. amſt.* 1. *p.* 131. *t.* 68.

Juglandi affinis arbor julifera lacteſcens venenata pyrifolia *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 3. *t.* 159.

* Mas.

CAL. Perianthium monophyllum, ſubrotundum, ventricoſum; ore connivente, emarginato.

COR. nulla.

STAM. Filamenta in unum corpus connata filiforme, erectum, calyce duplo longius. Antheræ quatuor, ſubrotundæ, lateribus filamenti verſus apicem cruciatim affixæ.

* Fœmina.

CAL. Perianthium triphyllum, marceſcens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, conniventibus.

COR. nulla.

PIST. Germen ovatum, longitudine calycis. Stylus breviſſimus, erectus. Stigma multifidum, (ſeptemfidum ſæpius;) laciniis ſubulatis, acutis, longis, rigidiuſculis, reflexis.

PER.

PER. Drupa carnoſa, lacteſcens, maxima, ſubrotundo-depreſſa, leviſſime umbilicata.

SEM. Nux maxima, lignoſa, heptagona, baſi obtuſa, apice in acumen longum inæquale abruptumque abiens, in toto ambitu armata apophyſibus inæqualibus acuminatis, ſeptemlocularis, ſeptemvalvis. Nuclei ſolitarii, ſubrotundi.

Arbor procera, vaſta, coma ramoſiſſima amplaque ſpectabilis, habitu Pyro æmula. *Rami* ſæpe ternati, at non perpetuo. *Folia* ſunt ovata, ſerrata, acuta, nitidiſſima, alterna, numeroſa: *petiolo* apice inſtructo glandula ſubrotunda, depreſſa, & ſubfuſca. *Spicæ* ſunt terminales, laxæ, virides, & erectæ. *Flores maſculi* circiter triginta ſimul colliguntur in calyce communi concavo, ſquamæformi, deciduoque; qui ad baſin munitur glandulis duabus lateralibus, orbicularibus, depreſſis, maximis, ſpicam fere ſic totam laxe veſtientibus. *Fœminæ* ſolitariæ, ſeſſiles, ad baſin ſuffultæ glandulis ſimilibus, una alterave in eadem infra maſculos ſpica, vel etiam in alio ramulo juniori aſtachyo. *Fructus* figura, odore, colore pomum parvulum Euro-pæum adeo refert exacte, ut quisque rei ignarus deciperetur. Ejus cortex e flavo virens nitidusque unguem craſſitie æquat. Caro candida lacteſcit. *Nux* apophyſes ſuas ad ipſum fere usque corticem protendit, totamque hinc carnem percurrit. Maturi fructus ab arbore ſponte decidunt, omnemque tunc temporis ſolent arbori ſuppoſitam aream numero ſuo tegere. Sic ſib relicti non putreſcunt; ſed, cortice pereunte, exſiccantur; & caro evadit exſucca, ſpongioſa, & fuſca, rimisque plurimis longitudinalibus notatur. Nulli unquam animali tactos inveni; etſi vulgo ferantur amati cancris, qui eadem loca, ſed ob aliam longe opinor rationem, multitudine vix credibili incolere conſueverunt. Capta quidem in Martinica hæc animalia in harum arborum ſylvis, comeſtaque, venenata habentur, & nocuiſſe aliquoties illa, certo conſtitit. At vero quum in Grenadenſi inſula ſimilibus deſumpta locis ſine metu ullo atque impune comeduntur; nunquid igitur alii eſt cauſæ adſcribenda Martinicenſium noxa? Sic omnino videtur. Tota arbor in omnibus ſuis partibus lacte ſcatet candidiſſimo, copioſiſſimo, valdeque cauſtico, hinc venenatiſſimo. Guttula hujus, cuti manus impoſita, (volam excipio,) brevi eandem ignis inſtar vivi in veſicam lympha plenam attollit: unde ore aſſumptum quousque nocere poſſit, deſtruendo tenella faucium internarumque partium integumenta, patet conſideranti. Quandoquidem hoc eodem ſucco etiam abundet ipſe fructus, facile largior, poſt comeſtam unam alterumve ejusdem portiunculam aliquos peſſime habuiſſe; imo perſuaſiſſimus ſum, in primis Americæ detectionibus id aliquoties accidiſſe. Quidquid vero aſſerant auctores, narrentque non raro incolæ, de devoratis tot totiesque ſine noxa aut cum noxa integris fructibus, totidem fabellas autumo, vel a credulitate minusque caſuum attenta exploratione, vel a

mala fide ortas. Nucis etenim ſcindentes apophyſes imprudentem ſatis ſuperque monent, ne pergat edere; pergere autem volenti, artificio eſſet opus ac patientia, dum fauces interea inflammarentur totæ. Fertur etiam arboris umbra noxam inferre ſubtus recubanti; ſed per trihorium ipſi mihi cum ſociis periculum facienti nihil mali evenit. Tum etiam pluviam trans hanc arborem cadentem, corporeque nudo exceptam, innocuam ſum expertus: noxia fortaſſe fuit, ubi rupti ventis vel imbribus rami foliave lac ſimul deſtillaverint pluviæ immiſtum. Truncus præbet materiem pulcherrimam, e fuſco & leucophæo vagiegatam, poliri aptam, & ad inteſtina opera frequens in America adhibitam. Solet arbor, priusquam cædatur, igne circumpoſito ad radicem exuri, quo a copioſiori ſucco inferior trunci pars liberetur: dein operarii, ne in oculos fragmenta inſiliant, illos tela linea tenui obligant. Integras olim ſylvas littorales harum arborum incendio conſumpſerunt Martinicenſes aliique, ut a tam atroci veneno vindicarent regiones cultas. *Mamçanilla* apud omnes nationes, magis minusve ad vernaculam linguam corrupto vocabulo Hiſpanico, quod parvulum pomum ſignificat, vocatur. Quando fioret, interdum foliis fere caret.

Habitat in littoribus maritimis Caribæarum & vicinæ Continentis.

## DALECHAMPIA.

1. DALECHAMPIA (*ſcandens.*) TAB. CLX. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 1054.

Dalechampia ſcandens, lupuli foliis, fructu hiſpido, tricocco. *Plum. gen.* 17.

Dalechampia folio trifido, fructu tricocco hiſpido. *Plum. amer.* 89. *t.* 101.

* Maſculi flores circiter decem intra binas bracteas florales.

CAL. Involucrum commune quadripartitum: foliolis obtuſis, erectis, quorum nectario ſuppoſitum reliquis duplo latius.

Perianthium proprium hexaphyllum: foliolis ovatis, acutis, integris, reflexis, apice ſurſum replicatis.

COR. nulla.

Nectarium latum, in involucro communi ante maſculorum pedunculos ſeſſile; conſtans lamellis plurimis, obovatis, obtuſis, planis, pedunculis maſculorum propriis paulo brevioribus, apice nectar glutinoſiſſimum fundentibus, multiplici denſaque ſerie poſitis.

STAM. Filamenta plurima, concreta in unum corpus erectum, filiforme, longitudine calycis, ſuperne diviſum. Antheræ ſubrotundæ, quadriſulcatæ.

* Fœminæ tres intra easdem cum maribus bracteas.

CAL. Involucrum commune triphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, obtuſis, erectis, margine hirſutis, quorum exterius triplo latius reliquis.

Perian-

valvulis carinatis, apice bifariam dehiſcentibus. Diſſepimentum membranaceum, valvulis contrarium, indiviſum.

SEM. plurima, orbicularia, plana, aucta in circumferentia margine membranaceo, imbricata.

Frutex ſexpedalis, erectus, in *ramos* dividitur teretes, ad pedunculorum ortum compreſſos, verrucis minimis ſcabriuſculis adſperſos. *Folia* ſunt ovata, integerrima, in acumen obtuſiuſculum deſinentia, glaberrima, venoſa, petiolata, oppoſita, quinquepollicaria. *Pedunculi communes* ſunt triflori, axillares ſolitarii, terminales terni; *propriis* brevibus. *Flores* ſunt pulchri, ſuaveolentes, numeroſi, fere tripollicares; petalis externe carneis, interne candidis, lineatis. *Capſulæ* fuſcæ punctis cinereis variegantur. *Semina* ut plurimum ab inſectis eroduntur. Tanta profecto in utraque planta eſt floris totiusque adeo habitus ſimilitudo, ut ultro liqueat, ſub eodem eſſe genere locandas, etiamſi claſſe artificiali diſcrepent.

Habitat paſſim Carthagenæ in fruticoſis. Floret Auguſto & Septembri. Aprili ſemina matura inveni.

## LAUGIERIA.

1. LAUGIERIA (*odorata.*) TAB. CLXXVII. Fig. 21.

Edechi. *Læſl. hiſp.* 259. 271. & 306.

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, erectum, parvum, ore inæquali, germini inſidens, deciduum.

COR. Petalum hypocrateriforme. Tubus cylindraceus, erectus, longiſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis obovatis, planis, obtuſis, patentiſſimis.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima, in ſuperiore parte tubi. Antheræ lineares, longæ, tubum non ſuperantes.

PIST. Germen ſubovatum, parvum, inferum. Stylus filiformis, erectus, tubo paulò longior. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Drupa ſubrotunda, puncto umbilicato.

SEM. Nux ſubrotunda, obſolete quinqueſulcata, quinquelocularis. Nuclei ſolitarii, oblongi.

Frutex decempedalis, erectus, ramoſus. *Folia* ſubovata, acuta, integerrima, glabra, petiolata, oppoſita, bipollicaria. *Racemi* paniculati, laxi, axillares, foliorum longitudine. *Flores* ſordide rubentes, interdiu vix odoriferi, noctu odoratiſſimi, pedunculati, cum uno ſeſſili in qualibet racemi diviſione. *Fructus* aterrimi, piſo majores, molles, numeroſſimi, in maturitate levi arbuſculæ commotione in terram decidui. E ſeminibus meis, ex una eademque arbore Americana carptis, in caldariis Viennenſibus enatos vidi frutices & inermes, & ſpinis oppoſitis longis rectisque armatos alios. Adeoque Læſlingii uter-

que

Perianthium proprium circiter decaphyllum, perſiſtens: foliolis lanceolatis, acuminatis, ſerratis, ſetis armatis, conniventibus.

COR. nulla.

PIST. Germen ſubrotundum, triſulcatum, calyce brevius. Stylus filiformis, longiſſimus, verſus mares arcuatus. Stigma capitato-obtuſum.

PER. Capſula ſubrotunda, magna, depreſſa, tricocca, trilocularis, trivalvis: loculis bivalvibus.

SEM. ſolitaria, ſubgloboſa.

Planta hæc tota hirſuta, nec lacteſcens, *caulibus* teretibus, volubilibus, ramoſis, folioſisque, ad duodecim pedum altitudinem arbuſta ſcandit. *Folia* habet baſi cordata, palmato-triloba, alterna, longis petiolis donata; *lobis* ovatis, ſerratis, acuminatis, medio paulo longiori. *Stipulæ* ovatæ utrinque ad axillas adſident. *Pedunculi communes* axillares, ſolitarii, & longi, circa medium ornantur folio unico caulinis multo minori ſuffultoque ſtipulis ſimilibus, apice autem ſuſtinent fructificationem compoſitam moncœcam, ſupra in charactere deſcriptam, unicam nutantemque; quam includunt *bracteæ* florales duæ, (niſi foliola dicta malis,) ſeſſiles, ſubcordatæ, ſemitrilobæ, ſerratæ, acutæ, utrinque venoſæ, rugoſæ, ſuffultæ ſtipulis quatuor, cum germinibus in fructum mutandis increſcentia, conniventia ſemper, præterquam in ipſo fœcundationis tempore, quo leviter patent. Atque ita hæ bracteæ flores abſcondunt, ut hi in tota planta non appareant, niſi quando a fructuum matureſcentium auctо volumine diducantur. *Mares* ſunt exigui & virides cum antheris luteis; inſidentque pedunculis propriis erectis ac unifloris ante nectarii corpuſcula, quibuscum uno eodemque involucro cinguntur. Tota hæc compages pedunculo communi craſſoque elevatur; ad cujus baſin locantur tres *fœminæ*, laterales fere ſeſſiles, intermedia pedunculata duploque hinc altior. Harum calyces ſetis armantur nitidis eoque urentibus magis, quo ſint maturitati capſulæ propiores. Hæ autem ſunt nudæ, nec, uti in aliis tricoccis obtinet, pellicula veſtiuntur ulla. Facile patet ex generis dato charactere, quantum a vero aberrare debuerint illi, qui ex authorum iconibus vel è ſpeciminibus exſiccatis complicatæ ſingularisque ſtructuræ hoſce flores definire fuerunt conati. Caduci cum ipſo ſuo pedunculo communi mares, filamenta coalita ceu unicum habita, hincque flores decem in unum mutati, & a cognitis floribus omnibus compoſitio fructificationis diverſiſſima, præcipuam errandi anſam præbuerunt.

Habitat in ſylvaticis & fruticoſis Domingo. Vidi florentem Decembri.

## ACALYPHA.

1. ACALYPHA (*carthagenenſis*) involucris fœmineis ſubcordatis, dentatis, dente medio longiſſimo; ſpicis fœmineis terminalibus, maſculis axillaribus. TAB. CLXXX. Fig. 57.

Frutex ſarmentoſus, erectus, ſeptempedalis. *Folia* ovato-lanceolata, acuminata, ſerrata, glabra, venoſa, alterna, breviter petiolata, tres quatuorve pollices longa. *Spicæ fœminarum* terminales, ſolitariæ, erectæ, pollicem vel ſesquipollicem longæ. Styli indeterminate ramoſi. *Maſculorum ſpicæ* axillares, ſolitariæ, ſimiles. Stamina ſemper octo.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis & fruticoſis denſis.

2. ACALYPHA (*villoſa*) involucris fœmineis dentatis, villoſiſſimis; foliis ovatis, acuminatis, petiolo longioribus. TAB. CLXXXIII. Fig. 61.

Frutex ſarmentoſus, erectus, debilis, vicinis ſe hinc ſuſtentans, ſæpe quindecimpedalis; *ramis* teretibus; ſenioribus lignoſis glabrisque; junioribus virentibus & villoſis. *Folia* ſunt ovata, dentato-ſerrata, ſubtus pubeſcentia, alterna, ipſa tres quatuorve pollices longa cum petiolo bipollicari. *Maſculorum* minimorum *ſpicæ* denſæ, cylindricæ, axillares, ſolitariæ, erectæ, plus minus ſesquipollicares. *Fœminarum ſpicæ* axillares, laxiſſimæ, in diverſis ſemper a maribus ramuſculis, at in eadem planta. Harum pentaphyllus eſt calyx; ſtyli tres, ad baſin usque ſexpartiti; involucra minima, vix conſpicua; quorum etiam longitudine ſunt *pedunculi* plerumque uniflori, verum qui, increſcente in capſulam germine, paulatim elongantur, dictisque tunc involucris multoties evadunt longiores; ipſis etiam pariter increſcentibus ſpicis.

Habitat Carthagenæ in ſylvis & ſepibus.

3. ACALYPHA (*corenſis*) involucris fœmineis triphyllis; foliis oblongo-obovatis. TAB. CLXI.

Frutex ſexpedalis, erectus, glaber, ſarmentoſus. *Folia* obovata, oblonga, ſerrata, acuta, glabra, alterna, duos tresve pollices longa, breviſſime petiolata. *Spicæ maſculorum* laxæ, axillares, erectæ, ſolitariæ, pollicares. Involucrum tubuloſum, monophyllum, integrum, plerumque ſucceſſive *pedunculos* unifloros quatuor emittit. Florum calyx triphyllus; filamenta ſæpius octo. *Fœminæ* tres quatuorve in *pedunculo communi* terminali, breviſſimo, craſſoque, racemoſe diſponuntur: quibus ergo involucrum commune eſt nullum; proprium vero triphyllum & calyciforme. Calyx pentaphyllus. Styli tres, bifidi, & perſiſtentes. *Semina* angulata.

Habitat in Domingo, Martinica; omnium vero frequentiſſime ad margines ſylvarum in Venezuela.

## CROTON.

1. CROTON. (*procumbens*) foliis obverſe lanceolatis, acutis, integerrimis.

Planta inodora, fruticoſa, glabra, tripedalis; *caulibus* partim procumbentibus, partim erectis. *Folia* oblanceolata, acuta, integerrima, petiolata, alterna,

alterna, bipollicaria. *Pedunculi* alares breviſſimique ſuperne maſculos plerumque quatuor, fœminas ad baſin duas ſuſtinent. *Flores* parvi virent, characteris prorſum Linnæani, niſi quod fœminarum petala ſint calyce duplo longiora.

Habitat paſſim Carthagenæ in Fruticoſis apricis.

2. CROTON (*niveum*) foliis ovato-cordatis, ſerrulatis, ſubtus tomentoſo-nitidis. TAB. CLXII. Fig. 2.

Frutex decempedalis, erectus, in omnibus ſuis partibus odore aromatico gratoque præditus. *Folia* ſunt ex ovato cordata, acuta, ſerrulata, facie viridia, ſubtus tomento argenteo nitidoque veſtita, magnitudine valde varia. *Spicæ* denſæ, pollicares, onuſtæ maſculis plurimis fœminisque infra mares vel interdum iisdem immiſtis pauciſſimis. Calyx tomentoſus, colore ſubferrugineo. Corolla candida. Styli tres, ramoſi, longitudine germinis, idemque reflexi toti arcte amplexantes. Ante foliorum ortum ſolent flores prodire omnium numeroſiſſimi; caducique mares poſtea ſubjectum ſolum niveo candore operiunt.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis.

3. CROTON (*balſamiferum*) foliis lanceolatis, acuminatis, integris, utrinque tomentoſis; ramis tomentoſis. TAB. CLXII. Fig. 3.

Frutex ramoſus, diffuſus, erectus, tres quatuorve pedes altus, odoratiſſimus, ubique tomento denſo ſubflaveſcenti obſitus, totus ſcatet ſucco balſamico, ſpiſſiuſculo, odorato, ſubfuſco, qui e rupta qualibet parte guttatim exſtillat. *Folia* habet petiolata, facie virentia, ſubtus ex ferrugineo lutea, craſſa, ſparſim alterna, duos tresve pollices longa, numeroſa. *Spicæ* ſubterminales ex ramuſculorum juniorum dichotomiis. *Flores* parvi, petalis candidis. Martinicenſes, quibus *Petit beaume* ſive Balſamum pumilum vocatur, ex ſpiritu vini aduſti cum hac planta deſtillato liquorem conficiunt ſpirituoſum menſisque dicatum, cui nomen impoſuere *Eau de Mantes*.

Habitat frequens in Martinica & Curaçao, in locis ſaxoſis & rupeſtribus, maritimis.

4. CROTON (*poligamum*) foliis ovalibus, oblongis, ſerratis, pilis decumbentibus raris obſitis.

Frutex erectus, quadripedalis, parum ſubdiviſus. *Rami* teretes, glabri, cinerei. *Folia* acuta, glabriuſcula, utrinque virentia, pilis obſita argenteis, breviſſime petiolata, alterna, fere tripollicaria. *Pedunculi* multiflori, breviſſimi, axillares, unus alterve. *Flores* albeſcentes, inodori, hermaphroditi ſteriles fœmineique in eadem aut diverſa planta. Flos *hermaphroditus* germine triſulcato, ſtyloque ſemitrifido & villoſo, quoad reliqua

perfecte

perfecte characteris Geraniorum. *Fœminæ* corolla longitudine calycis laxi patulique; ſtylo triſulcato, ſemitrifido, laciniis bifidis. Plerumque floret, quum foliis caret.

Habitat Carthagenæ in ſylvis & fruticetis. Floret Junio & Julio.

5. CROTON (*lineare*) foliis linearibus. TAB. CLXII. Fig. 4.

Ricino affinis odorifera fruticoſa major, rorismarini folio, fructu tricocco albido. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 233. *t.* 86. *f.* 1.

Frutex erectus, quadripedalis; *ramis* teretibus, ſubtomentoſis, e flavo albicantibus. *Folia* linearia, obtuſa, integerrima, ſuperne glabra & virentia, ſubtus tomentoſo-nitida & albida; *petiolo* brevi ſtipulis duabus rigidiuſculis inſtructo. *Flores* ſpicati. Tota planta eſt aromatica & odorifera.

Habitat in valle arenoſo Corenſi.

## IATROPHA,

1. IATROPHA (*integerrima*) foliis ovatis, acuminatis, integerrimis. TAB. CLXXXIII. Fig. 74.

Frutex erectus, comoſus, elegans, totus glaberrimus, decempedalis, ſucco aqueo glutinoſo refertus. *Folia* ovata, acuminata, integerrima, læte virentia, petiolo fere bipollicari, tripollicaria ferme ipſa. *Racemi* ſubcymoſi. *Flores* inodori, pulchelli; calyce viridi, campanulato, ſemiquinquefido; corolla coccinea, diametro pollicari.

Havanæ vidi in hortis cultam.

2. IATROPHA (*baſtata*) foliis haſtatis. TAB. CLXXIII. Fig. 54.

Planta fruticoſa. *Folia* trilobo-haſtata, integra, acuminata, nitida, petiolata, vix tripollicaria, ad ortum petioli ſtipulis duabus inſtructa. *Flores* inodori, coccinei.

Cultam vidi in hortis Domingenſibus, allatamque ex India Orientali.

3. IATROPHA (*carthagenenſis*) foliis palmatis; lobis ſinuatis, lævibus. TAB. CLXII. Fig. 1.

Janipha fruteſcens. *Læſl. hiſp.* 309.

* Mas.

CAL. nullus.

COR. Petalum coriaceum, campanulatum, erectum, baſi planum, ſemiquinquefidum: laciniis lanceolato-ovatis, acutis, patulis, longitudinaliter externe biſulcatis, interne triſulcatis.

Glandula nectarea peltato-convexa, magna, centro integra, abiens in radios decem obtuſos diſtinctosque.

STAM.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, diſtinctiſſima, e receptaculo inter nectarii radios adſcendentia, ſupra idemque erecta; quorum quinque alterna exteriora, craſſiora, reliquis fere duplo longiora, & æquantia corollam. Antheræ oblongæ, obtuſæ, erectæ, magnæ.

* Fœmina.

CAL. nullus.

COR. Petala quinque, decidua; cæterum ſimillima laciniis petali maſculini.

Glandula nectarea magna, orbiculata, depreſſa, margine infimo decemſulcato.

STAM. Filamenta decem, capillaria, germine breviora, e receptaculo inter ſulcos nectarii adſcendentia, leviter conniventia. Antheræ nullæ.

PIST. Germen ſubrotundo-ovatum, obtuſe hexagonum, corolla brevius, inſidens nectario. Styli tres, baſi connati in unum corpus, patentes, decidui, ſemitrifidi: laciniis abeuntibus in Stigmata ampla, plana, criſtata, apice profunde multifida, germini coronæ adinſtar impendentia.

PER. ut in congeneribus.

Frutex erectus totusque glaberrimus ſucco ſcatet aqueo ſubglutinoſo odoremque habente foliorum Juglandis. In ſylvis umbroſis ſarmentoſus & vix ramoſus ad viginti ſæpe altitudinem pedum excreſcit, debilisque manet; quem etiam habitum in noſtris caldariis conſervat. In fruticetis apricis vulgo ſexpedalis atque inelegans ad Iatrophæ Manihot figuram proxime accedit. In ipſis ſaxeis mœnibus caſtelli ſancti Philippi in Boca chica, poſt ultimam Anglorum expugnationem diruti deſertique, in arbuſculam vidi excreviſſe octopedalem, trunco recto pollices diametro quatuor æquante comaque concinna conſpicuam. *Radix* valde eſt tuberoſa Aſphodeli in modum. *Folia* ſunt ampla, elegantia, palmato-digitata; *lobis* quinque, oblongis, acuminatis, in medio utrinque ſinu maximo contractis, exterioribus ſæpe integerrimis: *petiolo* ſemipedali. *Racemi* laxi fœminas paucas infra mares plures gerunt. *Flores* e luteo & fuſco virent. Filamenta ante fœcundationem prorſus erecta, poſt hanc peractam varie inflectuntur. *Fructus* tegitur pellicula carnoſa, viridi, ſex ſtriis candidis notata, & nitidiſſima; eſtque tunc globoſus, & diametro dimidium pollicem excedit: hac autem exſiccata dilapſaque, manet capſula lateribus triloba. Quod idem plus minus obtinet in omnibus, quas examinavi, Crotonis, Acalyphæ, Iatrophæque ſpeciebus. *Semina* ſunt nitida, ſubovata, viridia vel cinerea.

Habitat paſſim Carthagenæ. Floret fere per integrum annum.

# SYNGENESIA.

## SICYOS.

1. SICYOS (*edulis*) floribus monadelphis, pentandis. TAB. CLXIII.

* Mas.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquinquefidum. Tubus campanulatus, patens. Limbi laciniæ lanceolatæ, planæ, acuminatæ, patentiſſimæ.

COR. monopetala. Tubus accretus calyci, cujus magnitudine & figura. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, planis, acutis, calyce fere duplo longioribus, patentiſſimis.

Nectarium conſtat e foveis decem, ſitis in parte ſuperiore tubi corollæ.

STAM. Filamenta quinque, connata in cylindrum erectum, ſuperne quinquefidum & patentiſſimum. Anthera in cujusque filamenti apice linea bis deorſum ſemelque ſurſum repens, farinifera.

* Fœmina.

CAL. ut in mare, pedicello germini inſidens, deciduus.

COR. ut mare.

Nectareæ foveæ, ut in mare, ſed majores.

PIST. Germen obovatum, tomentoſum, quinqueſulcatum, inferum. Stylus cylindraceus, erectus, longitudine calycis. Stigma maximum, peltato-reflexum, margine quinquefido.

PER. Bacca maxima, ovato-turbinata, quinqueſulcata, carnoſa, apice inæqualiter gibboſo, aculeis innocuis obſita, ſuperne unilocularis.

SEM. unicum, ſubovatum, plano-compreſſum, carnoſum, bilamellatum, utrinque obtuſum.

Planta ſcandens, cirrhoſa, annua, habitu cucumerino. *Folia* ſunt cordato-angulata, facie ſcabra, angulis dentatis acutisque, alterna, petiolo donata glabro. *Flores* inodori, parvi, corollis flavis; *maſculi* in pedunculis multifloris axillaribus; fœminei in pedunculo unifloro vel bifloro ex eadem axilla. *Fructus* externe viret, nitetque; interne albeſcit, & eſt carnoſus; magnitudine varius, ſtructura ſingularis. *Semen* viride, nudum, & pollicare in fructibus majoribus, ad ipſum fructus apicem locatur; quem maturum poſteaquam acta rima fidit, foras tantiſper egreditur, & in connata extremitate ſua radiculas plurimas generat, quas terræ deorſum immittit. Ex adverſo autem loco inter lamellas cauliculum promit folioſum, erigitque; abeunte ſenſim dein fructu in putredinem. Videtur hic humiditate ſua in vege-

tatio-

tationem deducere ſemen, eandemque promovere; donec radiculæ, primum a ſolo propter naturalem fructus dilapſi ſitum remotæ, tandem contiguæ, nutrimentum ex illo haurire ſufficiens valeant. Quamvis enim incolæ, certiori fortaſſe ſucceſſu, integrum ſub terra fructum recondant; non minus tamen ille germinat, caſu terræ illapſus, atque etiam collectus alibique aſſervatus. Cubenſes in juſculo, in pulmento, aut cum bovina elixum, quotidie in menſis apponere ſolent. Hi duas diſtinguunt ſpecies, quas varietates judico culturæ attribuendas. Prima vulgaris, quam ſimpliciter *Chayote* nuncupant, aculeis armatur innocuis, nunc plurimis, nunc pauciſſimis, & quatuor plus minus pollices longitudine æquat. Altera, quæ ipſis *Chayote francés* ſive gallicus audit, minus priore frequens, aculeis ut plurimum penitus deſtituitur, ovique gallinæ magnitudinem habet. Utrum non aptius diſtinctum genus conſtituere hæc planta poſſit, aliorum relinquo judiciis.

Habitat & colitur in Cuba paſſim. Flores & fructus Decembri collegi.

# DIOECIA.
# TETRANDRIA.

## SCHÆFFERIA.

1. SCHÆFFERIA (*frutescens.*)

* Mas.

CAL. Perianthium tetraphyllum: foliolis ſubrotundis, concavis, emarginatis, parvis.

COR. Petala quatuor, obovata, concava, obtuſa, patentiſſima.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, erecta, petalis paulo breviora, germinis lateri ad baſin impoſita. Antheræ ſubrotundæ, compreſſæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, parvum, emarginatum, in duos apices exiguos deſinens. Stylus nullus. Stigma nullum.

PER. abortans.

* Fœmina in diverſa planta.

CAL. ut in mare, perſiſtens.

COR. ut in mare.

PIST. Germen ovatum, corolla paulo brevius. Styli duo, ſubulati, breves, inflexi. Stigmata ſimplicia.

PER. Bacca ſubgloboſa, acumine brevi abrupto, unilocularis.

SEM. duo, rugoſa, hinc convexa, illinc plana, pauciſſima pulpa diſtincta.

Frutex erectus, ramoſus, decempedalis; in fruticetis denſis abiens ſæpe in *ramos* vimineos, longiſſimos, nitidos, virides, ſubſtriatos, erectosque. *Folia* habet ovalia ovata vel ovato-ſubrotunda, acuta aut obtuſa, integerrima, nitida, ad tactum pinguia, brevibus petiolis donata, bipollicaria, quotannis decidua, poſt florum eruptionem prodeuntia, unicum duo vel tria ſimul ex iisdem tuberculis alternantibus orta; e quibus etiam oriuntur *pedunculi* uniflori & aggregati. *Flores* parvi petalis gaudent albidis. *Baccæ* piſelli magnitudine, cum levi mixta flavedine rubent, & aviculis vel inſectis amantur; plerumque enim, devorata nitide pulpa, ſemina albicantia nuda in pedunculis perſiſtentia inveni. Nominavi hunc fruticem, novi mihi viſum generis, in honorem viri eruditiſſimi operibusque Botanicis clari Jacobi Chriſtiani Schæffer, eccleſiæ Ratisponenſis miniſtri.

Habitat Carthagenæ frequens in fruticetis. Floret Julio. Septembri matureſcit fructus.

## BATIS.

1. BATIS (*maritima.*) TAB. XL. Fig. 4 *Linn. ſyſt. A. p.* 1289.

Batis maritima erecta, ramoſa; foliolis ſucculentis ſubcylindricis. *Brown. jam.* 1. *p.* 356.

Kali fruticoſum coniferum, flore albo. *Sloan. cat. jam.* 50.

* Mas.

CAL. Amentum commune conico-oblongum, obtuſum, compactum; conſtans ſquamis unifloris, ſubrotundis, obtuſis, latiuſculis, baſi convexis, margine concavis, imbricatis, quadruplici ſerie longitudinali poſitis.

Spatha propria monophylla, ſubrotunda, obtuſa, compreſſa, ſquama paulo brevior, diſrumpens.

COR. nulla.

STAM. Filamenta quatuor, ſubulata, patula, ſquama duplo longiora. Antheræ oblongæ, didymæ, incumbentes.

* Fœmina in diſtincta planta.

CAL. Amentum commune ovato-oblongum, obtuſum, carnoſum; conſtans ſquamis unifloris, cordato-ſubrotundis, planiuſculis, acuminatis, ab invicem diſtantibus, germine multo minoribus, quadruplici ſerie longitudinali infra germina poſitis, perſiſtentibus.

COR. nulla.

PIST. Germen ſubovatum, obtuſum, amento accretum. Stylus nullus. Stigma bilobum, capitato-ſubrotundum, villoſum, magnum.

PER. Baccæ ſucculentæ, uniloculares; omnes ſimul concretæ in unum corpus oblongum obtuſumque.

SEM. quatuor, triangularia, acuminata.

Frut-

Frutex quadripedalis aut brevior. *Caules inferiores* lignoſi, fragiles, teretes, cinerei, ramoſiſſimi, diffuſique, procumbunt. *Rami juniores* tetragoni, virides, quadriſulcati, oppoſitique, eriguntur. *Folia* ſunt oblonga, ſuperne craſſiora, acuta, ſenſim verſus baſin attenuata, carnoſa, ſucculenta, facie plana, dorſo convexa, ſeſſilia, oppoſita, vix pollicaria, numeroſa. *Amenta* axillaria, ſolitaria, oppoſita, breviter petiolata, virentia, numeroſa. *Stigmata* albeſcunt, quæ pro floſculis habuiſſe videtur Sloaneus. *Fructus* flaveſcunt ex viridi, vel toti ſunt flavi. Sapor totius plantæ eſt ſalſiſſimus. Carthagenenſibus & Mompoſinis, qui combuſtis ejus cineribus utuntur ad conficiendum vitrum, vocatur *Barrilla*.

Habitat in Caribæarum & vicinæ Continentis littoribus arenoſis maritimis.

# PENTANDRIA.

## ASTRONIUM.

1. ASTRONIUM (*graveolens.*) TAB. CLXXXI. Fig. 96.

* Mas.

CAL. Perianthium pentaphyllum, coloratum, parvum; foliolis ovatis, concavis, obtuſis, patulis.

COR. Petala quinque, ovata, plana, obtuſa, patentiſſima.

Glandulæ nectareæ quinque, ſubrotundæ, minimæ, in diſco floris.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, patentia, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, incumbentes.

* Fœmina in diverſa planta.

CAL. Perianthium pentaphyllum, coloratum, perſiſtens: foliolis oblongis, concavis, obtuſis, conniventibus.

COR. Petala quinque, ſubovata, concava, obtuſa, erecta, calyce multo minora, perſiſtentia, at non increſcentia.

PIST. Germen ovatum, obtuſum. Styli tres, breves, reflexi. Stigmata ſubcapitata, obtuſa.

PER. nullum. Calyx incretus, coloratus, foliolis ſuis conniventibus ſemen tegens primum, dein maturum illud, foliolis in ſtellam pendulam expanſis, tandem demittens.

SEM. unicum, ovale, longitudine calycis, lacteſcens.

Arbor erecta, a duodecim ad triginta pedes alta, tota ſcatet ſucco leviter glutinoſo, terebinthino, odoris ingrati & nauſeoſi, decolore, in ſemine autem lacteo. Poſt caſum fructuum in fœmina, florumque in mare, rami novi propelluntur, ornati *foliis* pinnatis ex tribus paribus cum impari; quo-

rum *foliola* ſunt ex oblongo-ovata, acuminata, integerrima vel ſerrulata, glabra, venoſa, tripollicaria. *Paniculæ* laxæ, in maribus ſemipedales, in fœminis ſesquipedales ac nigricantes, ſparſi in ramis ultimis. *Flores* exigui rubent. A calycibus in ſtellas novemlinearis diametri expanſis, ceu ſidera formantibus varia, Ἀστρονίον ἀπὸ τῦ ἄστρυ nominavi.

Habitat in ſylvaticis Carthagenæ. Floret Majo & Junio. Julio fert fructum.

# HEXANDRIA.

## SMILAX.

1. SMILAX (*havanenſis*) caule aculeato, tereti; foliis dentato-ſpinoſis, emarginatis cum acumine. TAB. CLXXIX. Fig. 102.

Planta volubilis, perennis, glaberrima; *foliis* ſubrotundis aut ovato-ſubrotundis aut ovatis, nitidis, coriaceis, rigidiuſculis, margine ſpinoſis; *petiolis* aculeatis.

Habitat Havanæ in ſylvis.

2. SMILAX (*haſtata*) caule inermi, tereti; foliis cordato-haſtatis. TAB. CLXXIX. Fig. 103.

Planta volubilis, nitida. *Folia* acuminata, baſi cordata, hinc in folium lanceolatum longum abeuntia, integra, nitida. *Racemi* longiſſimi.

Habitat in Domingo.

que frutex, ſpinoſus atque inermis, ejusdem erunt ſpeciei. Spinoſum vero mihi in America videre haud contigit. Nominavi hanc novi generis plantam in honorem viri clariſſimi Roberti Laugier in Univerſitate Vindobonenſi Chemiæ & Botanices Profeſſoris; qui primus novum hortum Botanicum ibidem adornavit, & lectionibus illuſtravit.

Carthagenæ & Havanæ habitat in arbuſtis apricis maritimis.

## MORINDA.

1. MORINDA (*muſcoſa*) arborea; capitulis ſeſſilibus, terminalibus. TAB. XLV.

Arbor quindecimpedalis, erecta, inelegans. *Rami* teretes, dichotomi, muſcis & algis veſtientibus ſemper fœdi. *Folia* ſubovata, utrinque attenuata, acuminata, integerrima, glabra, venoſa, petiolata, oppoſita, tres quatuorve pollices longa. *Stipulæ* ſetaceæ, ferrugineæ, plures, inter petiolos locantur. *Flores* exigui, congeneribus quoad characterem congrui; niſi quod *paleæ* plures, latæ, concavæ, dentatæ, virides, magnitudine variæ, perſiſtentes, corollis interponantur; tum etiam, quod *ſemina* ſint duo, hinc convexa, illinc plana. Corolla eſt alba.

Habitat in Martinicæ ſylvis denſis & vaſtis ad ripas fluviorum. Floret Aprili.

## PSYCHOTRIA.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, quinquedentatum, acuminatum, germini inſidens, perſiſtens.

COR. monopetala, hypocrateriformis. Tubus longus. Limbus quinquefidus: laciniis ſubovatis, acutis, planis, patentiſſimis, tubo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima, intra tubum. Antheræ lineares, erectiuſculæ, tubum non ſuperantes.

PIST. Germen ſubrotundum, parvum, inferum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma bifidum: laciniis craſſiuſculis, obtuſis.

PER. Bacca ſubrotunda, mollis, coronata calyce, unilocularis.

SEM. duo, ovata, hinc convexa & ſtriata, illinc plana.

1. PSYCHOTRIA (*carthagenenſis*) fruteſcens; foliis obovatis. TAB. CLXXIV. Fig. 22.

Pſychotria ſtipulis emarginatis. *Linn. ſyſt. A. p.* 929.

Pſychotrophum fruticuloſum, foliis amplioribus ovatis, ſtipulis rigidis interpoſitis, ramulis craſſioribus, racemis umbellulatis, ſuſtentaculis ternato-ternatis. *Brown. jam.* 2. *p.* 160. *t.* 17. *f.* 2?

# POLYGAMIA.
# MONOECIA.

## GOÜANIA.

* Hermaphroditus.

CAL. Perianthium monophyllum, ſemiquinquefidum, germini inſidens. Tubus infundibuliformis, perſiſtens. Limbi laciniæ ovatæ, acutæ, planæ, patentiſſimæ, deciduæ.

COR. nulla.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, patentia, longitudine calycis, cujus ad diviſuras orta, hinc cum ejusdem laciniis alternantia. Antheræ ſubrotundæ, incumbentes, calyptratæ; calyptra elaſtice abſcedente.

PIST. Germen parvum, inferum. Stylus ſubulatus, erectus, ſemitrifidus, calyce brevior. Stigmata ſimplicia, obtuſa.

PER. Capſula triquetra, coronata tubo calycis, excurrens in alas tres ſubrotundas, trilocularis, ad angulos trifariam diſcedens; loculamentis non dehiſcentibus, bialatis.

SEM. ſolitaria, ſubrotunda, nitida, hinc convexa, illinc plana.

* Mas.

CAL. ut in hermaphrodito.

COR. nulla.

STAM. ut in eodem.

PIST. nullum. Vel Stylus, ut in eodem, absque Germine & Stigmate.

1. GOÜANIA (*tomentoſa*) foliis tomentoſis.

Planta hæc fruticoſa & ſarmentoſa, *cirrhis* munita axillaribus & tripollicaribus, altiſſimas arbores ſcandit, earundemque veſtit cacumina. *Folia* habet oblongo-ovata, acuta, leviter crenata, tomentoſa, petiolata, alterna, quadripollicaria. *Racemi* aphylli, quinquepollicares, axillares & terminales, *flores* pedunculatos gerunt hic illic congeſtos. Sunt hi exigui, inodori, & ſubflaveſcentes. Antheræ calyptra teguntur cucullata, quæ elaſtice abſcedit in exploſione pollinis. Germen in maribus eſt nullum; etiamſi ſemper conſpiciatur ſtylus, ſed ſtigmate orbatus. *Semina* atra nitide ſplendent. A Rhamnis hanc plantam cum ſubſequente, quibus in Enumeratione antea minus quidem apte adjunxeram, ſeparavi; impoſuique novo generi nomen a viro clariſſimo Antonio Goüan, Monſpelienſi medico, qui nuperrime Hor-

to

to Regio Monspelienſi, ingenioſis atque ſcitis referto obſervationibus, omnibus ſe carum Botanicis reddidit.

Habitat in ſylvis ſepibusque arboreis Domingenſibus.

2. GOÜANIA (*glabra*) foliis glabris. TAB. CLXXIX. Fig. 40.

Planta hæc habitu eſt præcedentis, at non mihi viſa ſcandere tam alte. *Folia* habet ovata vel ex oblongo ovata, acuminata vel obtuſa cum acumine, inæqualiter ſerrato-dentata vel leviter dumtaxat crenata, glabra, ſaturate virentia, alterna, petiolata, bipollicaria. *Racemi* uno alterove foliolo ornantur. *Flores* maſculi deſtituuntur prorſum piſtillo, ita tamen ut tres quatuorve dentur in centum, qui absque germine ſtylo inſtruuntur. Reliqua præcedenti ſunt ſimillima.

Habitat in ſylvaticis Domingenſibus.

## MIMOSA.

1. MIMOSA (*fagifolia*) inermis; foliis bijugis trijugisve. TAB. CLXIV.

Mimoſa foliis pinnatis bijugis, petiolo marginato. *Linn. ſp. pl. 3. p. 516.*

Arbor ſiliquoſa, faginis foliis, americana, floribus comoſis. *Pluk. alm. 44. t. 141. f. 2.*

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, minimum, quinquedentatum.

COR. monopetala, infundibuliformis. Tubus erectus, longus. Limbus tubo triplo brevior, quinquefidus; laciniis ovatis, acutis, planiuſculis.

STAM. Filamenta numeroſa, filiformia, patula, ad medietatem fere usque coalita in unum corpus corollæ longitudine. Antheræ parvæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, parvum, deſinens in ſtylum filiformem, longitudine ſtaminum. Stigma acutum.

PER. Legumen longum, coriaceum, leviter compreſſum, ad ſemina toroſiuſculum, pulpa repletum, uniloculare, bivalve.

SEM. plurima, ovalia, obtuſa, carnoſa.

Arbor comoſa, elegans, denſa, triginta pedes alta. *Truncus* rectus ſæpe decempedalem acquirit altitudinem diametrumque pedalem. *Materies* albida veſtitur *cortice* leucophæo glabroque. *Folia* ſunt bijuga, interdum trijuga, omnino numeroſa; *foliolis* ſubovatis, obtuſis, ſaturate virentibus, exterioribus tres quatuorve pollices longis multoque majoribus. De coſtæ marginibus nihil notatum in adverſariis invenio, quibus etiam mea icon ad vivam plantam confecta caret. Specimen vero ſiccum non poſſideo. Si ergo

adſint

adſint illi, non ſemper adeſſe oportet. *Spica* ſimplex, ſolitaria, denſiuſcula, bipollicaris, *flores* continet circiter quadraginta albidos & fere inodoros; quibus ſunt antheræ flaveſcentes. *Legumen* coriaceum & ex albido flaveſcens pulpam includit dulcem & albicantem, quam exſugendo comedere ſolent incolæ; dicuntque arborem æque ac fructum *Pois doux* ſive Fabam dulcem.

Habitat in ſylvis & ſylvaticis Martinicæ.

2. MIMOSA (*tergemina*) inermis; foliis tergeminis. TAB. CLXXVII. Fig. 81. *Linn. ſyſt. 7. p.* 1310.

Acacia fruteſcens non aculeata, flore purpuraſcente, alia. *Plum. ic.* 10. *f.* 2.

CAL. ut in præcedente.

COR. cylindracea; limbo erecto, minimo; cæterum ut in eadem.

STAM. ut in eadem; at coalita in diverſa longitudine in diverſis, nempe ab æquali corollæ ad duplo majorem; corolla ſæpe quadruplo longiora, alias triplo vel duplo: membrana connectente ad apicem quinquefida & corollam interiorem mentiente.

PIST. Stigma truncatum.

PER. Legumen longum, compreſſum, acuminatum, uniloculare, bivalve; valvulis poſt diviſionem ſpiraliter involutis.

SEM. plura, ſubovata, nitida, atra.

Habitat paſſim in ſylvaticis Martinicæ.

3. MIMOSA (*polyſtachya*) inermis; foliis bipinnatis; partialibus propriisque ſexjugis, oblongis. TAB. CLXXXIII. Fig. 93. *Linn. ſp. pl.* 22. *p.* 520.

Acacia alia ſcandens, ſpica multiplici, ſiliquis latis. *Plum. ſpec.* 7. *ic.* 12.

CAL. Perianthium pentaphyllum, deciduum: foliolis lanceolatis, concavis, acutis, ſuberectis.

COR. nulla.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, erecta, calyce duplo longiora. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen oblongum, calyce brevius. Stylus ſubulatus, ſubincurvus, ſtaminibus paulo brevior. Stigma obtuſum.

PER. Legumen oblongum, obtuſum, planum, repandum, leviter incurvum, omnium maximum, transverſim connatum, hinc multiloculare.

SEM. ſolitaria, ovata, obtuſa, plano-compreſſa.

Planta hæc, arborea ipſa, arbores qualescunque ſcandit; quarum per cacumina pergens, centenas tandem ſupergreditur; frondibusque adnexa firmiſſime, has demum pondere ſuo deprimit & peſſumdat. Inviſa hinc incolis

lis planta eſt, quæ ſepta ſolet arborea, quibus illi ſaccharíferos agros procellis magis expoſitos obvallant, dicto modo deſtruere. Nec enim amputaſſe ſufficit truncum, ubi ex quavis relictæ radicis parte novæ repente plantulæ exſurgant. *Truncus* teres, cortice fuſco veſtitus, diametro æquat ſæpe novem pollices. *Folia* ſunt bipinnata; *partialibus* utrinque ut plurimum tribus vel quatuor, quorum terminantia duo, poſteaquam foliola dimiſere propria, in *cirrhos* validiſſimos mutantur, qui vicinarum arborum ramis ſeſe circumvolvunt, tamque adhærent tenaciter, ut ægre queant avelli, imo ut accreviſſe non raro videantur: *propriis* ſæpius utrinque ſeptem, oblongis, obtuſis, emarginatis. *Spicæ particulares* denſæ, bipollicares, ſurſum verſæ erectæque omnes, triginta circiter ſimul in eodem *communi pedunculo* pedali & horizontaliter porrecto locantur. *Flores* parvi, virentesque in qualibet ſpica particulari plus minus centum & quinquaginta continentur, adeoque in una ſpica compoſita quater mille & quingenti; cui tantæ florum multitudini (ob flores forte ſteriles vel maſculos intermixtos) vix decem ſuccedunt legumina, quæ ipſa rariſſime ad maturitatem perveniunt.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

4. MIMOSA (*cornigera*) ſpinis ſtipularibus connatis; foliis bipinnatis. *Linn. ſp. pl.* 26. *p.* 520. *ſyſt. p.* 1312.

Acacia cornuta Indiæ Orientalis. *Seb. thes.* 1. *p.* 113. *t.* 70. *f.* 13.

Acacia americana, grandibus aculeis ad ramulorum exortum cornua bovina referentibus, ſiliqua roſtrata. *Pluk. alm.* 3. *t.* 122. *f.* 1.

Acaciæ ſimilis, ſpinis corniformibus, mexicana. *Comm. hort.* 1. *p.* 209. *t.* 107.

Hæc arbor duodenos altitudine pedes raro excedit. Ramuſculis numeroſis in pyramidalem figuram excreſcit. *Folia* habet bipinnata atque exigua. *Flores* parvi, flavi, atque inodori, in *ſpicam* aggregantur denſam cylindraceam ſesquipollicarem ac tenuem. *Legumina* coriacea pulpam continent butyraceam, qua obvolvuntur *ſemina* teretia. Ex his antea mundatis, exſiccatis, lagenæque incluſis, poſt aliquot menſes fere totidem prodire dermeſtes minimos vidi, qui ipſa volumine ſemina ferme æquabant. Valde ſingulares ſunt in hac arbuſcula *ſpinæ* ſubaxillares baſique connatæ, quæ figura ſua bovina cornua concinne exprimunt. Hæ quidem fuſcæ, nitidæ, cavæ, longitudine variantes, ita ut longiſſimæ quinque pollices excedant, totam obſident arbuſculam, & poſt maturitatem leguminum, quando folia deciderunt, ſpectaculum offerunt prætereunti inſolitum. Quæ autem eroſo ad introitum foramine conſpiciuntur pertuſæ, harum cavitas formicis innumeris præbet domicilium: quæ ad leviſſimum arboris concuſſum catervatim atque cum impetu ſpinis egreſſæ, & ultro undique dilapſæ, formicina quadam pluvia mactant proxime adſtantem; propterea ſane formidabili, quod cutim ilico ador-

tæ morſu valeant prunulæ in modum ardente: cujus dolorem, permanentem ſæpe ultra quartam horæ partem, tumor ſequitur intra diem evanidus. Incolis vocatur' *Cuernezuela* ſive Corniculum.

Habitat paſſim in ſylvaticis Carthagenæ. Junio & Julio floret. Matureſcunt ſemina Septembri.

5. MIMOSA (*mangenſis*) ſpinis ſtipularibus diſtinctis; foliis bipinnatis; partialibus quinquejugatis; propriis ſedecimjugatis: glandula ſupra baſin folii.

Arbor erecta, vigintipedalis; *ramis* horizontaliter porrectis. *Spinæ* ſunt ſubulatæ, acuminatæ, fortes, ſubaxillares, & quinquelineares. *Folia* axillaria; *coſta* communi bipollicari, inſtructaque paulo ſupra baſin *glandula* parva oblonga obtuſa & erecta: *pinnis partialibus* pollicaribus; *foliolis propriis* oblongis, obtuſis, vix trilinearibus. *Spicæ* globoſæ, axillares, ſolitariæ, ſurſum verſæ, inſident pedunculo pollicari. *Flores* albi odore nullo ſunt præditi.

Habitat Carthagenæ, frequens in inſula Mango.

6. MIMOSA (*retuſa*) aculeata; foliis bipinnatis, apice & ſupra baſin inſtructis glandula retuſa.

Arbor erecta. *Aculei* recurvi, ſparſi in ramis pinnisque foliorum communibus & partialibus. *Folia partialia* ſexjugata; *propria* circiter ſedecimjugata; *foliolis* oblongis, acutis, quadrilinearibus. *Glandulæ* coſta latiores ipſa, depreſſæ, retuſæ, inferior ovalis, ſuperior orbicularis. *Legumina* oblonga, obtuſa cum acumine, plana, ſicca, membranacea, unilocularia. *Semina* ovata, compreſſo-plana. *Flores* non vidi.

Habitat paſſim Carthagenæ.

7. MIMOSA (*biglobоſa*) ſpicis biglobоſis, denſiſſimis. TAB. CLXXIX. Fig. 87.

CAL. Receptaculum commune turbinatum paleas numeroſiſſimas totidemque flores colligens in duos globos, quorum inferior maximus.

Perianthium monophyllum, tubuloſum, coloratum, longum; limbi quinquefidi brevisque laciniis duabus paleam ſpectantibus ſubrotundis, incraſſatis, concavis, mutuo incumbentibus; reliquis tribus omnium minimis.

COR. monopetala, tubuloſa, calyce pauxillo longior; limbi quinquefidi laciniis oblongis, concavis, obtuſis, patulis, æqualibus, parvis.

STAM. Filamenta decem, filiformia, corollam ſuperantia, patula, baſi inter ſe & cum corolla connata. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum. Stylus ſubulatus, brevis. Stigma acutum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arboris hujus fructum, quem edulem mihi dixere incolæ, non vidi; ad cujus examen quum diſtuleram reliqui habitus deſcriptionem, poſtea deſcribendi occaſionem nactus non fui. *Pedunculo* ſemipedali, viridi, craſſoque inſidet *receptaculum* pallide flaveſcens, turbinatum, punctatumque; quod denſiſſime numeroſiſſimos colligit *flores* rubros, ſingulos palea ſua rubella fereque calycem longitudine æquanti ſuffultos, ſuperiores breves, inferiores duplo longiores; idque in modum duplicis globi, inferioris maximi. Flores ſpiritui vini immerſi, eundem tingunt ſaturata rubedine.

Habitat in Martinica.

## MAMMEA.

1. MAMMEA (*americana*) ſtaminibus flore brevioribus. TAB. CLXXXI. Fig. 82. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 512.

Mammea foliis ovalibus nitidis, fructu ſubrotundo ſcabro. *Brown. jam.* 2. *p.* 249.

Mamei magno fructu, perſicæ ſapore. *Plum. gen.* 44. *ic.* 170.

Malus perſica maxima, foliis rotundis ſplendentibus glabris, fructu maximo ſcabro rugoſo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 123. *t.* 217. *f.* 3.

* Hermaphroditus.

CAL. Perianthium monophyllum, bipartitum, deciduum: laciniis ſubrotundis, concavis, obtuſis, coriaceis, coloratis, patentiſſimis.

COR. Petala quatuor, ſubrotunda, obtuſa, concava, patentiſſima, ſubcoriacea, calyce fere duplo longiora.

STAM. Filamenta numeroſa, capillaria, erecta, breviſſima, deſinentia in Antheras oblongas, obtuſas, erectas, longitudine germinis.

PIST. Germen ſubrotundum, depreſſiuſculum, calyce fere duplo brevius. Stylus craſſus, cylindraceus, erectus, duplo longior ſtaminibus. Stigma capitatum, convexum.

PER. Bacca maxima, ſubrotunda, carnoſa, ſtyli parte acuminata, cortice coriaceo, unilocularis.

SEM. quatuor, ſubovata, magna, ſuperficie ſcabra, carne diſtincta.

* Mas in eadem vel in diſtincta planta.

CAL. } ut in hermaphrodito.
COR. }
STAM. }

Arbor erecta, procera, Americanas inter pulcherrimas merito numeranda, ſpectabilis *coma* denſa ampla atque elegantiſſima, *trunco* ſuſtentata octopedali, *radici* primariæ inſiſtit fuſiformi longæ rectaque deorſum tendenti; unde difficillima evadit ejus transplantatio, rariſſimeque ſuccedit. *Ramuſculi*

juniores

juniores ſunt quadrangulares. *Folia* habet ovalia vel obovata, integerrima, obtuſa, nitidiſſima, coriacea, firma, ſtriis parallelis transverſis notata, breviter petiolata, oppoſita, quinque vel octo pollices longa. *Pedunculi* uniflori brevesque in ramis ſpargunctur robuſtioribus. *Flores* ſuaveolentes & candidi diametrum habent ſesquipollicarem. Calyx quidem profundiſſime ſemper ſectus eſt, baſi tamen monophyllus ſpectatur. Sæpe etiam eſt trifidus cum corolla pentapetala vel hexapetala; verum hoc evenit ab integra aut profunda laciniæ alicujus petalive dilaceratione. *Fructus* ſubrotundus, pro feminum numero, quorum unum alterumve ſæpius abortat, aut talis ſimpliciter, aut ſimul obſolete trigonus tetragonusve, magnitudine variat, ita ut a tribus ad ſeptem diametro pollices æquet. Corticem induitur duplicem. Exterior coriaceus, lineam craſſus, tenax, e fuſco flaveſcens, inciſuris longitudinaliter decuſſatis diviſus abſtrahitur fruſtatim a ſubjecto interiori; qui tenuis, flaveſcens, carni fortius adhæret, a qua caute ſeparatur: guſtantis enim ilico quidem etiamſi linguam non afficiat; moram interea vigore compenſans, poſt breve tempus amarorem inducit ori inſignem, biduum ſæpe triduumque perſeverantem, quæ pendere videtur a parte reſinoſa dentibus inhærente, nec aqua nec ſaliva abluenda tam facile. Cavendum etiam non minus eſt, ne quid carnis ſeminibus proximæ comedatur, quæ quoque reſinoſa eſt ac amariſſima. Caro eſt firma, amœne lutea, ſapore prædita grato & ſingulari, odore leni ſuaveolenti & aromatico. Sunt, qui fruſtulatim diſciſſam, vinoque ſaccharato immerſam, in menſis apponunt; ut, ſi quid caſu adſit amari, abluatur. Ex eadem cum ſyrupo elixa fit jus concretum optimum, quod fructus odorem ſaporemque diu ſervat. Ex floribus cum ſpiritu vini deſtillatis Martinicenſes liquorem conficiunt dictum *Eau creole* ſive Aquam indigenam, primas liquores inter ſpirituoſos & potabiles apud ipſos occupantem. Hiſpanis & Anglis vocatur *Mamei*; Gallis *Abricotier* a Pruno armeniaca, puto, ob coloris ſimilitudinem in utriusque carne.

Habitat in Caribæis & in Continente vicina.

## CALOPHYLLUM.

1. CALOPHYLLUM (*Calaba*) foliis ovatis, obtuſis. TAB. CLXV. *Linn. ſp. pl. 2. p. 514.*

Calophyllum foliis ovatis obtuſis; ſtriis parallelis transverſis. *Linn. hort. Cliff. 206.*

Calaba. *Plum. gen. 8.*

* Hermaphroditus.

CAL. Perianthium diphyllum, deciduum: foliolis ſubrotundis, obtuſis cum acumine, concavis, coloratis. Vel Monophyllum ex unico tali foliolo a corolla bracteæ adinſtar parum remotum. Vel omnino Nullum.

COR. Petala quatuor, ſubrotunda, concava, patentia, quorum duo exteriora minora minusque colorata.

STAM. Filamenta circiter decem, filiformia, brevia. Antheræ oblongæ, obtuſæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, longitudine ſtaminum. Stylus nullus. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Drupa globoſa, carnoſa, magna.

SEM. Nux globoſa, leviſſime acuminata, maxima. Nucleus globoſus.

* Mas in eadem vel in diverſa planta.

CAL. ut in hermaphrodito.

COR. ut in eodem.

STAM. Filamenta circiter ſexaginta, erecta, longitudine fere corollæ. Antheræ oblongæ, erectæ.

Arbor procera, lenta, ramos jam ſupra terram emittit; unde, ad ſepes conſtruendas, & ad ambulacra perficienda in hortis umbroſa, eſt aptiſſima. *Rami* juniores ſunt quadrangulares. *Folia* ſunt ovata obovata vel oblonga, obtuſa, emarginata, integra, nitida, coriacea, firma, ſtriis parallelis transverſis notata, breviter petiolata, oppoſita, quadripollicaria. Ex axillis egrediuntur *racemuli* pollicares, ſimplices, laxi, plerumque ſeptemflori, ex *pedunculis* nimirum unifloris oppoſitisque tribus cum terminali unico. *Flores* candidi & ſuaveolentes antheris gaudent luteis. *Fructus* viridis caro pauca & duriuſcula etiam viret, nucemque involvit glabram atque ex luteo cineream, fœtam nucleo candido, ſolido, nec, quod ſciam, eduli. Ex his Caribæi oleum exprimere ſolebant in uſus domeſticos. Ex data deſcriptione patet, dari hanc inter atque Mammeam (ſi fructum exceperis ſolum) affinitatem in partibus cæteris inſignem. Vix induci poſſum, ut credam, eſſe hanc arborem cum Tſierou-ponna horti Malabarici eandem. Habet quidem Plumieri Calaba hujus fructum & folia paulo anguſtiora, ſed pedunculos potius & flores plantæ, quæ in eodem horto Ponna audit. Caribæis & Gallis vocatur *Calaba*.

Habitat paſſim in Martinica. Floret imprimis Octobri & Novembri.

## CLUSIA.

1. CLUSIA (*roſea*) foliis aveniis; corollis hexapetalis.

Cluſia flore roſeo major, fructu ſubviridi. *Plum. gen.* 21.

Cenchramidea arbor ſaxis adnaſcens, obrotundo pingui folio, fructu pomiformi. *Pluk. alm.* 92. *t.* 157. *f.* 2. *Catesb. car.* 2. *p.* 99. *t.* 99.

* Fœmina.

CAL. Perianthium hexaphyllum, coloratum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, patentibus, ſubimbricatis; quorum duo interme-

termedia duplo minora duobus interioribus, & duplo majora duobus extimis.

COR. Petala ſex, ſubrotunda, maxima, concava, obtuſa, patentiſſima, ungue brevi craſſoque.

Nectarium conſtat ex corpuſculis numeroſis, oblongis, erectis, apicibus ſubulatis verſus ſtigmata incurvatis, denſo ordine germen ſtipantibus, cujus longitudine.

STAM. nulla; niſi pro ſterilibus his nectarium ſumas.

PIST. Germen cylindraceo-columnare, a comprimentibus nectarii corpuſculis ſtriatum, calyce brevius. Stylus nullus. Stigmata circiter octo, æqualia, maxima, contigua, puncto umbilicata, perſiſtentia; omnia ſimul componentia Stigma peltatum, orbiculare, convexum, umbilicatum, radiis octo diviſum in totidem partes æquales.

PER. Capſula ſubrotunda, magna, obtuſa, circiter octogona, coronata ſtigmatibus non contiguis, circiter octolocularis & octovalvis: valvulis omnium craſſiſſimis, coriaceis, qualibet ſuo ſtigmate coronata, tum radiatim patentibus.

SEM. numeroſa, ovalia, utrinque obtuſa, nidulantia in pulpa molli; affixa Receptaculo ovato-ſubrotundo, maximo, obtuſe acuminato, ſulcis circiter octo profunde exarato, angulis Diſſepimenta conſtituentibus.

Arbor hæc viginti vel triginta pedes alta comoſaque rupibus aliisque arboribus paraſitica innaſcitur. Habitu eſt ſubſequenti ſimillima; ſucco ſcatet eodem; *foliis* ornatur iisdem, interdum emarginatis, magisque ſubrotundis. *Pedunculis* etiam conſimilibus *flores* inſident inodori, magni, petalis roſeis, & valde ſpecioſi; quibus ſtigmata quandoque ſunt ſeptem vel novem, quorum tunc numerum ſequuntur loculamenta & valvulæ. Tota genitalium ſuperficies, præcipue nectarii, ceu integumento communi denſe obtegitur glutine quodam gelatinoſo & coloris aquei. Florem polliniferum haud contigit videre. *Fructus* viridis permanet. Catesbæi icon optima corollam nimis planam exhibet.

Habitat in Domingo.

2. CLUSIA (*alba*) foliis aveniis; corollis pentapetalis. TAB. CLXVI.

Cluſia foliis aveniis. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 509.

Cluſia flore albo, fructu coccineo. *Plum. gen.* 21. *ic.* 87. *f.* 1.

CAL. Perianthium enneaphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, patentibus, imbricatis, in quolibet ordine tribus, quorum intermedia tria duplo majora tribus exterioribus & duplo minora interioribus.

COR. Petala quinque, ſubrotunda, concava, obtuſa, duplo latiora calycis foliolis maximis, eorundemque longitudine, patentia, mutuo incumbentia.

STAM.

STAM. Filamenta a quinque ad octo, ſitu inconſtanti, plana, acuta, ad germen appreſſa, quo duplo breviora. Antheræ interno filamentorum parieti longitudinaliter adnatæ.

PIST. Germen ovatum, magnum, obſolete pentagonum aut hexagonum, petalis paulo brevius. Stylus nullus. Stigmata quinque vel ſex, orbicularia, magna, convexa, apici germinis lateraliter inſidentia, lateribus contiguis, perſiſtentia.

PER Capſula ovata, magna, obtuſe pentagona vel hexagona, coronata ſtigmatibus, quinquelocularis vel ſexlocularis, quinquevalvis vel ſexvalvis; valvulis craſſis, coriaceis, tum radiatim patentibus.

SEM. numeroſa, oblonga, utrinque obtuſa, nitida, involuta pulpa molli. Receptaculum oblongum, magnum, quinqueſulcatum vel ſexſulcatum.

Arbor hæc trigintapedalis & adſpectu elegans paraſitica vaſtiſſimis arboribus innaſcitur; *trunco* ſæpe in diametrum pedalem increſcente; *comaque* ampla ex ramis proportionalibus compoſita; & ipſa hinc arbor ſatis vaſta. Tota ſcatet ſucco glutinoſo, balſamico, tenaciſſimo, aquam repudiante, viridi, ſed ad aëris attactum rufeſcente; quo picis loco ſolebant uti Caribæi ad illiniendos ſuos lintres. *Folia* habet obovata, integerrima, obtuſa, nitida, coriacea, firma, avenia, ſtriis oblique transverſis parallelisque notata, breviter petiolata, oppoſita, ſita præcipue verſus ramuſculorum extremitates. *Pedunculi* ſunt breves, craſſi, ſæpius triflori, plerumque terminales. *Flores* inodori, inelegantes, petalis albidis, hermaphroditi viſi a me omnes, antheris tamen plus minusve fariniferis in diverſis. *Fructus* maturi colorem habent coccineum. *Semina* alba pulpæque involuta coccineæ aviculis amantur, quæ ex apertis ſtellatim terramque ſpectantibus capſulis, volatu in aëre ſuſtentantes ſeſe, eadem pulpæ ſuæ adhærentia roſtro excerpunt. Incolis vocatur *Aralie*.

Habitat paſſim in ſylvis Martinicæ.

3. CLUSIA (*flava*) foliis aveniis; corollis tetrapetalis. TAB. CLXVII.

Cluſia arborea; foliis craſſis nitidis obovato-ſubrotundis, floribus ſolitariis. *Brown. jam.* 1. *p.* 236.

Terebinthus folio ſingulari non alato, rotundo, ſucculento, flore tetrapetalo pallide luteo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 97. *t.* 200. *f.* 1.

* Hermaphroditus ſterilis.

CAL. Perianthium decahexaphyllum, quadrangulare, imbricatum: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, erectis, interioribus gradatim majoribus, quatuor in quolibet ordine.

COR. Petala quatuor, obovata, obtuſa, concava, omnium craſſiſſima; quorum duo oppoſita erecta, paulo latiora reliquis conniventibus.

STAM. Filamenta numeroſa, oblonga, quadrangularia, craſſa, apice depreſſo, brevia, denſo ordine poſita in receptaculo proprio quadrangulari

Frutex ſuberectus, ramoſus, humanæ altitudinis. *Folia* obovata, acuta, baſi attenuata, integerrima, nitida, petiolata, oppoſita, variæ magnitudinis, ad ovatam interdum figuram accedentia. *Racemi* terminales. *Flores* inodori; in quibus petali albi tubus eſt erectus, ſubinfundibuliformis, limbo triplo longior. Stamina ſæpe ſex cum corolla ſexfida, aut ſeptem cum eadem ſeptemfida. *Baccæ* rubræ coronantur calyce fere concolore, & pulpam continent rubram. *Semina* albicant.

Habitat Carthagenæ in fruticetis, arbuſtis, ſepibusque, paſſim ubique. Floret Auguſto.

2. PSYCHOTRIA (*domingenſis*) fruteſcens; foliis lanceolato-ovatis.

Frutex quinquepedalis, ſuberectus, ramoſus, inelegans. *Rami* teretes, glabri. *Folia* ex lanceolato ovata, acuta, integerrima, nitida, petiolata, oppoſita, quinquepollicaria. *Racemi* terminales, ramoſi, plerumque bini. *Flores* inodori, ſeſſiles, pollicares; corollæ albæ tubo cylindraceo, incurvo, limbum ad triplum ſuperante. *Baccæ* atræ, nitidæ, piſi magnitudine; pulpa aquea, nec colorata.

Habitat in Domingo ad ripas torrentum fruticoſas, inque umbroſis humidis & montoſis. Florentem Decembri vidi.

3. PSYCHOTRIA (*herbacea*) herbacea; caule repente. TAB. XLVI.

Pſychotrophum herbaceum repens ſylvaticum, foliis ſubrotundo-cordatis oppoſitis, floribus paucioribus alaribus, laciniis corollæ erecto-patentibus. *Brown. jam.* 7. *p.* 161.

Rondeletia foliis petiolatis, cordatis, caule repente. *Linn. ſyſt. A.* *p.* 928.

Jasminum inodorum, repens, foliis violæ Martiæ. *Plum. ſpec.* 17.

Violæ folio baccifera repens, flore albo pentapetaloide, fructu rubro dicocco. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 243.

Pyrolæ affinis malabarica. *Pluk. alm.* 309.

Karinta-Kali. *Rheed. mal.* 10. *p.* 41. *t.* 21.

Planta tenella, tripollicaris, erecta, ſimplex, & quadrifolia, oritur e *ſtolone* (vel caule, vel radice, ſi mavis,) repente ſupra terram, eidemque hic illic radiculas immittente fibroſas, ad duorum triumve pollicum diſtantias novam iterum plantulam proferente, ita ut tandem earumdem ſylvula exſurgat. *Folia* cordato-ſubrotunda, integerrima, oppoſita; *petiolis* inferiorum longiſſimis. *Pedunculi communes* erecti, terminales, duos tres quatuorve *flores* ſuſtinent. In his inodoris, pedunculatisque, corollæ albæ tubus cylindraceus eſt, erectus, & duplo longior limbo patentiſſimo. *Baccæ* rubræ & ſucculentæ pulpa quoque rubra gaudent. *Semina* albicant.

Habitat copioſe in uliginoſis umbroſis circa vicum Roberti in Martinica. Decembri inveni flores & una fructus maturos numeroſiſſimos ferentem.

COF-

gulari magno. Antheræ in quolibet filamento geminæ, ex lineis duabus utrinque lateri cujusque filamenti affixæ.

PIST. Germen ſubrotundum, minimum, in medio ſtaminum receptaculo. Stylus nullus. Stigma craſſum, capitatum, auctum quatuor appendiculis lateralibus.

PER. abortat.

* Flos fertilis.

PER. Capſula ſubrotunda, magna; coronata ſtigmatibus duodecim, non contiguis, ſimul formantibus quadrangulum, area media vacua, circiter duodecimlocularis & duodecimvalvis; valvulis craſſis, tum radiatim patentibus.

SEM. plurima, oblonga, pulpæ involuta, affixa Receptaculo oblongo magno duodecimſulcato.

Arbor præcedenti ſimillima rupibus arboribusque paraſitica innaſcitur, & ſucco ſcatet glutinoſo ac albicanti. *Florum* nullo præditorum odore petala flaveſcunt. In itinere conſtitutus flores plurimos fructusque ex eadem carptos arbore, mecum tuleram examinandos. Inveniebam, fructus allatos, nullo modo reſpondere germinibus, qui in floribus continebantur; adeoque ortos eosdem fuiſſe ex floribus fœmineis aut hermaphroditis fertilibus diſtinctis, quorum ulterior obſervandorum occaſio poſtea defuit. Videtur autem hos deſcripſiſſe Browneus, apud quem character petatur. Sloaneus pro fructu delineat deſcribitque florem nedum explicatum: unde, germine fortaſſe in flore exſiccato pro ſemine habito, fructum ille dixit monopyrenum. Stigmata autem in fructibus vireſcentibus puncta referebant dumtaxat majuſcula extantia & fuſca.

Habitat in Jamaica ad pedes montium in Ferry.

4. CLUSIA (*venoſa*) foliis venoſis. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 510.

Cluſia alia minor; flore albo, fructu flaveſcente. *Plum. ic.* 87. *f.* 2.

CAL. Perianthium tetraphyllum: foliolis ſubrotundis, obtuſis, concavis, patentiſſimis; quorum exteriora duo paulo anguſtiora & acutiora.

COR. Petala quatuor, ovata, obtuſa, concava, patentiſſima, calyce paulo longiora, quorum duo partim coalita.

STAM. Filamenta numeroſa, filiformia, planiuſcula, erecta. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum. Stylus nullus. Stigma planum, ſeſſile, quinquefidum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbor erecta, comoſa, triginta pedes alta. *Folia* venoſa, quadripollicaria. *Flores* diametro ſesquipollicari, petalis albis. *Fructum* non vidi; hinc certo non auſim aſſerere genus. Incolis dicitur *Paletuvier de montagne*.

Habitat in ſylvis montoſis humidis Martinicæ.

# DIOECIA.

## PISONIA.

1. PISONIA (*aculeata*) caule ſpinoſo. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 1026.
   Piſonia aculeata, fructu glutinoſo & racemoſo. *Plum. gen.* 7. *ic.* 227.
   Piſonia aſſurgens, ſarmento valido, foliis ovatis utrinque productis, ſpinis validis recurvis, racemis lateralibus. *Brown jam.* 1. *p.* 358.
   Paliuro affinis arbor ſpinoſa, flore herbaceo pentapetaloide, fructu ſicco nudo cannulato lappaceo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 25. *t.* 167.
   Rhamnus, an potius Lycium, Fringego jamaicenſibus dictum. *Pluk. alm.* 318. *t.* 108. *f.* 2.

* Hermaphroditus ſterilis.

CAL. nullus.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis. Limbus ſemiquinquefidus, patenti-reflexus: laciniis ſubrotundis, acuminatis, ſerratis.

STAM. Filamenta ſex, interdum ſeptem, rarius quinque, rariſſime octo, capillaria, patula, corollam ſuperantia. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

PIST. Germen ovato-oblongum. Stylus filiformis, erectus, brevis. Stigma penicilliforme.

PER. abortat.

* Flos fœmineus in diverſa planta.

CAL. nullus.

COR. monopetala, tubuloſa; ore quinquedentato, acuto; decidua.

PIST. Germen ovato-oblongum. Stylus filiformis, erectus, corolla duplo longior. Stigma bifidum, reflexum.

PER. Capſula ovalis, obtuſa, pentagona, angulis inſtructis ſerie longitudinali ſimplici denticulorum obtuſorum, unilocularis, non dehiſcens.

SEM. unicum, oblongum, glabrum.

Arbor inelegans, ſarmentoſa; *ramis* teretibus, reclinatis, & ſuſtentaculo egentibus. *Spinæ* ſubulatæ, acuminatæ, axillares, oppoſitæ, perpendiculares ad ramum, fortes, apicibus recurvis. *Folia* ovalia, acuta, integerrima, glabra, petiolata, oppoſita. *Racemi* corymboſi, ramoſi, axillares & terminales, folia non ſuperantes, in fructibus valde elongati. *Flores* parvi, numeroſi,

merosi, e luteo virentes; suffulti *bracteis* subulatis tribus, si flos ramulum racemi terminat, at duabus, si hujus lateri insidet, inserviente tunc ipso racemo loco tertiæ. Clarissimi Brownei admonitus descriptione de magna in floribus varietate sexus, arbusculas plurimas, quæ circa oppidum Kingston passim crescunt, haud perfunctorie vicibusque repetitis examinavi; quas semper offendi ratione exposita dioicas. Interdum quidem imponebant mixtis sarmentis una in dumetum enatæ hermaphrodita & fœminea; at utriusque ramos radicem usque secutus, distinctissimas esse comperiebam.

Habitat in Jamaica & Domingo.

2. PISONIA (*inermis*) caule inermi.

* Hermaphroditus sterilis.

CAL. nullus.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis. Limbus patens, leviſſime quinquedentatus.

STAM. Filamenta sex, capillaria, erecta, corolla longiora. Antheræ subrotundæ, didymæ.

PIST. Germen ovato-oblongum. Stylus filiformis, erectus, brevis. Stigma penicilliforme.

PER. abortat.

* Hermaphroditus fertilis in diversa planta.

CAL. nullus.

COR. monopetala, tubulosa, decidua; ore quinquedentato, acuto.

STAM. Filamenta sex, capillaria, erecta, corolla duplo breviora. Antheræ didymæ, planæ, polline carentes, hinc steriles.

PIST. Germen ovato-oblongum. Stylus filiformis, erectus, corolla paulo longior. Stigma penicilliforme.

PER. Bacca oblonga, teres, obtusa, unilocularis.

SEM. unicum, oblongum.

Arbuscula inermis, erecta, comosa, duodecim vel interdum viginti pedes alta, trunco diametri quinquepollicaris; si in fruticetis densis crescit, habitum acquirit inelegantem nec multum præcedenti absimilem. *Folia* sunt ex ovali oblonga, acuminata, cæterum qualia in priore. *Racemi* etiam sunt similes; at qui non elongentur in fructibus, sed qui persistant post eorundem casum, & tunc rubescant. *Bracteæ* eædem. *Flores* levi odore præditi, parvi, e luteo virentes. *Bacca* nigricat, mollis est, pulpamque continet albicantem. Hæc sæpe abest, ab insectis forte comesta, ita ut solum supersit semen: reperitur enim semper in fructibus immaturis. Nullatenus hæc arbor convenit cum icone delineata in Horto Malabarico sub nomine Katu-kara-walli.

Habitat frequens in sylvaticis & fruticosis territorii Carthagenensis.

## DIOSPYROS.

1. DIOSPYROS (*inconſtans*) floribus monœcis. TAB. CLXXIV. Fig. 67.

* Hermaphroditus fertilis.

CAL. Perianthium monophyllum, coriaceum, craſſum, perſiſtens. Tubus campanulatus. Limbus longitudine tubi, trifidus vel quadrifidus: laciniis ſubrotundo-cordatis, planis, acutiuſculis, patentibus.

COR. Petalum coriaceum, craſſum, calyce duplo longius. Tubus ovatus, interne villoſus, calyce paulo longior. Limbus trifidus: laciniis ovatis, concavis, acuminatis, rigidiuſculis.

STAM. Filamenta a tribus ad decem, ſubulata, erecta, receptaculo inſerta. Antheræ lanceolatæ, acutæ, erectæ, fere longitudine tubi corollæ.

PIST. Germen ſubrotundum, villoſum. Stylus craſſus, erectus, longitudine ſtaminum, ſemitrifidus. Stigmata bifida, obtuſa.

PER. Bacca corticoſa, globoſa, ſtyli parte acuminata, nitida, ſexlocularis.

SEM. ſolitaria, oblonga, cartilaginea, hinc convexa, illinc angulata, diſſepimento pulpoſo & membranaceo diſtincta.

* Hermaphroditus ſterilis in eadem planta.

PIST. Stylus truncatus. Cætera ut in fertili.

Arbuſcula decempedalis, erecta, ramoſa. *Folia* ſunt oblonga, ſuperne lateſcentia, integerrima, obtuſa vel acuta, nitida, ſubcoriacea, petiolata, alterna, quinquepollicaria, diſticha, in ramuſculis junioribus diſtichis. *Pedunculi communes* triflori, axillares, breves, ſolitarii, retrorſum flexi; interdum multiflori, ramoſi, vel varii, idque in arbuſculis minus concinnis. *Flores* inodori, magnitudine diverſa; in quibus calycis laciniæ nunc patentiſſimæ ſunt, nunc ſuberectæ. Corolla flaveſcens limbum habet leviter patentem vel erectum, ſemper a me obſervatum trifidum. Si ſtamina ſunt decem, alterna tunc breviora habentur; numero autem ſunt inconſtantiſſima, tribus pauciora nunquam, nec decem plura. *Bacca* ſordide lutea pulpam continet atram & amariuſculam, avibus aut inſectis amatam; quum eroſas laceratasve inveni plerasque & ſeminibus orbas.

Habitat Carthagenæ paſſim in fruticoſis & ſylvaticis maritimis. Floret imprimis Auguſto & Septembri.

* * * * * *
* * * * *
* * * * *
* * *
*

APPEN-

# APPENDIX.

## COCOS.

1. COCOS (*nucifer*) nucleo dulci, eduli. TAB. CLXVIII.

Cocos frondibus pinnatis: foliolis replicatis. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 1188.

Palma ſpadicibus alaribus; fructu maximo; caudice ſubæquali, cicatriculis circularibus ſcabro; foliolis enſiformibus replicatis pinnatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 341.

Palma indica coccifera anguloſa. *Pluk. alm.* 275.

Calappa. *Rumpf.* 1. *p.* 1. *t.* 1. 2.

Tenga. *Rheed. mal.* 1. *p.* 1. *t.* 1. 2. 3. & 4.

* Hermaphroditi maſculi flores.

CAL. Spatha univerſalis, ſimplex, lanceolato-oblonga, acuminata, concava, magna, univalvis, perſiſtens. Spadix ramoſus, ſpatha longior.

Perianthium triphyllum, minimum: foliolis ſubtriquetris, acutis, concavis, coloratis.

COR. Petala tria, ovata, acuta, planiuſcula, patula.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, longitudine corollæ, quorum tria alterna inter petala foras reflexa, reliquis patulis. Antheræ haſtatæ, magnæ, incumbentes.

PIST. Germen trifidum, parvum. Styli tres, breves. Stigmata obſoleta.

PER. abortat.

* Fœminei flores in eodem infra maſculos ſpadice.

CAL. Spatha eadem cum hermaphroditis.

Perianthium triphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, conniventibus, coloratis.

COR. Petala tria, perſiſtentia, ſimillima calyci.

PIST. Germen ſubrotundum, magnum. Stylus breviſſimus. Stigma tripartitum, acutum.

PER. coriaceum, fibroſum, craſſum, maximum, ſubovatum, obſolete trigonum.

SEM. Nux maxima, ſubovata, acuminata, obtuſe & obſolete trigona, baſi tribus foraminibus obſoletis notata, trivalvis. Nucleus cavus, aqua repletus.

Habitat in Caribæis & Continente vicina.

2. COCOS (*amarus*) nucleo amaro.

Arbor præcedenti ſimillima, cujus flores non examinavi. *Spatha* & *ſpadix* haud differunt. *Fructus* autem ovi anſerini dumtaxat magnitudine edules

non ſunt, & nucleum liquoremque continent amariſſimos. Altitudine paſſim centum pedes hæc palma excedit. Juniorem adhuc & vix duodecimpedalem inciſura longitudinali vulnerare ſolent incolæ, ut in facto foramine ova deponant ſua curculiones palmarum; e quibus naſcantur erucæ illæ pinguiſſimæ ex albo flaveſcentes, quæ aſſatæ in deliciis habentur. Gallis dicitur *Palmiſte amer* ſive Palma amara.

Habitat copioſe in Martinicæ ſylvis denſis & montoſis.

3. COCOS (*aculeatus*) trunco foliisque aculeatis. TAB. CLXIX.

Arbor præcedentibus ſimilis; *trunco* craſſiori & aculeis paucis obſito; *coſtis* utrinque aculeatis. *Flores* ut in Coco nucifero. *Fructus* ſunt ſubrotundi, pomi parvi magnitudine, virides; cortice fibroſo, craſſo, parum ſucculento. *Nux* ejusdem figuræ. Incolis vocabulo Caribæo dicitur *Grougrou*.

Habitat in Martinica.

## ARECA.

1. ARECA (*oleracea*) foliolis integerrimis. TAB. CLXX.

Hæc arbor, palmas inter Americanas altiſſima, cujus calyx ex fructu videtur eſſe monophyllus & ſemitrifidus, floris autem character reliquus mihi eſt ignotus, diſtinctiſſima eſt ab Areca Cathecu, ut ex lectione authorum apud Linnæum laudatorum facile perſpexi. Vaginæ *foliorum* mutuo amplectuntur arctiſſime, & trunci conſtituunt ſupremam partem ſesquipedalem viridemque. Infra hanc exeunt *ſpathæ* virides nitidæque, quæ ad eruptionem *ſpadicis* ramoſiſſimi in terram delabuntur. Fructus ſunt *baccæ* oblongæ, obtuſæ, leviter incurvæ, e cæruleo purpureæ, ſucculentæ, vix fibroſæ, magnitudine olivæ mediocris. Pulpa in fructu exſiccato perit, evaditque tunc cortex fragilis & rugoſus. *Nux* glabriuſcula, oblonga, baſi ſubacuta, membranacea, fragilis, tenuis, & e fuſco leucophæa cum rubedine levi ſæpe mixta, nullis foraminibus notatur. *Nucleus* cartilagineus, oblongus, duriſſimus, in medio fiſſuræ exiguæ cavitatem habet. Solent incolæ apicem trunci viridem amputare, cujus partem internam duos tresve pollices diametro æquantem, albicantem, conſtantemque foliis plicatis compactisque, eximunt, & in foro oleraceo exponunt. Vocatur tunc *Choux palmiſte* ſeu Braſſica palmarum, habetque ſaporem cynaræ. Comeditur cruda cum pipere & ſale; vel etiam frixa cum butyro; vel patinaria. Gallis arbor audit *Palmiſte franc*, id eſt, Palma ſativa.

Habitat vulgaris in Caribæis.

## BACTRIS.

1. BACTRIS (*minor*) fructibus subrotundis. TAB. CLXXI. Fig. 1.

* Masculi flores.

CAL. Spatha universalis, monophylla, ovato-acuminata, concava, magna, patens, dorso aculeata, univalvis, persistens. Spadix ramosus, longitudine spathæ.

Perianthium monophyllum, profunde tripartitum, corollæ concolor; laciniis lanceolatis, acuminatis, concavis, patulis, longitudine fere tubi corollæ.

COR. monopetala, obovata, triquetra, trifida: laciniis semiovatis, planis, acutis, erectis, tubo paulo longioribus.

STAM. Filamenta sex, subulata, erecta, longitudine fere corollæ, cujus in media parte tubi orta. Antheræ oblongæ, incumbentes.

* Fœminei flores pauci in eodem spadice maribus intermixti.

CAL. Spatha eadem cum maribus.

Perianthium monophyllum, campanulatum, minimum, corollæ concolor, margine tridentato, persistens: denticulis acuminatis, minimis, remotis.

COR. monopetala, ovata, erecta, longitudine germinis, idemque stricte amplectens, apice tridentato, persistens.

PIST. Germen ovatum, magnum. Stylus brevissimus. Stigma capitato-obtusum, obsolete trifidum.

PER. Drupa subrotunda, depressiuscula, succulenta, fibrosa, stylo acuminata; cortice coriaceo.

SEM. Nux subrotunda, utrinque depressa, notata tribus foraminibus lateralibus obsoletis, quorum duo magis approximata tertio opposita. Nucleus ejusdem figuræ, cartilagineus, solidus, in locis, quæ foraminibus nucis correspondent, excavatus tribus foveis.

*Radix* nodosa, teres, trunco crassior, brevis, mox sub terra horizontaliter inflectitur, repit, proximeque emittit truncum novum; atque ita pergendo, tandem dumetum veluti palmarum efficit: radicibus insuper aliis fibrosis & tenuibus solo firmiter affixa. *Truncus* erectus aculeis armatur numerosissimis, instruitur stipitibus aliquot semilaceris & emarcidis, crassitie diametrum æquat circiter pollicarem, altitudine pedem duodecimum raro excedit in apricis, in umbrosis sæpe paulo altior, quadripedalis jam flores proferre incipit. *Cortex* est subfuscus. *Folia* sunt subfrondosa, pauca, basi amplexicaulia, pinnata: *costa* aculeata: *foliolis* ensiformibus, acuminatis, nitidis, planis, basi levissime replicatis, serrato-aculeatis, (aculeis tenuissimis, digitoque ab apice versus basin modo tantummodo animadvertendis,) inermibus,

mibus, vel aculeis raris utrinque obſitis, plerumque alternis, interdum oppoſitis, numero inconſtanti. *Spathæ* axillares, ſolitariæ, patentes, diutiſſime poſt fructuum maturitatem perſiſtentes; quo fit, ut infra frondem ſæpe duo vel tria conſpiciantur folia ſpatham ſpadicemque emarcida in alis locantia. *Flores* inodori leviſſime flaveſcunt. *Fructus* atropurpurei & cerafi vulgaris magnitudine ſuccum continent acidulum, e quo vinum conficiunt Americani. Hi edules etiam ſunt, at non grati. Exſiccatos plures mecum in Europam portaveram lagenæ incluſos, qui poſt novem menſes Viennam reduci fere totidem mihi vivos excuderunt dermeſtes *). Ex trunco cortice nudato cannæ fiunt atræ, nitidæ, nodis interſtinctæ, leviſſimæque, quas Galli *Cannes de Tabago* ſive Cannas inſulæ Tabago vocant, & quæ in Europam quandoque transportantur. Ratione harum cannarum ἀπὸ τῦ βάκτρε ſive a baculo Bactridem arbitrario nomine derivavi. Incolis inſervit regularum, ad tecta componenda ſimiliaque facientium, in locum; unde audit *Higuero de lata*, id eſt, Ficus regularum. Marcgravii Atitara videtur ad hoc genus pertinere.

Habitat paſſim prope Carthagenam.

2. BACTRIS (*major*) fructu ovato. TAB. CLXXI. Fig. 2.

Fructus exoticus. *Clus. exot. l. 2. c. 23. f. 2.*

Palma habitu & creſcendi modo præcedenti ſimillima; ſed quæ plerumque ad viginti quinque pedum altitudinem excreſcit, & truncum acquirit diametri bipollicaris vel craſſiorem. *Folia* ſunt ſexpedalia; *foliolis* fere bipedalibus, aculeis marginalibus fuſcis magisque conſpicuis. *Spadix* compreſſo-planus ob fructuum pondus reclinatur. Calyx & corolla in fructu ſunt multicrenata, quod idem obtinet in priore. *Drupa* figura & magnitudine ovi, ſtylo acuminata, fibroſa, ſucculenta, edulis, acidula, cortice veſtitur coriaceo & ſaturate purpureo, ex qua itidem vinum parant incolæ. *Nux* atra, magna, ovato-oblonga, apice acuminato trifidoque, tribus foraminibus obſoletis notata, quorum duo paulo ſupra medietatem locantur, tertium altius. *Nucleus* oblongus, utrinque obtuſus, cartilagineus, ſolidus, nec cavus. Fructus in foro veneunt, vocanturque *Cocorotes*.

Habitat Carthagenæ in ſylvis.

## ELÆIS.

1. ELÆIS (*guineenſis.*) TAB. CLXXII.

Palma pinnis & caudice ubique aculeatiſſimis, fructu majuſculo.

*Brown. jam. 7. p. 344?*

* Flores

*) Nova videtur hæc *Dermeſtis* ſpecies, qui determinari poteſt *obſolete tomentoſus, ſubcinereus; antennis filiformibus; elytris læviuſculis; femoribus poſticis gibboſis.*

* Flores hermaphroditi ſteriles.

CAL. Spatha . . . Spadix ramoſus, compreſſus, denſe ſpicatus.
Perianthium hexaphyllum: foliolis ſubovatis, concavis, obtuſis, erectis, conniventibus.

COR. monopetala. Tubus ſubovatus, erectus. Limbus ſexfidus, acutus, erectus, longitudine perianthii.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, ſubtriquetra, erecta, fere longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, acutæ, magnæ, extra corollam reflexæ.

PIST. Germina tria, oblonga, erecta, tubo corollæ breviora. Styli obtuſi, truncati. Stigmata nulla.

PER. abortat.

* Fœminei flores in eadem planta.

CAL. . . .

COR. Petala ſex, . . .

PIST. Germen ovatum, deſinens in Stylum craſſiuſculum, brevem. Stigma trifidum, reflexum.

PER. coriaceum, ſubovatum, obtuſum, inæqualiter compreſſo-angulatum, fibroſum, oleo ſcatens, craſſum, uniloculare.

SEM. Nux ovata, acuminata, obſolete trigona, baſi tribus foraminibus obſoletis notata, unilocularis, trivalvis. Nucleus cavus.

Arbor, e qua deſcriptionem concinnavi, erat fortaſſe decennis, & triginta pedum altitudine. *Truncus* erectus eſt, ac inæqualis a foliorum ſtipitibus diu perſiſtentibus eoque longioribus, quo propioribus frondi. *Folia* ſunt pinnata: *coſta* rigida, quindecimpedali, infra foliola ad quadripedalem longitudinem armata utrinque in marginibus *ſpinis* ſubulatis; quarum ſuperiores hamatæ & recurvæ ſunt, intermediæ rectæ, infimæ patulæ duploque cæteris longiores: *foliolis* enſiformibus, acutis, inermibus, baſi replicatis, ſesquipedalibus, pollicem latis. Emarcidis atque abſcedentibus foliolorum paginis, remanet aliquamdiu medius nervus rigidus ſpinamque mentitus. *Spadix* axillaris, pedalis, valde compreſſus, erectus, in quinquaginta circiter dividitur *ramulos* quinquepollicares, erectos, digitum craſſos, compacte ſpicatos, imbricatim & inordinate diſpoſitos, apicibus triangularibus & acuminatis. Hos totos, exceptis apicibus, occupant *flores* parvi, ſinguli ad baſin ſuffulti bractea propria ſubrotunda parvaque, quæ cujuslibet ramuſculi infima multo reliquis major eſt, augeturque acumine lanceolato. Magnam quoque ſui partem ramuſculis immerguntur; & odorem veſpertino præprimis tempore late exhalant ſingularem & fortiſſimum, ac ſi quis aniſi olfaceret ſemina mixta cum foliis ſcandicis cerefolii. Prævio meo juſſu allatus ad me fuit integer hic ſpadix, quem modo deſcripſi, deſumptus ex eadem arbore, in qua antea flores fœmineos collegeram, exſiccatos hic illic inter pinnas hærentes,

rentes, qui characterem dederant incompletum. Ab his vero, quotquot erant in ſpadice, diſcrepabant, & videbantur ſteriles omnes. Id caſu acciderintne, an autem utriusque ſexus flores ſpadicem vindicent ſibi proprium? ignoro. *Pericarpium* ovo columbino majus, & ex luteo nigro ac rubello varium, oleo abundat, quod vel leviter preſſum digitis exſudat. *Nux* atra notatur ſtriis albidis longitudinalibus interruptis. Ex Guinea vulgo fertur in Martinicam translata, omniumque ibidem eſt in ore, e fructibus contuſis & expreſſis parari oleum ſic dictum palmarum. Ego in America ſylveſtrem hanc arborem nullibi vidi. Gallis nuncupatur *Palmier*. Nomen genericum ab oleo impoſui.

Habitat in hortis Martinicæ rarius.

Datur alia Palma ſpinoſiſſima, habitu præcedenti quodammodo ſimilis, quæ Martinicenſibus *Grigri* Caribæo nomine vocatur, & quam examinare neglexi. Hæc *fructus* fert edules, ſaporis aciduli, globoſos, leviter depreſſos, ſtylo acuminatos, coccineos, nitidosque. Pulpa drupæ pauca eſt, rubra, mollis, nec fibroſa; & circumdatur pellicula tenuiſſima. *Nux* fuſca tribus foraminibus obſoletis excavatur, e quibus per reliquam ſuperficiem venarum adinſtar ſtellatim lineolæ excurrunt. *Nucleus* cartilagineus eſt cavusque. TAB. CLXXI. Fig. 3.

Alia Palma in territorio Carthagenenſi occurrit, *Corozo* incolis dicta; e cujus fructibus oleum butyrumque conficiunt Americani in uſus domeſticos. Horum *pericarpium* externe nitidum luteumque, calyce triphyllo corollaque tripetala perſiſtentibus nitidisque ſuffultum, parum fibroſum, nec craſſum, continet oleum gratum & leviter odorum. Eſt autem figura ovatum & obſolete trigonum. *Nux* atra & nitida, ejusdem figuræ, baſi tribus foraminibus obſoletis pervia eſt; *nucleum*que habet ſubrotundum, cartilagineum, duriſſimum, ſolidum, centro leviter fiſſo. TAB. CLXXI. Fig. 4.

## GYROCARPUS.

1. GYROCARPUS (*americanus.*) TAB. CLXXVIII. Fig. 80.

Arbor elegans, procera, ramoſa. *Folia* maxima, petiolis longis donata, alternatim ſparſa, nitida, baſi ſubcordata, ſemitriloba, integra; *lobis* ſemiovatis, acuminatis, lateralibus paulo brevioribus: vel interdum in eadem arbore integerrima & ovata. *Racemi* ſunt laxi & terminales. *Flores* non vidi. Fructus eſt *bacca* exſucca, ovata, obtuſa, rugoſa, unilocularis, apice aucta alis duabus, oblongis, obtuſis, omniumque maximis, quæ fortaſſe calycem

in

## COFFEA.

1. COFFEA (*occidentalis*) floribus tetrandis; fructibus monoſpermis. TAB. XLVII.

Pavetta foliis oblongo-ovatis oppoſitis, ſtipulis ſetaceis petiolis interpoſitis. *Brown. jam.* 1. *p.* 142. *t.* 6. *f.* 1.

Ixora foliis lanceolato-ovatis, floribus paniculatis. *Linn. ſyſt. A. p.* 893.

Jasminum arboreſcens lauri foliis, flore albo odoratiſſimo. *Plum. ic.* 156. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, quadridentatum, germini inſidens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, ad baſin attenuatus, leviter incurvus, calyce multoties longior. Limbus quadripartitus: laciniis ovato-lanceolatis, acuminatis, reflexis, tubo longioribus, lateribus revolutis.

STAM. Filamenta quatuor, filiformia, orta in fundo tubi, cui per totam longitudinem adnata, & quo duplo breviora. Antheræ lineares, incumbentes, filamentis duplo breviores.

PIST. Germen ſubrotundum, inferum. Stylus filiformis, erectus, tubum corollæ leviter ſuperans. Stigmata duo, ſubulata, craſſiuſcula.

PER. Bacca ſubrotunda, depreſſiuſcula, umbilicata, calyce coronata obſoleto, unilocularis.

SEM. unicum, depreſſo-globoſum, cartilagineum, baſi umbilicatum, inferne ſemiquadrilobum, arillo membranaceo incluſum.

Arbuſcula erecta, ramoſa, ſexpedalis. *Folia* habet lanceolato-ovata, in acumen abeuntia obtuſum, integerrima, nitida, petiolata, oppoſita, in ramuſculis dumtaxat junioribus, quadripollicaria. *Stipulæ* cum petiolis alternant ſubulatæ, acuminatæ, erectæ, atque oppoſitæ. *Racemi* trichotomi, interdum paniculati, plerumque terminales, ſæpe etiam axillares, *flores* ſuſtentant ſumma ſuaveolentia præditos, quibus corolla eſt nivea. Foliis ramisque junioribus equi lubenter capræque veſcuntur. Tanta eſt hanc plantam inter Coffeamque Arabicam ſimilitudo, ſi numerum in fructificatione demas ſolum, ut locare ſub eodem genere neutiquam hæſitaverim. Imo tunc jam temporis ſummo tenebar deſiderio experiundi, an non uſta ſemina infuſum præbuiſſent palato gratum; ſed ante perfectam horum maturitatem ex Hiſpaniola diſceſſi, nec poſtea obviam ſtirpem habui.

Habitat paſſim in Domingo circa Cap Français in collibus fruticoſis. Floret Decembri.

in flore ſuperum conſtituerunt. *Semen* unicum, ſubrotundum, obſolete ſulcatum, lamellas ſuas varie involutas diſciſſum transverſim oſtendit. Pueri, ludendi gratia, hoſce ſolent fructus projicere in altum, qui alis ſuis ſuſtentati, & hinc in continuos gyros abrepti, lente in terram deſcendunt. Hinc nomen impoſui.

Habitat paſſim Carthagenæ in ſylvaticis.

## ANISOPHYLLUM

1. ANISOPHYLLUM (*pinnatum.*) TAB. CLXXX. Fig. 45.

Arbor erecta, ramoſa, quindecimpedalis; ramis junioribus, coſtis foliorum, eorundemque nervis mediis verrucoſis. *Folia* pinnata, alterna, pedalia; *coſta* ſubvilloſa; *foliolis* utrinque quinque cum impari, ex ovato oblongis, crenatis, glabriuſculis, obtuſis, leviter emarginatis, venoſis, mollibus, quadripollicaribus, ſubſeſſilibus. Hæc recentia odorem exhalant Aniſi ſeminibus ſimillimum; unde incolis dicitur *Arbol, de quien las ojas huelen el anis*, ſive Arbor, cujus folia aniſum olent. Nec *flores*, nec *fructus* cogniti mihi ſunt.

Habitat copioſe in ſylvaticis inſulæ Baru.

## PTEROCARPUS.

1. PTEROCARPUS (*officinalis.*) TAB. CLXXXIII. Fig. 92. *Linn. mat. med.* 522.
Lingoum. *Rumpf.* 2. *p.* 205. *t.* 70?

Arbor triginta pedes alta, ad habitum Robiniæ ſepium accedit; cujus nec *flores* videre nec *fructus* mihi contigit. *Materies* candida, ſolida, nullam prorſus reſinam fundit. *Cortex* craſſus, externe ex ferrugineo leucophæus, interne ſubferrugineus, & glabriuſculus, recens ſi transverſim ſcindatur, nullum ipſo momento rubedinis indicium habet; ſed brevi punctis plurimis ſanguineis variegatur, in lacrymulas abituris. Arbor ipſa, variis in locis inciſa, brevi tota, ſpectaculo ſane non injucundo, repletur guttis ſanguineis rutilis & liquidiſſimis, eodem perfecte modo, quo per genas infantum cadunt lacrymæ, ſuper trunco defluentibus; quæ poſt minutorum ſpatium aliquot, præcipue æſtuante ſolis ardore, indureſcunt, & colliguntur ſanguinis draconis ſub nomine. Cortex, lignum, & folia ſapore prædita ſunt adſtringente. *Rami* longi per totam longitudinem *foliis* ornantur pinnatis,

alternis, nitidisque; coſta ſeptempollicari, ſuperne ſulcata; *foliolis* utrinque cum impari quinque, ovalibus, obtuſiuſculis, integerrimis, venoſis, facie læte virentibus, dorſo e viridi pallentibus, alternis, exterioribus ſesquipollicaris, intermediis bipollicaribus; *petiolis* teretibus, brevibus, ſubvilloſis. Cortex trunci & crurum radicis in bacillos palmares ſciſſus adhibetur paſſim ab incolis ad emundandos dentes. Solebat olim hæc reſina frequens mitti Carthagena in Hiſpaniam; nunc vero, obſoleſcente ejusdem in Medicina Europæa uſu, ob cognitam in hæmoptoe ſimilibusque curandis morbis virtutem ipſius nullam, rariſſime a mercatoribus Europæis illius transmiſſio injungitur incolis; unde negligitur collectio. Appellatur ab his conſimili nomine *Sangre de Dragon*.

Habitat in ſylvaticis inſulæ Tierra Bomba. Conjicio florere Decembri.

# INDEX

# INDEX
# NOMINUM BOTANICORUM.


A.

*Abutilo affinis* pag. 236
*Acacia* 265. 266
*Acaciæ similis* 266
*Acaja* 138
*Acaju* 124
Acalypha 253. 254
*Aceri affinis* 109
Achras 56. 57
Achyranthes 81
Agave 100
*Agrimonia* 146
*Ahouai* 48
*Alni fructu* 78
*Alnus* 78
Alpinia 1
*Amaranthoides* 87
*Amaranthus* 81
Amerimnon 199. 200
*Ammannia* 100
Amyris 107
Anacardium 124
*Ananas* 91
Anguria 242. 243
*Anisophyllum* 283
*Anona* 52. 57
*Apocynum* 30. 32. 36.
Aquartia 15
Aralia 69
*Arbor* 48. 56 74. 127. 138. 140. 175. 264
Areca 278
Aristolochia 232. 233
Arum 239. 240
*Arum* 240
Astronium 261
Atragene 171
Avicennia 177. 178
Axyris 244

B.

Bactris 279. 280
Ballota 172
Batis 260
Bauhinia 119
*Bejuco* 9
Bellis 216
Besleria 187. 188
*Betula* 94
Beurreria 44. 45
Bignonia 182-184
*Blitum* 81
Bocconia 146
Bœhmeria 246
Bombax 191-192
*Bontia* 178
*Breynia* 161
Bromelia 90. 91
Brownæa 194
*Bryonia* 22. 23
*Bryonides* 23
*Bugloſſum* 219
Burſeria 94
Bytneria 76

C.

Cacara 201
Cactus 151. 152
*Calmito* 51
*Calaba* 268
*Calappa* 277
*Calceolaria* 77
Callicarpa 15
Calophyllum 268
Cameraria 37
*Candela* 141
Capparis 157-164
Capraria 182
*Caraguata* 90. 92
*Caryophyllus* 42
Caſearia 132. 133
*Caſſuvium* 124
Caſſytha 115
*Caſtorea* 187
*Cedrela* 127
*Ceiba* 191
*Cenchramidea* 270
*Ceraſo affinis* 45
Cerbera 48
*Chelidonium* 146
Chimarrhis 61
Chiococca 68
Chomelia 18
*Chondrilla* 216
Chryſobalanus 154
Chryſophyllum 51-53
*Chryſophyllum* 53
Cinchona 61
Ciſſus 22-23
Citharexylum 185. 186
Cleome 189. 190
*Clerodendrum* 185
Clinopodium 173
Cluſia 270-273
*Coa* 9
Coccoloba 111-115
*Coccolobis* 112
Cocos 277. 278
Coffea 67
*Colocaſia* 240
*Colutea* 206
Combretum 103. 104
Comocladia 12. 13
Conocarpus 78-80
Convolvulus 26
Copaiva 133
*Coral* 209
Corchorus 165
Cordia 42. 43
*Cordia* 44
Craniolaria 173
Creſcentia 175
*Criſta pavonis* 122
*Crithmus* 155
Croton 254-256
*Cucumis* 242. 243
*Cucurbitifera* 175
*Cujete* 175
Cuſcuta 24
*Cuſcuta* 115
*Cuſſuta* 115
*Cynallophoros* 158
Cynanchum 81-87

D.

Dalechampia 252
*Digitalis* 179
Dioſpyros 276
Diphyſa 208
Dodonæa 109
Dolichos 201-205
*Donatia* 178
Duranta 186. 187

E.

Echites 29-34
*Edechi* 64
Ehretia 45. 46
Elæis 280
Elaphrium 105. 106
Elaterium 241
*Elemifera* 107
*Elliſia* 187
Epidendrum 221-230
*Eriophorus* 191
Erithalis 72. 73
*Erythrina* 209
Erythroxylum 134. 135
Eugenia 152
*Euonymus* 128
Euphorbia 149-151

F.

Fagara 21
*Flos pavonis* 122
*Fructus exoticus* 280
*Frutex* 78. 107. 109. 122. 154
*Fruticulus* 54
*Funis* 22

G.

Galega 212
Gentiana 87
Geoffræa 207
*Geraſcanthus* 43
Gesneria 179
Ginoria 148
Gomphræna 88
*Goſſypium* 191. 193
Goüania 263. 264
*Groſſulariæ fructu* 131
*Guajabara* 112
*Guajeru* 154
*Guazuma* 165
*Guidonia* 132. 133
Gyrocarpus 282

H.

Hamelia 71. 72
Hapalanthus 11
*Hedera* 89
Hedyotis 20
Heiſteria 126
*Helianthemum* 147
Helicteres 235-238
Heliotropium 25
*Helleborine* 87. 221. 222. 224-226
*Hermeſias* 194
Hernandia 245
Hibiſcus 196
Hillia 96
Hippocratea 9
Hippomane 250
*Hippomane* 249
Hiræa 137
Hirtella 8
Homalium 170
Hybanthus 77
Hypericum 213

I.

Jacquinia 53. 54
*Janipha* 256
*Jaſminum* 16. 35. 44. 66-68 186
Iatropha 256
*Icaco* 154
*Ichthyomethia* 209
*Innominata* 78
Ipomæa 26. 27. 28
Iris 7
*Irſiola* 22. 23
*Juglandi affinis* 250
*Jujube* 74
Juſticia 2-6
Ixora 16
*Ixora* 67

K.

Kaku-valli 203
*Kali* 260
*Kapa-mava* 124
*Karatas* 91
*Karinta-kali* 66
Kleinia 215
*Kodda-pail* 234

L.

Laetia 167
*Lappula* 147
Laugieria 64
Laurus 117
Lecythis 168
*Lenticula* 234
*Liguſtrum* 185
*Lingoum* 283
Lippia 176
Lobelia 219
*Lonicera* 68. 97
Loranthus 97-99
*Loti arboris affinis* 166
Lycium 50
Lythrum 148

M.

Macpalxochi 238
Malpighia 135-137
*Malus* 56. 250. 268
*Mamei* 268
Mammea 268
*Mançanilla* 249. 250
*Mangle* 80. 141. 178
*Mangue* 141
Marcgravia 156
Melaſtoma 130. 131
Melia 126
Melicoccus 108
Melochia 193. 194
*Mentaſtrum* 172
Mentzelia 164
*Meſoſphærum* 172
*Meſpilus* 41. 44
Mimoſa 264-267
*Mombin* 138
Morinda 65
Moriſonia 156
Morus 247
*Moul-elavou* 193
*Mucuna* 203
Muntingia 166
Muſſænda 69. 70
Myginda 24
*Myrobalanus* 139
Myroſpermum 120
Myrtus 153

N.

Nai-corana 201
*Nequametl* 100
*Nerio affinis* 35. 48
*Nerium* 33. 35. 36
Niſſolia 198. 199
*Nux* 108. 245

O.

Oenothera 102
*OEpata* 178
*Onagra* 164
Orchis 220
*Orchis* 221

P.

*Paliuro affinis* 185. 274
*Palma* 277. 280
Pancratium 99
Parkinſonia 121
Paſſiflora 231. 232
Paullinia 110
*Pavetta* 67
Pectis 216
Peplis 101
*Periclymenum* 68
*Periploca* 30
Peteſia 18
Peteſioides 17
Petitia 14
Petiveria 101
Petræa 180
Phaſeolus 201-203
*Phaſeolus* 201
*Phyteuoides* 17
*Pinguin* 91
Piſcidia 209. 210
Piſonia 274. 275
*Piſtacia* 94
Piſtia 234
*Plantago* 234
Plumeria 35-37
Poinciana 122. 123
*Polygonum* 112
*Pomifera* 124
*Ponja* 191
Portlandia 62. 63
Portulaca 147. 148
*Portulaca* 155
Pothos 240
*Prunifera* 138
*Prunus* 12. 112. 138. 139
*Pſeudoacacia* 210
Pſoralea 206
Pſychotria 65. 66
*Pſychotrophum* 65. 66
Pterocarpus 283
*Pyrolæ affinis* 66

R.

Ranunculus 94
*Rapunculus* 219
Rauvolfia 47. 48
Renealmia 93
Rhamnus 74. 75
*Rhamnus* 274
Rhizophora 141
*Rhoi ſimilis* 21
*Ricino affinis* 256
Robinia 210. 211

Rondeletia 59. 60
*Rondeletia* 66
*Rudbeckia* 79
Ruſſelia 178
Ruyſchia 75

S.

Sagittaria 248
*Sambucus* 72
Samyda 131. 132
*Samyda* 132
*Samiolina* 214
Sapium 249
*Sapota* 57
Satyrium 221
*Satyrium* 226
Sauvageſia 77
Schæfferia 259
*Schinoides* 21
*Schinus* 21
Scoparia 17. 18
*Scordium* 181
Scutellaria 172
*Sebeſtena* 42
Securidaca 197
Seguieria 170
*Senna* 122
Seſuvium 155
Sicyos 258
*Sicyos* 23
Sida 195
Sideroxyloides 19
Sideroxylum 55
*Sideroxylum* 19
*Siliqua* 123
*Sinapiſtrum* 190
Smilax 262
*Solani fructu* 47
Solanum 49. 50
Sophora 118
Spermacoce 21
Spilanthes 214. 215
Spondias 138. 139
*Staphylodendron* 109
Stemodia 181
*Stemodiacra* 181
*Strizolobium* 201
Strumpfia 218
Suriana 140
Swietenia 127
Symplocos 166

T.

Tabernæmontana 38-40
*Tabernæmontana* 30
Tamarindus 10
*Tarertaya* 190
*Tenga* 277
*Terebinthus* 94. 272
Teucrium 172
*Thevetia* 48
*Thymelæa* 140. 218
Tillandſia 92
*Tithymaloides* 149
*Tithymalus* 149. 249
Tournefortia 47
Tradeſcantia 94
Tragia 245
Trichilia 128-130
Trigonis 102
*Triopteris* 109
Triplaris 13. 14
Triumfetta 146. 147
*Tſietti-mandarin* 122

U.

*Umari* 207
Utricularia 7
*Uviſera* 112

V.

Varronia 40. 41
*Veronica* 18
Vicia 206
*Violæ folio* 66
Viſcoides 73
*Viſcum* 92. 227. 229
*Vitis* 22
Volkameria 185

W.

Wedelia 217

X.

Ximenia 106
*Xylon* 191. 192

Y.

*Ycotli* 48

Z.

*Zanthoxylum* 247
*Zoophthalmum* 202
Zygophyllum 130


INDEX

# INDEX
## NOMINUM VERNACULORUM.


*A.*

*Abraçapalo* pag. 227
*Abricotier* 269
*Acajou* 125
*Almacigo* 96
*Ananas de bois* 92
*Aralie* 272
*Aralie à pëtites feuilles* 75
*Arbol de quien las ojas huelen el anis* 283

*B.*

*Balai doux* 17
*Barrilla* 261
*Barvaſco* 54
*petit Beaume* 255
*Birchtree* 96
*Bois à grandes feuilles* 113
- - *bracelets* 54
- - *cabril batard* 44
- - *cotelet* 186
- - *cotelet carré* 186
- - *couleuvre* 75
- - *de Chypre* 43
- - *de fer* 20
- - *de riviere* 61
- - *des coulles* 156
- - *laiteux* 39
- - *Mabouia* 157
- - *perdrix* 126
*Bouis* 53
*gros Bouis* 52

*C.*

*Cacaracacara* 46
*Caïmitier* 52
*Cainito* 51
*Calaba* 270
*Calebaſſier* 176
*Camajonduro* 238
*Campanilla* 27
*Canne de riviere* 1
*Cannes de Tabago* 280
*Capitan* 233
*Cebolleta* 230
*Ceiba* 193
*Ceraſo macho* 129
*Chaiote* 259
*Chêne noir* 182
*Choux palmiſte* 278
*Cimbrarera* 153
*Ciruelo* 140
*Cocco-plum-tree.* 155
*Cocorote* 280
*Contracapitan* 233
*Copaiva* 134
*Corozo* 282
*Coui* 176
*Couſin* 147
*Croc* 107
*Cruzeta* 70
*Cuernezuela* 267

*D.*

*Donzellas* 37

*E.*

*Eſcobilla menuda.* 17
*Eſcorzonera* 175

*F.*

*Fleurs de Paradis* 123
*Franchipanier blanc* 36
- - - *rouge* 35
*Fromager* 192

*G.*

*Genet épineux* 122
*Gommier* 96
*Goyavier batard* 152
*Granadille* 231
*Gras de galle* 85
*Grigri* 282
*Grougrou* 278
*Guao* 13
*Guara* 127
*Guayacan* 130

*H.*

*Herbe à charpentier* 3
*Higuero de lata* 279
*Hog-plum-tree* 138

*I.*

*Icaco* 155
*Iguaenbeſienboom* 74
*Intoum* 217
*Jobo* 138
*Juan Gomez* 199

*K.*

*Karatas* 99
*Kerſeboom* 129
*wilde Kerſeboom* 109

*L.*

*Liane Mangle* 30
*Libidibi* 124
*Lilac de nuit* 69

*M.*

*Maguei* 100
*Mahagoni* 127
*Majagua de playa* 237
*Mamei* 269
*Mamei-Sapota* 57
*Mançanilla* 251
*Mangle* 145
- - *bobo* 81
- - *cautivo* 250
- - *Zaragoza* 79
*Mangrove* 145
*white Mangrove* 81
*Mata-raton* 211
*Miroboläm* 246
*Miſpelboom* 59
*Mombin* 138
- - *batard* 129
*Moños* 109
*Morita* 248

*N.*

*Nisberry* 59
*Nispero* 59

*O.*

*Ollita de mono* 169

*P.*

*Paletuvier* 145
- - *de montagne* 274
- - *gris* 178
*Palmier* 281
*Palmiſte amer* 278
- - *franc* 278
*Pitajaya* 151
*Poinciade* 123
*Poirier de chardon* 152
*Pois à grater* 202
- *doux* 265
- *Mabouia* 158
*Pommier d'Acajou* 125
*Prunier d'Eſpagne* 140
- - *Icaque* 155

Q.

Quedec 220
Queuë de rat 241

R.

Raisinier de coude 115
- - du bord de la mer 113
Raton 211
Rebenta-cavallos 220
Rosa del rio 149

S.

Sangre de dragon 284
Sapodilla 59
Sapodille-tree 59
Sapota 57
Sapotier 59
Sapotille 59
Seguine 239
Silk-Cotton-tree 192
Spanish plum-tree 140
Star-apple 52
Stokvishoudt 248

T.

Thee du pays 182

U.

Uvero 113

V.

Vivaseca 209

Y.

Yerva de maravedi 24
Yeux de bourrique 203

Z.

Zaedelhoudt 105


CATA-

# CATALOGUS
## AUTHORUM,
### QUI CITANTUR IN PLANTARUM SYNONYMIIS.

Ammanni Herbarius.
Bauhini Pinax.
Breynii Centuriæ.
- - Icones rariores.
Browne 's Natural Hiſtory of Jamaica.
Burmanni Theſaurus Zeylonicus.
Catesby 's Natural Hiſtory of Carolina.
Cluſii Exotica.
Commelini Hortus Amſtelodamenſis.
Dillenii Hortus Elthamenſis.
Gronovii Flora Virginica, *Leidæ* 1739.
Hermanni Paradiſus.
Hernandis Plantarum Mexicanarum Hiſtoria, *Romæ* 1651.
Læflingii Iter Hiſpanicum.
Linnæi Amœnitates Academicæ.
- - Hortus Cliffortianus.
- - Species Plantarum, *Holmiæ* 1753.
- - Syſtema Naturæ, *Holmiæ* 1759.
Marcgravii & Piſonis Hiſtoria Naturalis Braſiliæ, *Lugduni Batavorum* 1648.
Merianæ Metamorphoſis Inſectorum Surinamenſium.
Osbecks Reſa.
Petiveri Gazophylacium.
Pluknetii Almageſtum & Mantiſſa.
Plumier Deſcription des Plantes de l'Amerique.
- - Genera Plantarum & Species.
- - Icones editæ a Burmanno.
Rheede Hortus Malabaricus.
Royeni Floræ Leidenſis Prodromus.
Rumpfii Herbarium Amboinenſe.
Sebæ Theſaurus.
Sloane 's Voyage to the Islands of Jamaica, &c.
- - Catalogus Plantarum.
Tournefortii Inſtitutiones.

VIENNÆ,
TYPIS JOSEPHI KURTZBÖCK, UNIVERS. TYPOGRAPHI.

# EXPLICATIO TABULARUM.

TAB.

I. Alpiniæ ſpicatæ pars dimidia ſuperior.

II. 1. Juſticiæ ſpinoſæ ramus utrinque abſciſſus. 2. Juſticiæ ſeſſilis ramus. 3. Juſticiæ martinicenſis flos & folium. 4. Juſticiæ pulcherrimæ folium & corolla cum genitalibus.

III. Juſticia pectoralis.

IV. Juſticia euſtachiana.

V. Juſticiæ carthagenenſis caulis pars ſuperior.

VI. Utricularia montana.

VII. Iris martinicenſis. Cujus genitalia exhibet ex adjunctis figuris intermedia, laterales vero petalum minus & capſulam.

VIII. Hirtellæ americanæ ramuſculus.

IX. Hippocrateæ ſcandentis ramus utrinque abſciſſus. Cum additis figuris capſulæ, ſeminis, valvulæ unius, & germinis in flore adoleſcentis.

X. Tamarindi indicæ ramulus florens. Cui additur figura fructus monoſpermi & diſpermi.

XI. Hapalanthus repens. Cum adjecta icone ſtaminis volumine aucti.

XII. Aquartiæ aculeatæ ramuſculus inermis.

XIII. Chomeliæ ſpinoſæ ramus. Cum fructus maturi figura.

XIV. Fagaræ tragodis ramus. In quo conſpiciuntur folia (excepto integerrimo unico) omnia magis minusve foliolis ſuis articulisve delapſis deſtituta, quod vulgo evenire huic arbuſculæ adverti. In foliorum vero axillis locantur gemmæ florum nedum expanſorum.

XV. Ciſſi ſycioidis ramuſculus lateralis integer, ex rupe Martinicenſi deſumptus.

XVI. Mygindæ uragogæ ramuſculus floribus fructibusque maturis onuſtus. Cum addita icone partis primariæ radicis.

XVII. Convolvulus martinicenſis.

XVIII. Ipomæa carnea.

XIX. Ipomæa filiformis.

XX. Ipomæa repanda.

XXI. Echites biflora.

XXII. Echites umbellata. Cum fructus ex altera parte truncati figura.

XXIII. Echites adglutinata.

XXIV. Echites trifida.

XXV. Echites quinquangularis.

XXVI. Echites ſuberecta. Cum icone fructus maturi.

XXVII. Echites toroſa.

XXVIII. Echites repens.

XXIX. Echitis ſpicatæ ramuſculi pars ſumma.

XXX. Echites corymboſa.

XXXI. Tabernæmontana grandiflora. Cum figura fructus maturitati proximi.

XXXII. Varronia martinicenſis.

XXXIII. Varronia mirabiloides.

XXXIV. Cerberæ Thevetiæ ramus floribus & fructu maturo onuſtus.

XXXV. Solani havanenſis ramus flores fructumque gerens maturum.

XXXVI. Solanum racemoſum.

XXXVII. 1. Chryſophylli Cainito ramuſculus fructu gravidus; ad cujus hinc latus ſpectatur fructus diſciſſus, illinc ſemen exemptum. 2. Chryſophyllum microphyllum.

XXXVII *. Chryſophyllum cæruleum.

XXXVIII. 1. Chryſophyllum argenteum. 2. Chryſophyllum glabrum.

XXXIX. Jacquiniæ armillaris ramus. Cum fructus maturi ac ſeminis figura.

XL. 1. Jacquiniæ linearis ramuſculus. 2. Solani triſtis ramus utrinque truncatus. 3. Solani ſubinermis folium. 4. Batis maritima fœmina; cum icone amenti maſculini.

XLI. Achradis Zapotæ ramuſculus. Cum α fructu ſuo & γ ſemine. β Fructus eſt Achradis Zapotillæ.

XLII. Rondeletia odorata.

XLIII. Rondeletia trifolia.

XLIV. Portlandia grandiflora. Cum icone fructus dimidiati & ſeminis.

XLV. Morinda muſcoſa.

XLVI. Pſychotria herbacea. Cum figura ſeminis.

XLVII. Coffea occidentalis.

XLVIII. Muſſændæ formoſæ rami ſuperior pars; in quo flores adſunt ex minoribus. Cum icone fructus & ſeminis.

XLIX. Muſſænda ſpinoſa; in qua flores etiam limbum adverſum habent ſemihirſutum.

L. Hamelia patens.

LI. Viſcoidis penduli ramus, floribus & fructibus maturis onuſtus. Hi ſunt baccæ molles, ſubrotundæ, rubræ, calyceque coronatæ; quod hic addo, quum typographi incuria ſit in charactere omiſſum. 2. Ruyſchiæ cluſiæfoliæ caulis, racemo ſuperne ob nimiam in icone longitudinem truncato. 3. Sauvageſiæ erectæ ramus.

LII. 1. Conocarpi erectæ ramuſculus, eo delineatus habitu, quo ſæpe conſpicitur ab ardore ſolis flacceſcens. 2. Conocarpi procumbentis folium ea, qua frequentius occurrit figura.

LIII. Conocarpus racemoſa fructibus maturis gravida.

LIV. Cynanchum racemoſum.

LV. Cynanchum planiflorum.

LVI. Cynanchum maritimum.

LVII. Cynanchum altiſſimum.

LVIII. Cynanchum undulatum.

LIX. Cynanchum longiflorum.

LX. 1. Cynanchum filiforme. 2. Cynanchi clauſi flos & folium. 3. Gentiana aphylla. 4. Gomphræna ficoidea.

## CHIOCOCCA.

1. CHIOCOCCA (*racemoſa*) foliis oppoſitis. *Linn. ſyſt. A. p.* 917.

Chiococca ſarmentoſa foliis myrtineis oppoſitis, ſpicis plurimis tenuiſſimis terminalibus & ex alis ſupremis. *Brown. jam.* 1. *p.* 164.

Chiococca ſcandens, ſarmentis tenuiſſimis & fere indiviſis. *Brown. jam.* 2. *p.* 164.

Lonicera racemis lateralibus ſimplicibus, floribus pendulis, foliis integerrimis. *Linn. ſp. pl.* 13. *p.* 175.

Periclymenum racemoſum, flore flaveſcente, fructu niveo. *Dill. elth.* 306. *t.* 228. *f.* 295.

Jasminum folio myrtino acuminato, aliorum adminiculo ſe ſuſtentans, flore albicante racemoſo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 97. *t.* 188. *f.* 3.

CAL. Perianthium parvum, erectum, quinquendentatum, acuminatum, germini inſidens, perſiſtens.

COR. monopetala, infundibuliformis. Tubus longus, erectus, patens. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, acutis, planis, reflexis, æqualibus, tubo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, capillaria, brevia, hirſuta, patula, orta in fundo corollæ. Antheræ lineares, erectæ, ad minus longitudine tubi.

PIST. Germen ſubrotundum, compreſſo-planum, inferum. Stylus filiformis, erectus, longitudine petali. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Bacca ſubrotunda, compreſſa, coronata dentibus calycinis, puncto umbilicato, unilocularis.

SEM. duo, ſubovata, obtuſa, compreſſo-plana, pulpa diſtincta.

Frutex ramoſus, altitudinis humanæ, ſuberectus; in *ramos* diſpeſcitur longos, teretes, glabros, & reclinatos: quem, multorum aliorum adinſtar, in ſylvis umbroſis denſisque multo excreſcere altius, ramos laterales pauciores emittere, evadereque ſarmentoſum, obſervavi; & hinc ad primum conſpectum videri habitu diverſiſſimum ab illo, qui naſcitur ad margines ſylvarum, in fruticetis, inque apricis: quem itaque Browneus haud recte in duas ſpecies diviſit. *Folia* habet ovata, acuminata, integerrima, nitida, oppoſita, bipollicaria. *Racemi* bipollicares, penduli, axillares ſunt oppoſiti, & terminales. *Flores* albi, inodori; vel flaveſcentes, odoriferi. *Baccæ* niveæ, ſicciores, ſpongioſæ, parvæ, coronantur dentibus calycis virentibus.

Paſſim habitat in collibus ſylveſtribus alibique Carthagenæ, in Jamaica, Domingo.

2. CHIOCOCCA (*nocturna*) foliis alternis.

CAL. Perianthium monophyllum, oblongum, parvum, quinquedentatum, acuminatum, inferum, perſiſtens.

COR.

LXI. Araliæ capitatæ ramus, in quo deciduis jam corollis adoleſcunt germina.

LXII. Tillandſiæ lingulatæ culmus, e foliis radicalibus exſciſſus; in quo quum propter numeroſas denſasque bracteas non appareant flores, adjunxi ad latus florem integrum exemptum, atque etiam capſulam maturam.

LXIII. Tillandſia tenuifolia ramulo arbuſculæ innaſcens.

LXIV. Tradeſcantiæ geniculatæ pars erecta ſuperior.

LXV. Burſeriæ gummiferæ ramuſculus ex Curaçao, qualem præ ſe fert habitum in ſaxoſis naſcens. Cum addita icone floris & fructus.

LXVI. Hilliæ paraſiticæ ramus. Cum calyce germini impoſito, quæ in ramo propter bracteas ſpectari nequeunt.

LXVII. Loranthi americani ramus.

LXVIII. Loranthus ſpicatus.

LXIX. Loranthus uniflorus.

LXX. Oenothera octovalvis.

LXXI. 1. Elaphrii tomentoſi ramuſculus florens. 2. Ejusdem folium adultum. 3. Semen baſi lateribusque baccatum. 4. Elaphrii glabri folium.

LXXII. Melicocci bijugati ramuſculus ferens fructiferum racemum ex minoribus. Additur icon floris magnitudine naturali, ejusdemque lente vitrea aucti. His adſtat nux.

LXXIII. Coccolobæ Uviferæ ramuſculus fructiger. Cum figuris nucis & nuclei.

LXXIV. Coccolobæ obtuſifoliæ ramuſculus, fructibus maturis onuſtus.

LXXV. Coccoloba flaveſcens.

LXXVI. Coccoloba diverſifolia.

LXXVII. Coccoloba coronata.

LXXVIII. Coccoloba nivea.

LXXIX. Caſſytha filiformis. Cum icone receptaculi diſciſſi, & nucis genitalibus coronatæ.

LXXX. Parkinſonia aculeata. Cum ſemine.

LXXXI. Heiſteria coccinea. In deſcriptione autem *pag.* 126. deleatur ſynonymon Plumieri, adeoque etiam lineæ 22. & 23.

LXXXII. Trichiliæ trifoliæ fructibus matureſcentibus gravidæ ramus.

LXXXIII. Zygophylli arborei ramuſculus.

LXXXIV. Melaſtoma diſcolor.

LXXXV. Caſearia decandra.

LXXXVI. Copaivæ officinalis ramus.

LXXXVII. 1. Erythroxyli carthagenenſis ramuſculus. Cum bacca & nuce diſciſſa. 2. Erythroxyli havanenſis folium & fructus.

LXXXVIII. Spondias Myrobalanus, decerptus ex putatis ramis noviter in ſepes plantatis. Cum figura fructus integri; & nucis alterius fructus, nempe appendiculati; ejusdemque diſciſſæ.

LXXXIX. Rhizophoræ Mangles 1. Fructus totius compages. 2. Crus. 3. Calyptra. 4. Seminis pars in conum foliaceum abiens. 5. Pericarpium adoleſcens, ſeminis apice perforatum. 6. Pedunculus biflorus

florus poſt fœcundationem. 7. Idem cum floribus completis. 8. Florum gemmæ. 9. Folii pagina adverſa. 10. Ejusdem pagina prona. 11. Operculum veſtiens apicem radicum.

XC. Triumfetta rhomboidea.

XCI. Ginoria americana.

XCII. Euphorbiæ Tithymaloidis ramuſculus folioſus; & alter aphyllus floriger, in cujus apice & medietate ſpectantur gemmarum inſtar ſpathæ florum clauſæ.

XCIII. Eugenia Pſeudopſidium fructibus maturis onuſta. Cum figura nucis.

XCIV. Chryſobalanus Icaco.

XCV. Seſuvium Portulacaſtrum.

XCVI. Marcgraviæ umbellatæ ramus floriger. Cum icone fructus.

XCVII. Moriſoniæ americanæ ramus fructifer. Cum figura floris & ſeminis.

XCVIII. Capparis Cynallophora. Cum fructu tenuiori, ejusdemque delineatione transverſa.

XCIX. Capparis verrucoſa. Cum fructu.

C. Capparis octandra.

CI. Capparis jamaicenſis.

CII. Capparis linearis.

CIII. Capparis Breynia. Cum fructu.

CIV. Capparis frondoſa. Cum fructu.

CV. Capparis tenuiſiliqua. Cum fructu & ſemine.

CVI. Capparis pulcherrima. Cum ſemine.

CVII. Muntingiæ Calaburæ ramuſculi pars. Cum flore nedum explicato, & fructu.

CVIII. Laetia apetala. Cum figura fructus.

CIX. Lecythis minor. Cum figura 1. nectarii, baſi ſtaminibus referti perforatique pro germine transeunte in flore; ſuperne corpuſculis filamentoſis mollibusque tecti, quibus incumbit genitalibus. 2. Fructus valvula inferior. 3. Ejusdem valvula ſuperior. 4. Semen.

CX. Craniolariæ annuæ flos; corollæ pars abſciſſa ſuperior ſpectata a latere; ſimiliter conſpiciendus calyx cum abſciſſa parte tubi corollæ; fructus integer pedunculatus; nux integra; ejusdem transverſim diſſectæ delineatio.

CXI. Creſcentia Cujete.

CXII. 1. Avicenniæ nitidæ ramuſculus fructu maturo gravidus. Cum pedunculo florigero. 2. Avicenniæ tomentoſæ folium.

CXIII. Ruſſeliæ ſarmentoſæ ramuſculus pendulus.

CXIV. Petræa volubilis.

CXV. Caprariæ biflorae ramuſculus vulgaris. Cum figura folii majoris, quando creſcit in umbroſis.

CXVI. Bignonia paniculata. Cum fructu & ſemine.

CXVII. Volkameriæ aculeatæ ramuſculus. Cum figura fructus dimidiati transverſim diſciſſi.

CXVIII. Citharexyli teretis ramuſculus fructiger. Cum icone floris, ſeminis integri utrinque ſpectati, ejusdemque transverſim diſſecti.

CXIX. Besleriæ cristatæ ramusculus pendulus.
CXX. Cleomè procumbens.
CXXI. Brownæa coccinea.
CXXII. Dolichi prurientis racemus abscissus ob nimiam suam longitudinem. Cum icone leguminis & seminis.
CXXIII. Dolichos ruber. Cum semine.
CXXIV. Vicia littoralis. Cum leguminis figura, & seminis.
CXXV. Galega Caribæa. Cum semine.
CXXVI. 1. Spilanthis urentis ramus. 2. Spilanthis insipidæ folium.
CXXVII. Kleinia ruderalis.
CXXVIII. Pectis punctata.
CXXIX. Bellis ramosa.
CXXX. Wedelia frutescens.
CXXXI. 1. Epidendrum lineare. 2. Epidendrum Cebolleta; in quo scapo-rum pars florigera superior abscissa desideratur, quum flores emarcidos dumtaxat invenerim.
CXXXII. Epidendrum ramosum.
CXXXIII. 1. Epidendrum globosum. Cum icone fructus. 2. Epidendrum ophioglossoides. 3. Epidendrum ruscifolium. 4. Epidendri carthagenensis flos.
CXXXIV. Epidendrum rigidum.
CXXXV. Epidendrum coccineum.
CXXXVI. Epidendrum difforme. Cum figura fructus.
CXXXVII. Epidendrum secundum.
CXXXVIII. Epidendrum anceps.
CXXXIX. Epidendrum nocturnum.
CXL. Epidendrum nodosum, in quo folii abscissi superficies circumferentiam indicat transversam.
CXLI. Epidendrum tetrapetalum.
CXLII. Epidendrum altissimum, in quo scapus truncatus est ob nimiam longitudinem.
CXLIII. Passiflora quadrangularis. Cum fructu, & semine.
CXLIV. Aristolochia anguicida. Cum caulium infimorum & radicis parte.
CXLV. Aristolochia caudata. Cum fructu & semine.
CXLVI. Aristolochia maxima. Cum figura capsulæ & seminis.
CXLVII. Aristolochia pentandra.
CXLVIII. Pistiæ Stratiotis folium utrinque conspiciendum. Stolon cum plantula juniore. Flos; idemque diductus & magnitudine auctus. Capsula.
CXLIX. Helicteres baruensis. Cum icone fructus.
CL. Helicteris carthagenensis ramusculus florifer & adhuedum aphyllus. Cum icone fructus.
CLI. Arum Seguine. Cum flore.
CLII. Arum hederaceum. Cum fructu.
CLIII. Pothi acaulis scapus magnitudine naturali; hac triplo in omni dimensione minus folium; uti patet ex adjecta ejusdem naturalis parte summa, & infima.

CLIV. Elaterium carthagenenſe. Cum ſemine.
CLV. Anguria pedata fœmina.
CLVI. Anguria trilobata mas. Cum diſciſſi diductique floris figura.
CLVII. Bœhmeria ramiflora.
CLVIII. Sapii aucuparii rami pars extrema. Cum figura floris maſculi, ſtaminis; floris fœminei, calycis, fructus, & ſeminis.
CLIX. Hippomanes Mançanillæ ramuſculus florens, in quo folia nedum acquiſiverunt volumen ſolitum. Cum icone fructus exſiccati.
CLX. Dalechampia ſcandens. Cum addita figura auctæ ad duplum compagis florum, utrinque ſpectatæ.
CLXI. Acalypha corenſis.
CLXII. 1. Iatrophæ carthagenenſis folium, flos maſculus, & fructus. Folium (2. Crotonis nivei, (3. balſamiferi, & (4. linearis.
CLXIII. Sicyi edulis folium; flos fœmineus clauſus; mas expanſus; fructus jam germinans.
CLXIV. Mimoſa fagifolia. Cum fructu.
CLXV. Calophyllum Calaba mas. Cum flore fœmineo; drupa; & nuce.
CLXVI. Cluſia alba fructigera. Cum ſemine, & flore.
CLXVII. Cluſia flava.
CLXVIII. Cocos nucifer, magnitudine centies & ultra imminutus.
CLXIX. Cocos aculeatus, identidem imminutus. Cum fructu magnitudine naturali.
CLXX. Areca oleracea, identidem imminuta. Cum drupa, nuce, nucleo, eodemque transverſim diſciſſo.
CLXXI. 1. Bactris minor, decies imminuta. Cum figura naturali folioli, drupæ, nucis, nucleique: quibus ſuperſtat Dermeſtis Bactridis. 2. Bactridis majoris drupa, nux, & nucleus, volumine naturali. 3. Palmæ Grigri dictæ drupa, nux, & drupa transverſim diſciſſa. 4. Palmæ Corozo fructus, nux, & nucleus.
CLXXII. Elæis guineenſis, magnitudine imminuta. Cum icone naturali fructus & nucis.
CLXXIII. 1. Sophoræ havanenſis flos. 3. Bauhiniæ glabræ flos, folium, & legumen. 4. Comocladiæ dentatæ folium. 5. Triplaris pyramidalis calyx fructiger, & ſemen. 7. Callicarpæ integrifoliæ flos. 11. Heliotropii gnaphalodis folium. 17. Beurreriæ exſuccæ flos, & fructus. 23. Erithalis odoriferæ flos, & fructus. 46. Bontiæ daphnoidis flos, & fructus. 54. Iatrophæ haſtatæ folium. 63. Tragiæ hexandræ folium.
CLXXIV. 12. Plumeriæ albæ flos; & piſtillum volumine auctum. 22. Pſychotriæ carthagenenſis flos, fructus, & folium. 34. Myroſpermi fruteſcentis flos, fructus, ſemen, & folium. 48. Niſſoliæ arboreæ flos, folium, fructus, & ſemen. 56. Capparidis haſtatæ folium. 66. Stemodiæ maritimæ folium. 67. Diospyri inconſtantis flores duo varii, fructus, & ſemen.
CLXXV. 9. Sideroxyloidis ferrei ramuſculi aphylli pars, utrinque truncata. 13. Tabernæmontanæ citrifoliæ flos, & fructus. 16. Cordiæ Gerascanthi flos. 24. Hybanthi havanenſis folium, capſula, & ſemen. 25. Ejusdem flos lente vitrea ad quadruplum auctus. 28. Aga-

ves cubenſis bulbillus ſoboles, ſtamen, piſtillum, & petalum. 36. Poincianæ coriariæ flos, legumen, & ſemen. 38. Trichiliæ havanenſis folium. 64. Gesneriæ tomentoſæ flos, & fructus tranſverſim diſciſſus. 68. Symploci martinicenſis flos.

CLXXVI. 30. Combreti ſecundi folium, flos, & fructus. 37. Meliæ Guaræ foliolum. 42. Hireæ reclinatæ folium. 52. Bignoniæ echinatæ ſiliqua & ſemen. 70. Bombacis pentandri flos, calyx, & piſtillum. 71. Bombacis quinati fructus. 76. Durantæ Plumieri fructus. 77. Durantæ Elliſiæ fructus. 78. Bignoniæ longiſſimæ ſemen.

CLXXVII. 2. Bauhiniæ aculeatæ folium, flos, legumen, & ſemen. 8. Ixoræ alternifoliæ flos, bacca, & ſemen. 21. Laugieriæ odoratæ flos, drupa, & nux. 31. Ximeniæ multifloræ folium, flos, & fructus. 41. Malpighiæ odoratæ folium, flos, & fructus. 49. Robiniæ violaceæ pedunculus biflorus. 50. Amerimni pinnati folium & flos. 75. Clinopodii martinicenſis calyx fructiger. 81. Mimoſæ tergeminæ flos.

CLXXVIII. 26. Bromeliæ Karatas flos, & fructus. 33. Coccolobæ leoganenſis folium. 53. Eugeniæ carthagenenſis folium, & ſemen. 80. Gyrocarpi americani folium longitudinaliter dimidiatum, fructus, ſemen, idemque transverſim diſſectum.

CLXXIX. 40. Goüaniæ glabræ folium, fructus integer, ejusdemque pars tertia bialata diſcedens, & ſemen. 44. Niſſoliæ fruticoſæ folium, flos, capſula, & ſemen. 87. Mimoſæ bigloboſæ ſpica cum pedunculo, receptaculum ſpicæ, flos integer ex globo ſpicato majori, ejusdem calyx & corolla diviſa expanſaque, & palea; flos ex globo minori, ſemper magis minusve incurvus, & forte ſolus fructifer. 88. Lobeliæ Plumieri flos, fructus, nux, eademque transverſim diſciſſa. 89. Epidendri ciliaris flos cum ſpadicis parte floribus proxima, utrinque abſciſſa; & fructus. 94. Pancratii littoralis flos. 95. Cinchonæ caribææ fructus integer, ejusdem pars dimidia, & ſemen. 98. Tamarindi indicæ fructus cortice exteriore ſeminudatus; ut in conſpectum prodeat pulpa ſeminibus fœta corticeque proprio & tenui veſtita, libere pendens ex filamentis a pedunculo propagatis. 99. Helicteris jamaicenſis fructus. 100. Lippiæ hemiſphæricæ ramuſculi fructigeri pars, ſemen, & receptaculum commune. 101. Robiniæ ſepium flos. 102. Smilacis havanenſis folium. 103. Smilacis haſtatæ folium.

CLXXX. 18. Ehretiæ ſpinoſæ folium, & ſpina ramuſculo aphyllo aucta. 29. Peplidis tetrandræ pars. 32. Paulliniæ triternatæ folium. 43. Cleomes ſerratæ folium. 45. Aniſophylli pinnati foliolum. 55. Mori Zanthoxyli folium. 57. Acalyphæ carthagenenſis folium. 58. Amerimni Brownei flos, duo legumina, & ſemen. 62. Geoffrææ ſpinoſæ flos, & fructus. 79. Bignoniæ orbiculatæ folium, ſiliqua, & diſſepimentum.

CLXXXI. 14. Tabernæmontanæ cymoſæ flos, & folliculus ſimplex; alteruter enim plerumque deficit. 15. Tabernæmontanæ amygdalifoliæ flos. 35. Anacardii occidentalis flos, & fructus. 51. Diphyſæ

ſæ carthagenenſis folium, pedunculus biflorus, vexillum, ala, carina, legumen, ejusdemque transverſe diſſecti delineatio. 65. Cacti triangularis folioſi fructus. 69. Capparidis nemoroſæ folium. 82. Mammeæ americanæ folium, fructus, & ſemen. 96. Aſtronii graveolentis calyx cum fructu & petalis ſuperſtitibus. 97. Helicteris apetalæ flos.

CLXXXII. 6. Petitiæ domingenſis folium. 10. Ciſſi alati folium. 19. Achradis Zapotæ majoris folium, & flos. 20. Portlandiæ hexandræ ramuſculus floriger truncatus, capſula, & ſemen. 84. Dolichi urentis flos, & legumen. 85. Dolichi altiſſimi flos, & folium. 86. Camerariæ latifoliæ flos & folliculi.

CLXXXIII. 27. Renealmiæ vel Tillandſiæ nondum determinatæ ſpicæ fructigeræ pars. 39. Securidacæ erectæ flos apertus, idem adhuc clauſus, fructus, & ſemen. 47. Iatrophæ integrifoliæ folium. 59. Myrti trifloræ folium; flos ſtaminibus orbatus, ut eorundem appareat receptaculum; & pedunculus floribus binis clauſis, intermedioque petalis jam delapſis deſtituto, onuſtus. 60. Laetiæ completæ folium. 61. Acalyphæ villoſæ folium. 72. Homalii racemoſi flos. 74. Teucrii cubenſis folium. 83. Securidacæ ſcandentis folium, & flos adhucdum clauſus. 92. Pterocarpi officinalis folium. 93. Mimoſæ polyſtachyæ flos, legumen, & ſemen.

BIBLIOTECA NACIONAL DE COLOMBIA
BOGOTA
LIBROS RAROS Y CURIOSOS

TAB. I.



Jacquin. ad vivum delineavit.

Alpinia spicata = Costus

TAB. II.



Fig. 4 Justicia pulcherrima

Fig. 2

Fig. 1



Fig. 3

Jacquin del.

TAB. III.

Jacquin. del.

3

TAB. IV.

Jacquin del.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, ſuperne ſenſim leviterque ampliatus, erectus, longiſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, acutis, planis, patentiſſimis, tubo triplo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, filiformia, orta in ſuperiore parte tubi corollæ, erecta, longitudine tubi. Antheræ ſubrotundæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubovatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Bacca ſubrotunda, ſubumbilicata, unilocularis.

SEM. unicum, ovatum, hinc convexum, inde concavo-umbilicatum.

Arbuſcula duodecimpedalis: *trunco* erecto. *Rami* teretes, longi, fragiles, ſubreclinati, ornantur utrinque ramuſculis junioribus alternis axillaribus plurimis. *Folia* ſunt lanceolata, acuta, integerrima, nitida, petiolata, alterna, in ramis junioribus pollices tres, in ſenioribus quatuor eosdem longa. *Racemi* ſubpaniculati, circiter duodecimflori, axillares, quadripollicares, in ramis junioribus, omnino numeroſi; *flores* ſuſtinent ſeſſiles, pollicares, de die prorſum inodoros, noctu odorem late exhalantes jasmino æmulum; quibus corolla interne alba eſt, externe leviter viret. *Baccæ* ſunt niveæ, ſicciores, ſpongioſæ, piſello duplo minores, paucæ. *Semina* fuſca abortant pleraque. Ultra unicum nunquam in una bacca inveni; utrum vero extiterint plura in germine, detegere non valui: etſi illud umbilicati ſeminis figura ſitusque videantur ſuadere. Propter fructus ſimilitudinem totiusque etiam habitum ad Chiococcam retuli; haud tamen ignarus, germinis foliorumque ſitum poſſe genus diſtinctum exigere. Domingenſes vocant *Lilac de nuit* ſive Syringam nocturnam.

Habitat in ſylvis Domingo.

## MUSSÆNDA.

CAL. Perianthium monophyllum, quinquefidum, germini inſidens, perſiſtens: laciniis oblongis, acutis, erectis.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, ſuperne ampliatus, erectus, longiſſimus, externe hirſutus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, acuminatis, planis, patentiſſimis, tubo brevioribus.

STAM. Filamenta vix ulla. Antheræ quinque, lineares, magnæ, incumbentes ſupremæ parti tubo.

PIST. Germen oblongum, villoſum, inferum, parvum. Stylus filiformis, erectus, ſuperne craſſiuſculus, longitudine circiter tubi. Stigma bifidum: laciniis craſſis, obtuſis, patulis.

PER. Bacca ſubovata, corticoſa, obtuſa, magna, coronata calyce, ſubbilocularis. Diſſepimentum membranaceum, tenue, ſæpe interruptum.

SEM. plurima, ſubovata, compreſſo-plana, cartilaginea, transverſim &

TAB. V.

Jacquin. del.

TAB. VI.



Jacquin. del.

TAB. VII.

Jacquin del.

TAB.VIII.

Jacquin del.

TAB. IX.



Joaquin del.

Jacquin. del.

TAB. XI.

Jacquin del.

TAB XII.

Jacquin. del.

TAB. XIII.

Jacquin del.

TAB. XIV.

Jacquin del.

denſe mutuo incumbentia, diſpoſita ſerie longitudinali quadruplici, pulpa obvoluta.

1. MUSSÆNDA (*formoſa*) inermis; floribus ſolitariis, ſeſſilibus. TAB. XLVIII.

Frutex hic debilis erectusque, ſextum raro altitudine pedem ſuperat. *Ramis* inſtruitur lentis, lignoſis, parum diviſis, teretibus, glabris, ornatisque per totam longitudinem *foliis*. Hæc ſunt lanceolata, utrinque attenuata, acuta, integra, leviſſime hirſuta, petiolata, oppoſita, magnitudine valde varia, interdum etiam obovata baſique ſimul attenuata, quatuor plerumque ex eodem tuberculo. *Flos* ſeſſilis, ſolitarius in centro cujusque tuberculi, erectus, quatuor vel ſex pollices longus, odorem ſpirat noctu præprimis ſuaveolentem, in quo Dianthi aliquid mihi viſus ſum deprehendere. Huic calyx eſt ſemiquinquefidus, tubuloſus, villoſus, vel in ipſo ſæpe fructu perſiſtens integer. Corollæ tubus longiſſimus, tenuis, viridis, hirſutiſſimus; laciniæ vero interne candidiſſimæ, externe longitudinaliter ſemicandidæ glabræque & ſemivirides villoſæque. Filamenta omnium ſunt breviſſima, & antheras gerunt utrinque obtuſas. Stigmatis laciniæ ſunt ovales. *Bacca* decemſtriata pulpam continet odore ſapore & colore pulpam Caſſiæ Fiſtulæ referentem. Pulcherrimum præbet hic frutex, quum floret, ſpectaculum; alias ſatis inelegans: tunc enim corollarum limbis ceu ſtellis totidem niveis atque odoratiſſimis tegitur totus undique, dum tubi ipſarum ob virorem foliis ſimilem oculos fugiunt ſpectatoris.

Habitat paſſim Carthagenæ in ſylvaticis & fruticoſis. Floret Octobri. Fructus matureſcunt Decembri, diutiſſimeque perſiſtunt.

2. MUSSÆNDA (*ſpinoſa*) ſpinoſa; floribus ſeſſilibus, aggregatis. TAB. XLIX.

Arbuſculæ hujus decempedalis atque inelegantis *truncus* rariſſime diametrum tripollicarem excedit, ſæpe mox ſupra terram diviſus in ramos primarios paucos. *Rami* ſunt teretes, glabri, lignoſi, brachiati, lenti; quorum longiores vicinarum arborum ſuſtentaculo egent. Ramuſculi ultimi in extremitate ipſa aut prope eandem armantur *ſpinis* quatuor, ſubulatis, acuminatis, fortibus, patentibus, cruciatim poſitis, in ramis etiam ſenioribus hic illic conſpicuis. *Folia* ſunt ſubovata, utrinque attenuata, acuta, integra, venoſa, interdum rugoſa, utrinque ſubhirſuta, petiolata, magnitudine admodum variantia, numero inconſtanti pauca ſimul ex apicibus ramuſculorum inter ſpinas prodeuntia. *Flores* ſeſſiles, ſemipollicares, aut ſesquipollicares, totam odore ſuaviſſimo viciniam replentes, quatuor circiter ex apice cujuslibet ramuſculi ſimul orti, mutuo ita in explicatione ſuccedentes, ut quotidie ſub veſperam decidentibus priorum corollis, novorum aliæ ex-

plicen-

TAB. XV.

Jacquin del.

TAB XVI.



Jacquin. del:

TAB.XVII.

Jacquin del.

TAB XVIII.

Jacquin del.

TAB. XIX.



Jacquin. del.

TAB XX.

Jacquin. del.

TAB. XXI.



Jacquin. del:

ZT.

TAB. XXII.

Jacquin. del:

TAB. XXIII.

Jacquin del.

TAB XXIV.

Jacquin. del.

plicentur, ſequente etiam veſpera ipſæ perituræ. Calyx profunde quinquefidus & glabriuſculus in lacinias dividitur figura & proportione quam maxime varias, numero conſtantes a me ſemper obſervatas; unde, ſi recte numeraverit Læflingius, vix videtur ipſius Menais *biſp.* 306. ad hoc genus pertinere. Petali candidi tubus longitudine lacinias ad triplam, duplam, unamve tertiam ſuperat partem. Filamentorum omnino ſunt veſtigia nulla: antheræ autem acutæ media ſui parte adnaſcuntur ſupremo corollæ tubo infra diviſuras; unde pro varia quidem inſertionis ſuæ altitudine, aut eriguntur, aut incumbunt ſulcis a contiguis laciniis limbi ortis. Stylus longior vel brevior tubo corollæ, vel eidem æqualis, ſtigmate gaudet interdum globoſo didymoque, ſæpius tamen in lacinias oblongas bipartito. *Bacca* non ſtriata, coronata calycis parte dumtaxat aliqua, cortice veſtitur duriori, primum flaveſcente, tandem fuſco. Pulpam præcedentis pulpæ ſimillimam cum ipſis ſeminibus ab animalibus, neſcio quibus, comeſtam, foramine in cortice eroſo, plerumque inveni. Folia & flores eodem ſolent faciem vertere, quo ſpecioſum ſæpe faſciculum efformant. Hiſpanis propter ſitum ſpinarum vocatur *Cruzeta*, ſive Crucicula.

Habitat Carthagenæ & in Martinica; in ſylvaticis & fruticoſis. Floret Majo & Junio.

## HAMELIA.

CAL. Perianthium quinquepartitum, minimum, acutum, erectum, coloratum, germini inſidens, perſiſtens.

COR. monopetala, tubuloſa. Tubus oblongus, in medio attenuatus, baſi ipſo germine amplior, quinquangularis, erectus, longiſſimus. Limbus quinquepartitus, acutus, erectus, parvus.

STAM. Filamenta quinque, filiformia, erecta, orta in parte inferiore tubi, antheris breviora. Antheræ lineares, erectæ, longitudine corollæ.

PIST. Germen ovatum, coloratum, apice conico obtuſo calyceque paulo longiori. Stylus filiformis, erectus. Stigma lineare, obtuſum, longitudine ſtaminum.

PER. Bacca ovato-oblonga, coronata denticulis calycinis, nitida, e centro apicis retuſi producta in appendiculum obtuſo-conicum umbilicatumque, quinquelocularis. Diſſepimenta membranacea.

SEM. numeroſa, compreſſa, minima, nidulantia.

1. HAMELIA (*erecta*) racemis erectis.

Frutex quinquepedalis, erectus, ramoſus: *caulibus* inferne teretibus, lignoſis, glabris; ſuperne obtuſe triangularibus & villoſis. *Folia* ſunt terna, poſita in coſtis caulinis extantibus, ovata, acuminata, integerrima, utrinque ſubtomentoſa, tres quatuorve pollices longa; petiolis, in dorſo venis, nervoque

TAB XXV.



Jacquin. del

TAB. XXVI.

Jacquin. del.

TAB. XXVII.

Jacquin del.

TAB XXVIII.

Jacquin del.

TAB. XXIX.



Jacquin del.

TAB. XXX.

Jacquin del.

TAB. XXXI.

Jacquin del.

TAB. XXXII.

Jacquin del.

TAB XXXIII



Jacquin del.

TAB. XXXIV.

*Jacquin. del.*

voque medio utrisque, rubentibus. *Racemi* rubri, terminales, quaterni, erecti, secundi: quorum tres situ sunt exteriores & ad basin compressiusculi, subdividunturque in tres alios consimiles; quartus autem inter priores medius & triangularis in tres itidem exteriores basique compressiusculos abit quidem, sed & habet intermedium triangularem pariter sibi similem. Omnes hi *racemuli* ultimi sunt triflori vel quadriflori; *pedunculis propriis* unifloris, rubris, & brevissimis. *Flores* sunt pollicares, inodori, toti subcoccinei. *Baccæ* nigræ succum continent atropurpureum. Plantam hanc a viro clarissimo Joanne Baptista Du Hamel du Monceau, rei maritimæ inspectore generali, &c., operibus etiam Botanicis illustri, dicere volui.

Habitat in sylvis Carthagenensibus; copiose vero in insula Mango.

2. HAMELIA (*patens*) racemis patentibus. TAB. L.

Frutex quinquepedalis, præcedenti in omni parte simillimus; præterquam quod in hoc *racemi* semper pateant, nec ordine constanter eodem dividantur; exterioribus scilicet bifidis; singulis circiter sexfloris. Florum perianthium & germen sunt coccinea, corolla miniata. Nullus dubito, quin ad idem pertineant genus plantæ illæ, quas exhibuit nobis Plumierus in tabulæ 218. figuris 1. & 2.

Habitat in Domingo in proclivibus montium fruticosis.

## ERITHALIS.

1. ERITHALIS (*odorifera*) arborea, erecta. TAB. CLXXIII. Fig. 23.

Sambucus ligno duro, odoratissimo; seu Santalum racemosum, foliis obtusis. *Plum. ic.* 249. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, quinquedentatum, acutum, minimum, germini insidens, persistens.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, brevissimus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, planis, obtusis, longis, patenti-reflexis.

STAM. Filamenta quinque, subulata, erecta, orta in fundo tubi, quo paulo longiora. Antheræ lineares, acutæ, erectæ, corolla paulo breviores.

PIST. Germen subrotundum, inferum. Stylus filiformis, superne compressus, fere longitudine staminum. Stigma simplex.

PER. Bacca subrotunda, coronata calyce, unilocularis.

SEM. plura, hinc convexa, inde angulata.

Arbor erecta, elegans, ramosa, quindecimpedalis. *Folia* subovata, obtusa cum exiguo acumine, nitida, integerrima, saturate virentia, petiolata, opposita, tripollicaria. *Racemi* compositi, corymbosi, axillares, oppositi.

*Flores*

TAB. XXXV.

Jacquin del.

TAB. XXXVI.

Jacquin del.

TAB XXXVII.

Fig 2



Fig 1





Jacquin del.

TAB. XXXVII.*

Jacquin del.

TAB. XXXVIII.

Jacquin del.

Jacquin del.

TAB. XL.

Jacquin del.

Batis maritima
40

TAB. XLI.

Jacquin del.

TAB. XLII.

Jacquin del.

TAB.XLIII.

Jacquin del.

2. EHRETIA (*ſpinoſa*) ſpinoſa. TAB. CLXXX. Fig. 18.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis lanceolatis, concavis, acutis, erectis.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, longitudine calycis. Limbus quinquefidus: laciniis ſubovatis, obtuſis, reflexis, longitudine tubi.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erectiuſcula, orta in parte ſuperiore tubi corollæ, qua paulo breviora. Antheræ oblongæ, utrinque ſulcatæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus profunde bifidus: laciniis ſubulatis, canaliculato-carinatis, marginibus ſuperne villoſis, patentibus, longitudine tubi corollæ. Stigmata ſimplicia, villoſa.

PER. Bacca ſubrotunda, unilocularis.

SEM. quatuor, hinc convexa, inde angulata, pauca pulpa diſtincta.

Diametro tres quatuorve pollices ſæpe æquans hujus arboris *truncus*, jam mox ſupra ſolum dividi ſolet in ramos plerumque tres, qui, ceu totidem trunci, viginti quinque vel triginta pedum longitudinem adipiſcuntur. Hi, paucis ſimilibus in progeſſu ramis emiſſis, vix ad decimum altitudinis pedem perveniunt, quin jam terram verſus incurventur, arborumque vicinarum ramis, quibus valide ſuſtententur, egeant. Ornantur vero ſparſim *ramulis* lateralibus plurimis, iisdemque breviſſimis. *Cortice* veſtiuntur cinereo glabroque. *Spinæ* in ramulis ſubaxillares, in trunco ramisque primariis ſparſæ, adſunt ligneæ, fortes, ſubulatæ, breves, craſſiſſimæ; quarum ſeniores frequenter ex media ſui parte ramulum emittunt perpendicularem, folioſum, ejusdem ſecum longitudinis. *Folia* ſunt oblonga, baſi attenuata, obtuſa, integra, interdum ſubrepanda, nitida, breviter petiolata, tres vel quatuor pollices longa, numero inconſtanti ut plurimum quinque vel ſex prodeuntia ex eodem tuberculo, quotannis decidua. *Racemi* breves, ſubcorymboſi, ramoſi, ſtipulis ſubulatis ſuffulti, e centro tuberculorum enaſcuntur, non raro ante novorum foliorum eruptionem. *Flores* plurimi, parvi, corollis flaveſcentibus. Styli laciniæ haberi pro ipſo ſtigmate bipartito poſſunt, cujus ſingulari fit ſtructura, ut introſpicienti oculo armato vel in ipſum germen aditus pateat. *Fructus* piſi magnitudine rubent. Incolis vocatur *Cacaracacara*. Habitu hæc planta valde diverſa eſt a priore; flore tamen, præterquam in calyce ſtyloque diviſis, cum eadem valde convenit. Utriusque completum characterem adduxi; ut, qui me intelligentiores ſint, judicare queant, rectene conjunctæ ſint, an ad diverſum genus referendæ?

Habitat Carthagenæ in ſylvis denſis. Floret Auguſto, fructumque fert maturum ſub finem Octobris.

TOUR-

*Flores* numeroſi, caduci, petalis albis, magnam partem hexandri cum calyce corollaque ſexfidis, ſuaveolentia ſua perfecte imitantur Syringam vulgarem. *Baccæ* ſunt parvæ & purpureæ. *Semina* numero inconſtanti ſunt circiter novem. Forte Erithalis utraque Brownei mearum dumtaxat conſtituit varietatem; ſed quum iſtas ego non viderim, ille autem admodum deſcripſerit compendioſe, nihil auſim definire.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

β. ERITHALIS (*inodora*) fruticoſa, procumbens.

Frutex hic bipedalis, *ramis* procumbentibus diffuſisque, cæterum adeo eſt ſimilis præcedenti; ut pro ſpecie diſtincta offerre non ſuſtinuerim. Allatum fortaſſe diſcrimen induxit ſoli ingens differentia; nam incolit amfractus rupeſtres maritimos, terra fere omni deſtitutos. *Folia* etiam habet craſſiora & numeroſa: *baccas floresque* minores, hos inodoros, illas albidas rariſſimeque purpureas.

Habitat paſſim in Curaçao.

## VISCOIDES.

1. VISCOIDES (*pendulum.*) TAB. LI. Fig. 1.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, quinquedentatum, acutum, coloratum, germini inſidens, perſiſtens.

COR. monopetala, hypocrateriformis. Tubus cylindraceus, ſuperne leviter ampliatus, erectus, longiſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, parvis, patentiſſimis.

STAM. Filamenta quinque, . . .

PIST. Germen ſubrotundum, coloratum, inferum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma . . .

SEM. . . . .

Planta fruticoſa, ramoſa, in truncis arborum ſeniorum paraſitica: *ramis* teretibus, glabris, pendulis. *Folia* ſunt lanceolata, ſubfalcata, acuminata, integerrima, avenia, nitida, craſſa, ſubdiſticha, petiolata, oppoſita, plus minus ſesquipollicaria. *Racemi* compoſiti, corymboſi, rubentes, penduli, terminales & axillares. *Flores* inodori, ſemipollicares, calyce germineque rubris, corollis albis. Plantam hanc plenius deſcribere neglexi; nomen itaque fluxum impoſui, donec certum ſtatuat partium deſideratarum cognitio.

Habitat in Martinicæ ſylvis.

TAB. XLIV.

Jacquin del.

TAB.XLV.



Jacquin del.

TAB.XLVI.



Jacquin del. 46

TAB. XLVII.

Jacquin del.

# TAB.XLVIII.

Jacquin del.

TAB.XLIX.

Jacquin del.

TAB. L.

Jacquin del.

TAB. L I.

Fig. 3

Fig. 2

Fig. 1

Jacquin del.

Fig. 1.

Fig. 2.

Jacquin del.

TAB. LIII.

Jacquin del.

## RHAMNUS.

1. RHAMNUS (*iguanæus*) ſpinoſus; racemis axillaribus; floribus quinquefidis, moncœcis.

Rhamnus ſpinis ex alis foliorum ſolitariis in ramos tranſeuntibus. *Linn. hort. Cliff.* 70.

Jujube americana loti arboris folio & facie, fructu rotundo parvo dulci. *Comm. hort.* 1. *p.* 141. *t.* 73.

Arbuſcula inelegans. *Rami* lenti, longiſſimi, vix diviſi, reclinati, per totam ſæpe longitudinem ornantur *ramuſculis* alternis, diſtichis, ſuperioribus gradatim brevioribus. *Spinæ* axillares ad folia & ramuſculos, ſubulatæ, acutiſſimæ, fortes, breves, recurvæ, ſolitariæ, vel geminæ. *Folia* ſunt lanceolata, acuminata, leviter hic illic dentato-ſerrata, glabra, petiolata, alterna, diſticha, ut plurimum longa pollices tres quatuorve, rarius octo. Ex axillis egrediuntur *racemi* parvi, ſolitarii, vel bini, vel terni. *Flores* ſunt moncœci, exigui, & flavi; in quibus calyx dividitur in lacinias quinque, ovatas, concavas, & patentes; tubo vix ullo. Squamulæ nullæ adſunt. Styli in fœminis ſunt duo patulique, ſtigmatibus bifidis. In maribus loco piſtilli eſt corpus oblongum, truncatum, calyce duplo brevius. *Fructus* eſt drupa ſubrotunda vel ovata, coronata ſtylo emarcido, flava, piſello duplo major, pulpam continens dulcem pueris barbarisque expetitam. *Nux* eſt rugoſa, craſſa, oſſea, alba, unilocularis. Curaçavienſibus vocatur *Wilde Kerſeboom* ſive Ceraſus ſylveſtris, atque etiam *Iguaenbeſienboom* ſeu Baccifera arbor Iguanarum; quod ſoleat hæc arbuſcula iisdem in locis creſcere, in quibus hæ lacertæ degunt; incolit enim rupeſtria fruticoſa, ruderata, ſepes apricos, ſepta lapidea, ſimiliaque; quamvis etiam non infrequenter in meliori ſolo reperiatur.

Habitat in plerisque Caribæis & in Continente vicina.

2. RHAMNUS (*colubrinus*) inermis; floribus monogynis, hermaphroditis; capſula triloculari; ramis foliisque horizontalibus; floribus ſurſum verſis.

Rhamnus arboreus foliis ovatis venoſis, capſulis ſphæricis, inferne ad medietatem calyptratis, pedunculis umbellulatis alaribus, cortice glabro. *Brown. jam.* 2. *p.* 176.

Arbor baccifera indica, foliis majoribus ſplendentibus, flore pentapetalo. *Comm. hort.* 1. *p.* 175. *t.* 90.

Arbor eſt erecta. *Rami* plerique horizontaliter patent. Hi juniores cum petiolis, pedunculis, & externa foliorum calycumque facie, tomento obducuntur levi. *Folia* ſunt ex oblongo ovata, acuta, integra, ſuperne glabra & ſplendentia, petiolata, alterna, plerumque diſticha. *Racemi* breves, co-

rymbo-

TAB. LIV.

Jacquin del.

54

TAB. L V.

Jacquin del.

55

Cynanchum planiflorum

TAB. LVI.

Jacquin del.

56

Cyrtandrum maritimum

TAB. LVII.

Jacquin del.

57

Cynanchum altissimum

TAB. LVIII.

jacquin del.

Cynanchum undulatum

TAB. LIX.

Jacquin del.

59

Cyrtanthum longiflorum

# TAB. LX.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 1.

Cynanchum filiforme

Fig. 4.

jacquin del.

TAB. LXI.

Jacquin del.

TAB. LXII.

Jacquin del.

TAB.LXIII.

Jacquin del

rymboſi, circiter ſeptemflori, axillares. *Flores* inodori, omnes ſurſum ſpectantes, ſquamis virentibus. Calyx profunde quinquefidus. Antheræ extra ſquamulas prodeunt. Stylus ſimplex in ſtigma definit trifidum. *Capſula* ſubrotunda, triſulcata, trilocularis, trivalvis; valvulis apice bifariam dehiſcentibus. *Semina* ſolitaria, ſubrotunda, compreſſiuſcula, emarginata, atra, nitidiſſima. Gallis Martinenſibus dicitur *Bois couleuvre* ſive Arbor colubrina. In ſylvis altis montoſis ad viginti pedes excreſcit, in fruticoſis maritimis raro ſeptimum attingit: hic folia quadripollicaria, illic ſemipedalia habet. Tomentum in Cuba argenteum, alibi ſemper ferrugineum obſervavi.

Habitat in inſulis ſancti Martini, Domingo, Cuba, & Jamaica. Vidi florentem Januario, Junio, & Novembri.

3. RHAMNUS (*cubenſis*) inermis; floribus monogynis, hermaphroditis; capſula triloculari; ramis foliis floribusque quaquavorſum ſpectantibus.

Arbuſcula erecta, ſeptempedalis, ramoſa, habitu proxime accedit ad Viburnum Lantanam. *Folia* ſunt ovata, utrinque obtuſiſſima, integerrima, utrinque tomentoſa, petiolata, alterna, quadripollicaria. *Flores* & *fructus* omnino, quales in præcedente.

Habitat paſſim in fruticetis maritimis Cubæ.

## RUYSCHIA.

1. RUYSCHIA (*cluſiæfolia.*) TAB. LI. Fig. 2.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, conniventibus, imbricatis. Auctum baſi ſquamis duabus, foliolorum conſimilibus: inter easdemque appendice obovato, acuto, perpendiculariter dependente, antice convexo, poſtice concavo, majori foliolis.

COR. Petala quinque, ovata, planiuſcula, obtuſa, reflexa, calyce triplo longiora.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, plana, patula, petalis breviora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovato-ſubrotundum. Stylus nullus. Stigma quadrangulare, cruciforme, planum.

PER. Bacca, . . .

SEM. . . . .

Planta ſuffruticoſa, bipedalis, arboribus pareſitica innaſcitur. *Folia* ſunt obovata, obtuſa, integerrima, nitida, avenia, craſſa, breviter petiolata, alterna, quadripollicaria. *Racemi* ſimpliciſſimi, terminales, erecti, novempollicares; *pedunculo communi* tereti, glabro, craſſoque; *propriis* brevibus, ſparſis,

TAB. LXIV.

Jacquin del.

Jacquin del.

TAB. LXVI.

Jacquin del.

TAB. LXVII.

Jacquin del.

TAB. LXVIII.

Jacquin del.

Loranthus spicatus

TAB. LXIX

Jacquin del.

TAB. LXX.

Jacquin del.

Fig. 2

Fig. 1

Fig. 4



Fig. 3

Jacquin del.

TABL. XXII.

Jacquin del

TAB. LXXIII.

Jacquin del.

fis, patentibus, numerosis. *Flores* inodori, parvi; petalis purpureis; filamentis etiam purpureis, sæpe septem, interdum sex, plerumque quinque. *Fructum* videre maturum haud contigit, quem baccam evadere, conjeci. Ob foliorum cum Clusiæ foliis similitudinem apud incolas nomen sortitur *Aralie à petites feuilles*, sive Clusiæ parvifoliæ. In memoriam celeberrimi Ruyschii plantam hanc nominavi; quandoquidem quæ sub hoc olim nomine planta venit, fuerit ad Dracocephala verius relata.

In Martinicæ sylvis vastis humidisque habitat. Florentem vidi Aprili.

## BYTTNERIA.

1. BYTTNERIA (*aculeata.*) *Linn. syst. A. p.* 939. *Læfl. hisp.* 313.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquefidum, deciduum: laciniis ovato-acuminatis, patentissimis, planis, subcoloratis.

COR. Petala quinque, oblonga, superne latiuscula & concava, brevia, introrsum conniventia, laciniis calycinis angustiora: terminata in setam subulatam, longam, basi nectario incumbentem atque contiguam, at non accretam, dein erecto-patentem, calyce longiorem; & in alias setulas duas, laterales, breves, & reflexas.

Nectarium pentaphyllum, ventricoso-campanulatum, calyce brevius: foliolis obovatis, obtusis, planis, erectis, per filamenta semiconnatis.

STAM. Filamenta quinque, subulata, extra nectarium ex ejusdem proximis duobus foliolis orta singula, patula, longitudine fere nectarii. Antheræ in quolibet filamento geminæ, subrotundæ, bifidæ, distinctæ.

PIST. Germen quinquangulari-subrotundum, verrucosum, nectario brevius, in cujus centro. Stylus subulatus, brevis. Stigma obtusum, obsolete quinquefidum.

PER. Capsulæ quinque, subrotundæ, compressæ, apophysibus circiter octo pungentibus variæque longitudinis armatæ, uniloculares, non dehiscentes, margine interiore truncato simul adhærentes receptaculo communi centrali subulato. Vel Capsula (si mavis) pentacocca, ad centrum usque divisa.

SEM. solitaria, ovata, compressa, latere interiori acuto.

Planta sarmentosa, diffusa quaq[illegible]vorsum, habitu ad Rubum fruticosum quodammodo accedit. *Caules* sunt perennes, sublignosi, quinquangulares, sulcis angulisque obtusis, armati *aculeis* recurvis sparsis & numerosis, arbusculis fruticibusque partim sese sustentantes. *Ramusculi juniores* teretes, aculeati, alterni. *Folia* glabra, integerrima vel serratura una alterave incisa, alterna, quotannis decidua, petiolo costaque media aculeatis in dorso; in ramis senioribus ovata, acuta, quadripollicaria vel longiora; in junioribus

lanceo-

TAB. LXXIV.

Coccoloba obtusifolia

Jacquin del.

TABL. XXV.

Jacquin del.

TAB. LXXVI.

Jacquin del.

76

TABL XXVII

Jacquin. del:

77

Coccoloba coronata

= C. punctata L. 1762

TAB. LXXVIII.

Jacquin del.

TAB. LXXIX.



Jacquin del.

TAB. LXXX.



Jacquin. del:

TAB. LXXXI.

Jacquin del.

TAB LXXXII

Jacquin. del

TAB. LXXXIII.

Jacquin del.

lanceolato-acuminata, minora. *Racemi* breves, aggregati & axillares in ramis junioribus. *Flores* inodori, parvi, albicantes, numeroſiſſimi, charactere gaudent ſupra a me præmiſſo; quem in America concinnatum, denuo in floribus, quos altero ætatis anno in caldariis horti Botanici haud ita nuper plurimos produxit, confirmatum inveni. Verbis hic tantum diſcrepat a charactere Læflingii, qui mihi videtur in flore exiguo & ſtructuræ ſingularis partes conſtituentes male intellexiſſe, & hinc alias pro aliis nominaſſe. In edita autem mea *Enumeratione*, quo tempore Læflingii opuſculum nedum poſſidebam, pro novo genere Chætææ nomine plantam hanc propoſui; neque enim ullo poteram modo combinare floris characterem meum cum Linnæano, in ſyſtemate paginis 907. 939. & 1365. dato; ut patebit inſpicienti.

Habitat paſſim Carthagenæ ad ſemitas in cacumine montis de la Popa; & in Domingo in fruticetis maritimis. Floret Septembri & Octobri.

## SAUVAGESIA.

1. SAUVAGESIA (*erecta.*) TAB. LI. Fig. 3. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 203.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis lanceolatis, acuminatis, concavis, patentibus.

COR. Petala quinque, rhomboideo-ovata, acuta, plana, patentia, longitudine calycis.

Nectarii foliola quinque, oblonga, obtuſa, erecta, petalis duplo breviora, cincta pilis pluribus brevioribus & filamenta mentientibus.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima, intra nectarium. Antheræ lineares, erectæ, acutæ, nectario paulo breviores.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, erectus, fere longitudine nectarii. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Capſula oblongo-ovata, acuminata, longitudine calycis, unilocularis, apice trifariam dehiſcens.

SEM. plurima, minima, ſerie longitudinali affixa infra diviſuras capſulæ dehiſcentis.

Plantula hæc ſemper erecta, pedem vix unquam altitudine excedit. *Caules* ſunt teretes, ramoſi, & herbacei. Folia ovato-lanceolata, acuta, ſerrata, glabra, alterna, petiolata. *Stipulæ* lanceolatæ, acuminatæ, in marginis ambitu ornatæ ciliis ſetoſis. *Pedunculi* uniflori, axillares, ſolitarii, foliis duplo breviores, erecti in flore, deflexi in fructu. *Flores* inodori, petalis atque nectario candidis. *Radix* fibroſa, forte plusquam annua.

Habitat in Martinicæ pratenſibus montoſis.

## HYBANTHUS.

1. HYBANTHUS (*havanenſis.*) TAB. CLXXV. Fig. 24. & 25.

Calceolaria fruteſcens. *Læſl. hiſp.* 185?

TABL XXXIV.

Jacquin del.

TAB. LXXXV.

Jacquin del.

Jacquin del.

# TAB. LXXXVII.

Jacquin del.

# TAB. LXXXVIII.

Jacquin del.

# TAB. LXXXIX.



9.



10

Fig. 1

7.

6

5.



4.

2.

3.

8



11

Jacquin del.

TAB. XC.



Jacquin deb.

90

TAB. XCI.

Jacquin del.

TAB. XCII.

Jacquin del.

TAB. XCIII.



Jacquin del.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ovatis, concavis, acutis, parvis; quorum duo anteriora erecta; his oppoſita tria reliqua baſi in gibbum protruſa.

COR. Petala quinque: quorum quantuor anteriora ovata, erecta, concava, obtuſa; quintum oblongum, in medio attenuatum, erectum, marginibus conniventibus ſubcanaliculatum, reliquis paulo longius, apice bifidum, laciniis ſubrotundis & obtuſis.

Glandula nectarea ſuborbiculata, depreſſo-plana, maxima, locata in gibbo calycis inter ſtamina petalumque quintum.

STAM. Filamenta quinque, ovata, concava, compreſſa, conniventia, ad apicem aucta appendice membranaceo, petalis anterioribus breviora. Antheræ in ſingulis filamentis infra appendicem geminæ, oblongæ, longitudinaliter adnatæ parieti interno filamentorum.

PIST. Germen ovatum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine corollæ. Stigma ſimplex.

PER. Capſula ſubrotunda, triſulcata, ſtyli parte exigua acuminata, inflata, unilocularis, trivalvis.

SEM. pauca, globoſa.

Frutex inelegans, erecta, ramoſa, ſeptempedalis. *Aculei* ſubulati, ſparſi, rari. *Folia* oblonga, utrinque attenuata, emarginata, leviter ſerrata, glabra, petiolata, plura ſimul ex eodem tuberculo prodeuntia. *Pedunculi communes* breves, ſuperne bifidi, pauciflori, ex eodem cum foliis tuberculo unus alterve. *Flores* exigui, inodori, corollis albidis, vix oculo nudo examinandi; unde ſub figura vigeſima quinta ad quadruplum auctum florem exhibui. *Fructus* piſi magnitudine majoris. A florum gibbo *Hybanthum* vocavi. Habitat in montibus ſylvaticis circa Havanam.

## CONOCARPUS.

1. CONOCARPUS (*erecta*) erecta, foliis oblongis. TAB. LII. Fig. 1.

*Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 176.

Conocarpus foliis oblongis, petiolis brevibus, floribus in caput conicum collectis. *Brown. jam.* 2. *p.* 195.

Conocarpus Manghana arbor curaſſavica, foliis ſalignis. *Catesb. car.* 2. *p.* 33. *t.* 33.

Alnus maritima myrtifolia coriariorum. *Pluk. alm.* 18. *t.* 240. *f.* 3.

Alni fructu laurifolia maritima. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 18. *t.* 161. *f.* 2.

Frutex inſtar ſalicis pumilæ, foliis ſalignis. *Marcgr. braſ. l.* 2. *c.* 13.

Innominata. *Plum. ic.* 154. *f.* 2.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, ſemiquinquefidum, germini inſidens, deciduum: laciniis ſemiovatis, acutis, erectis.

COR.

TAB. XCIIII.



jacquin del.

TAB. XCV.

Jacquin del.

TAB. XCVI.

Jacquin del.

TAB. CVII.

TAB. XCVIII.

Jacquin del.

Jacquin del.

TAB. C.

jacquin del.

TAB. CI.

Jacquin del.

TAB. CII.



Jacquin del.

TAB. CIII.

Jacquin del.

COR. nulla.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen angulato-compreſſum, parvum, inferum. Stylus filiformis, erectus. Stigma obtuſum.

PER. nullum a ſemine diſtinctum.

SEM. unicum, obovatum, inæquale, compreſſum, hinc gibbum, illinc planiuſculum, margine membranaceo craſſo utrinque prominente.

Arbor hæc erecta, ramoſa, altitudine triginta ſæpe pedes ſuperat. *Rami* juniores ſunt angulati. *Folia* habet lanceolato-oblonga, acuta, integerrima, ad tactum pinguia, alterna, petiolata, numeroſa. *Racemi* ſimplices, laxi, ſæpe folioſi, terminales ſunt & axillares; *pedunculis* gerentibus receptaculum, quod germina in capitulum colligit ſubrotundum. *Flores* exigui flaveſcunt, in Martinica decandri, ſtaminibus calyce duplo longioribus; alibi pentandri, ſtaminibus calycem non ſuperantibus, at ſuperante hunc ad duplum ſtylo. *Capitulum* in floribus globoſum, in fructibus obtuſo-conicum. Hiſpanis dicitur *Mangle Zaragoza.*

Habitat in inundatis & littoribus maritimis Caribæarum vicinæque Continentis.

2. CONOCARPUS (*procumbens*) procumbens; foliis obovatis. TAB. LII. Fig. 2.

Conocarpus procumbens; foliis ſubrotundis. *Linn. ſp. pl. 2. p. 177.*

Rudbeckia ſupina, foliis ſubrotundis. *Amm. herb.* 581.

Frutex ramoſiſſimus, totus fere procumbens, rupium ſeſe accommodat amfractibus. *Folia* habet obovata, interdum ad ſubrotundam figuram tantillum accedentia, obtuſa cum acumine, nitida, integerrima, alterna, petiolata, pollicaria aut ſesquipollicaria, in margine laterali ad baſin utrinque inſtructa glandula oblonga. *Flores* pentandri & hexandri; cæterum quales in præcedente; at minora omnia. Vix credo, Conocarpi erectæ folia glandulas habere; opinor enim, illas fugere me non debuiſſe, cum in delineatione iconis, tum in repetito ejusdem examine. Nec tamen negare auſim; quum, poſteaquam in procumbente eas obſervaveram, in illa quærendi defuit occaſio. Porro animadvertens ego, quo magis hunc fruticem reperiebam ab ipſo mari ſoloque rupeſtri remotum, eo accedere magis ejus folia ad figuram foliorum Concocarpi erectæ, eoque plures erigi ramuſculos aliquot, ferme in hanc opinionem fuiſſem inductus, inter utramque ſolum varietatis diſcrimen dari; dummodo circa Havanam, ubi tot vigebant procumbentes, vere erectam invenire unicam potuiſſem. At hic æque exulat erecta, atque procumbens in locis illis, ubi innumeræ creſcunt erectæ, etiam bipedales nanæ pariterque floriferæ.

Habitat in rupibus maritimis Cubæ.

3. CONO-

Jacquin del.

TAB. CV.

Jacquin deb.

Jacquin del.

Jacquin del.

Jacquin del.

1

2

3

4

Jacquin del.



Lecythis minor

Jacquin del.

TAB. CXI.

Jacquin del.

TAB. CXII.

Fig. 1

2

Jacquin del.

112

TAB. CXIII.

Jacquin del.

3. CONOCARPUS (*racemoſa*) floribus completis, remotis. TAB. LIII.

Conocarpus foliis ovali-oblongis, petiolis biglandulosis, fructificationibus racemoſis. *Linn. ſyſt. A. p.* 930.

Conocarpus foliis elliptico-ovatis, petiolis biglandulatis, racemis laxis, fructibus ſejunctis. *Brown. jam.* 1. *p.* 159.

Mangle foliis ellipticis ex adverſo naſcentibus. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 68.

CAL. Perianthium monophyllum, ſubrotundum, quinquefidum, germini inſidens, perſiſtens: laciniis ſubrotundis, parvis, obtuſis, erectis.

COR. Petala quinque, ſubrotunda, concava, obtuſa, patula, minima, vix ſuperantia lacinias calycis, e cujus inciſuris, caduca.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, erecta, alterna breviora, orta in tubo calycis, cujus fere longitudine. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen verticaliter ſubcordatum, compreſſum, in utroque latere ſub calyce auriculatum ſquamula perſiſtente, apice depreſſo ornatoque intra calycem ſtellula orbiculari villoſa decemradiata, inferum. Stylus ſubulatus, erectus, ſtaminibus paulo brevior. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Capſula obovata, coriacea, compreſſa, inæqualis, coronata calyce, unilocularis, non dehiſcens. Vel nulla; ſi hanc pro cruſta ſeminis exteriore ſumas.

SEM. unicum, teres, acutum, germinans intra pericarpium.

Arbor hæc procera ramoſaque ipſam ſæpe prope terram in tres quatuorve truncos dividitur. *Rami* juniores nitent, rubent, & mutuo opponuntur. *Folia* ſunt ſubovalia, obtuſa, integerrima, nitida, craſſiuſcula, ad tactum pinguia, ſaturate virentia, oppoſita, tripollicaria; *petiolo* rubenti & ſuperne biglanduloſo. *Racemi* ſimplices, terminales, plerumque terni; vel (quod in arbuſculis nanis frequenter obtinet,) compoſiti ex lateralibus oppoſitis utrinque tribus, atque ſimplicibus his, vel & ipſis trifidis, & ex medio terminali ſimplici: verum in his arbuſculis tunc flores ſunt multo minores, & plerique germine vix ullo donati abortant. *Flores* parvi & ſeſſiles levem nec ingratum ſpirant odorem. *Petala* albeſcunt. *Stamina* perpetuo & ubique numeravi decem; quorum alterna quinque breviora primam inſpicientis attentionem non raro fugiunt. *Semen* pericarpio coriaceo incluſum conſtat lamellis duabus virentibus ovatisque, ſed involutis in corpus teres; &, quæ has circumdet, membrana tenuiſſima. Lamellæ in pericarpii baſi abeunt in corpuſculum teres obtuſum nitidumque, quod centrum ſeminis longitudinale occupat, radices dein acturum. Capſulæ enim in terram delapſæ coronatum apicem illud penetrat, radiculisque tunc terræ immiſſis, primum conſtituit futuri trunci rudimentum: inde per nutritionis vim auctæ volumine lamellæ capſulam diſrumpunt, evaduntque folia radicalia. Interdum duo

ſemi-

TAB. CXIV.

Jacquin del.

TAB. CXV.



Jacquin deb.

TAB. CXVI.

Jacquin del.

TAB. CXVII.

Jacquin del.

TAB. CXVIII.

Jacquin deb.

TAB. CXIX.

Jacquin del.

TAB. CXX.

Jacquin del.

Cleome procumbens

TAB. CXXI.

Jacquin del.

TAB. CXXII.

Jacquin del.

TAB. CXXIII.

Jacquin del.

ſemina eidem incluſa pericarpio inveni. Incolæ corticem arboris adſtringentem ad condenſanda coria adhibent. Hiſpanis vocatur *Mangle bobo* ſive Mangle ſtulta, Anglis *White Mangrove* ſive Mangle alba. Patet ex data deſcriptione, valde differre a prioribus hanc arborem, etſi in multis etiam conveniat; imo debere forſitan ſub diſtincto genere tradi.

Habitat in littoribus maritimis ſabuloſis & limoſis Caribæarum vicinæque Continentis.

## ACHYRANTHES.

1. ACHYRANTHES (*altiſſima*) caule ſcandente.

Amaranthus americanus altiſſimus longifolius, ſpicis e viridi albicantibus. *Plum. ſpec. 6.*

Blitum album majus ſcandens. *Sloan. hiſt. jam. 2. p. 142. t. 91. f. 2.*

*Caules* ſcandunt arbores vicinas ad altitudinem viginti pedum. *Folia* ſunt ovata, acuta, glabra, integra, petiolata, alterna, ſemipedalia. *Spicæ* paniculatæ, terminales & axillares; *particularibus* circiter ſeptemfloris. *Flores* e viridi albicant.

Habitat in ſylvis Domingenſibus.

# DIGYNIA.

## CYNANCHUM.

1. CYNANCHUM (*racemoſum*) caule volubili; foliis cordatis, nitidis; racemis ſimplicibus. TAB. LIV.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis, concavis, acutis, patulis.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, breviſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, planis, patentiſſimis, apice revolutis & emarginatis, calyce paulo longioribus.

Nectaria quinque, erecta, longitudine calycis, ovata, plana, apice trilaciniato & acuminato: in centro floris e baſi ſua producta denuo aſſurgentia in corpuſcula quinque, oblonga, brevia, obtuſa, abeuntia in membranas cucullatas & diſſepimento medio biloculares.

STAM. Filamenta decem, capillaria, breviſſima, orta bina ſimul ex eodem puncto inter nectarii cucullas. Antheræ ovales, teretes, erectæ, reconditæ in loculamentis cucullarum.

PIST. Germina duo, minima, in centro nectarii. Stylus unicus, filiformis, erectus, fere longitudine nectarii. Stigma maximum, utrinque planam, quinquangulare, angulis acutis.

Jacquin deb.

Jacquin del.

TAB. CXXVI.

Jacquin del.

TAB. CXXVII.

Jacquin del.

TAB. CXXVIII.

Jacquin del.

TAB. CXXIX.

Jacquin del.

TAB. CXXX.

Jacquin del.

TAB. CXXXI.

Fig 1

2

Jacquin del.

TAB. CXXXII.

Jacquin del.

# TAB. CXXXIII.

Jacquin del.

PER. . . .

SEM. . . .

*Caules* herbacei, volubiles, glabri, ſcandentes, lacte candido pleni. *Folia* cordata, acuminata, integerrima, nitida, leviter undulata, facie læte virentia, dorſo æruginoſa, oppoſita, petiolata, quadripollicaria. *Racemi* ſimplices, laterales, tripollicares, ſolitarii; ad quorum latus etiam novus prodit ramuſculus floribus onuſtus. *Flores* parvi, inodori, corollis candidis. *Fructum* haud vidi.

Habitat Carthagenæ in fruticetis apricis & in ſepibus arboreis. Floret Octobri & Novembri.

Hanc plantam cum ſecuturis congeneribus in *Enumeratione* mea Aſclepiadibus adnumeraveram; ad has enim quam ad Cynancha accedere propius, ex poſitis a clariſſimo Linnæo characteribus, mihi videbantur. At vero poſthac inſtituto majore cum attentione Aſclepiadum affiniumque plantarum examine, & collatis pariter authorum deſcriptionibus, evidenter perſpexi, vera harum ſtamina vidiſſe vel certe ſcripto prodidiſſe ante me neminem: unde ſequi erroneam vel incompletam nectarii deſcriptionem omnino oportuit; ſicuti etiam ſtigma, quod in Aſclepiadis charactere *corpuſculum truncatum* vocat Linnæus, pro parte nectarii perperam habuerunt. Decandras ego Aſclepiades, quas examinavi, omnes, utramque Stapeliam, Cynanchum acutum, & Periplocam græcam inveni: in quibus omnibus ſemper ex eodem puncto fuſco, in floris inſpectione ſtatim conſpicuo, duo oriuntur filamenta, antheras gerentia pro ratione floris ſatis magnas; ſed quæ in membranis cucullatis & ſaccatis nectarii perpetuo occultantur; his ſuſpenſa manu retrorſum deductis, tum demum in conſpectum prodeunt. Mandare igitur has plantas ad Cynanchorum familiam malui, quibuscum habitu toto congruunt. Multo plures, quam quas hic recenſebo, hujuſce generis ſpecies in America offendi; imo omiſi Caribæas omnes. Scilicet præoccupatus characteribus Linnæanis, ad quos torquere ipſarum explicationem volebam, nec poteram, aggrediebar examen, quod in ſingulis magis me reddebat incertum. Pertæſus tandem ingrati laboris, illas deſcribere neglexi; donec examinati Cynanchi longiflori flores ſtamina mihi vera caſu exhibuerunt; unde ilico tota evidentior evadebat fructificatio, quam in reliquis poſtea obviis, bono uſus microſcopio, confirmavi.

2. CYNANCHUM (*planiflorum*) caule volubili; foliis cordatis, facie glabris, ſubtus tomentoſis; pedunculis ſubracemoſis. TAB. LV.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis, planis, acuminatis, patentiſſimis, ſubcoloratis, corollam fere ſuperantibus.

COR. monopetala, plana. Tubus patens, breviſſimus. Limbus quinquefidus: laciniis ovato-ſubrotundis, planis, patentiſſimis.

Necta-

TAB. CXXXIV.

Jacquin del.

TAB. CXXXV.



Jacquin del.

TAB. CXXXVI.

Jacquin del.

TAB. CXXXVII.

Jacquin del.

137

TAB. CXXXVIII

Jacquin del.

TAB. CXXXIX.

Jacquin del.

TAB. CXL.

Jacquin del.

TAB. CXLI.



Jacquin del.

TAB. CXLII.

Jacquin del.

TAB. CXLIII.

Jacquin del.

## TOURNEFORTIA.

1. TOURNEFORTIA (*maculata*) foliis ovatis, utrinque glabris; ſpicis ramoſiſſimis, pendulis.

Frutex *ramis* debilibus; *foliis* integerrimis, acuminatis, petiolatis, inodoris; *fructibus* luteis, baſi quatuor maculis ſubrotundis atrisque notatis.

Habitat Carthagenæ in arbuſtis & ſepibus.

## RAUVOLFIA.

1. RAUVOLFIA (*nitida*) nitidiſſima.

Rauvolfia tetraphylla latifolia. *Plum. gen.* 19.

CAL. Perianthium parvum, acuminatum, erectum, quinquepartitum, perſiſtens.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, baſi & apice globoſus, erectus. Limbus quinquefidus: laciniis obovatis, planis, patentiſſimis, obliquis. Faux clauſa duplici ſerie villorum conniventium.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima. Antheræ oblongæ, acuminatæ, erectæ, infra villorum ſeriem infimam.

PIST. Germen ſubrotundum, didymum, longitudine calycis. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitato-oblongum, magnum, apice obtuſo bifidoque.

PER. Drupa ſubrotundo-depreſſa, compreſſa, ſulco longitudinali levi in parte magis convexa notata, unilocularis.

SEM. Nux baſi convexa, apice depreſſa, bilocularis. Nuclei ſolitarii.

Arbuſcula hæc tota eſt nitidiſſima, erecta, lacte candido glutinoſoque referta, duodecimpedalis. *Folia* ad nodos ramuſculorum ſunt quaterna, lanceolata, baſi attenuata, integerrima, acuta, petiolata; quorum proxima duo quinquepollicaria reliquis duobus duplo longiora. *Pedunculi communes* racemoſi, terminales, ſemipollicares, bini vel terni. *Flores* inodori, parvi, petalis candidis. *Fructus* primo flaveſcunt, tandem evadunt atropurpurei, lacteſcunt, piſoque ſunt triplo majores.

Habitat in ſylvis montoſis Domingenſibus.

2. RAUVOLFIA (*hirſuta*) hirſuta.

Rauvolfia fruticoſa, foliis verticillatis, tenuiſſime villoſis. *Brown. jam.* 1. *p.* 180.

Rauvolfia tetraphylla, anguſtifolia. *Plum. gen.* 19.

Solani fructu fruticoſa, foliis laurinis oblongis integris, ſubtus hirſutis, flore minore purpureo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 107. *t.* 188. *f.* 1.

Arbor

Nectaria quinque, lateribus connata in unum corpus figura & magnitudine tubi corollæ; in centro floris e basi sua producta assurgentia in corpuscula quinque, obtusa, erecta, tubo corollæ duplo longiora, apice aucta membranulis cucullatis & bilocularibus.

STAM. Filamenta decem, capillaria, brevia, orta bina simul ex eodem puncto inter cucullas nectarii. Antheræ obovatæ, obtusæ, teretes, erectæ, reconditæ in cucullis.

PIST. Germina duo, ovata, hinc convexa, illinc plana, longitudine tubi corollæ, intra centrum nectarii. Styli duo, breves, erecti. Stigma unicum, simplex, maximum, quinquangulare, in centro fissum, infundibuliforme.

PER. . . .

SEM. . . .

Planta lactescens; *caulibus* volubilibus, teretibus, glabris. *Folia* ex oblongo cordata, acuminata, integerrima, subtus tomento vix conspicuo molliss-sima, superne glabriuscula, ad petioli ortum ciliis abruptis rigidis ferrugineis & breviss-imis barbata, opposita, petiolata, ferme quadripollicaria. *Pedunculi communes* glabri, laterales, solitarii, racemosi, plus minus quinqueflori, vix pollicares: *propriis* ultra communem elongatis. *Flores* inodori, planiss-imi, diametro semipollicari, corollis venosis & æruginеis, calycibus ex albo virentibus. *Fructum* non vidi.

Habitat circa Carthagenam in præcipitiis montis de la Popa. Floret Julio & Augusto.

3. CYNANCHUM (*maritimum*) caule volubili; foliis cordatis, facie hirsutis, subtus tomentosis; pedunculis aggregatis. TAB. LVI.

CAL. Perianthium quinquepartitum: laciniis lanceolatis, acutis, parvis, patentiss-imis.

COR. monopetala. Tubus breviss-imus, patens. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, acutis, planis, magnis, interne hirsutis, patentiss-imis.

Nectarium campanulatum, constans ex foliolis quinque, obcordatis, tridentatis, patentibus, ad latera coalitis, corollæ concoloribus, longitudine calycis; e basi sua producta in centro floris assurgens in corpuscula quinque, instructa squamis quinque membranaceis cucullatis & bilocularibus.

STAM. Filamenta decem, capillaria, brevia, orta bina simul ex eodem puncto inter squamas nectarii. Antheræ obovatæ, teretes, erectæ, reconditæ in cucullis.

PIST. Germina duo, ovata, hinc convexa, illinc plana, in centro nectarii. Stylus basi bifidus; ad altitudinem squamarum expansus in corpus utrinque planum amplum & acute pentagonum; ex hujus iterum cen-

TAB. CXLIV.

Jacquin del.

Aristolochia anguicida

TAB. CXLV.

Jacquin del.

TAB. CXLVI.

146

Jacquin del.

aristolochia maxima

TAB. CXLVII.

Jacquin del.

147

TAB. CXLVIII.







Jacquin del.

TAB. CXLIX.

Jacquin del.

Jacquin del.

TAB.CLI.

Jacquin. deb:

TAB. CLII.

Jacquin del.

arum hederaceum

TAB. CLIII.







Jacquin del.

tro egreſſus ſimplex, filiformis, erectus, longitudine corollæ. Stigma bifidum: laciniis obtuſis, patentibus.

PER. & SEM. . . . .

Planta lacteſcens; *caulibus* volubilibus, teretibus, hirſutis. *Folia* cordata, acuminata, integerrima, ſubtus incana, ſuperne hirſuta, petiolata, oppoſita, duos vel quatuor pollices longa. *Pedunculi* uniflori & breviuſculi aggregatim oriuntur e tuberculo laterali inter folia. *Flores* inodori; calyce viridi; corolla atropurpurea. Ex hujus floris piſtillo optime patet aſſerti mei veritas; nimirum corpuſculum illud, quod ceu nectarii partem genitalia tegere ait Linnæus, eſſe ipſum ſtigma vel ſtyli portionem; æque enim in charactere, præprimis ſi cum congeneribus comparetur, hic poſſent dici ſtyli duo cum ſtigmate pentagono, quod terminetur filo apice bifido. *Fructum* non vidi. Hanc plantam in littore arenoſo & ſubfruticoſo reperi, evulſique eo ipſo momento, quo navim conſcendi, quæ in Europam me revheret; unde & deſcriptionem & iconem inter maris fluctus perfeci. Nomen triviale *maritimi* aſſumpſi, etſi fortaſſe alibi quam in littoribus creſcat.

Habitat in Tierra Bomba. Florentem vidi Novembri.

4. CYNANCHUM (*altiſſimum*) caule volubili; foliis cordatis, utrinque tomentoſis; floribus umbellatis. TAB. LVII.

CAL. Perianthium pentaphyllum; foliolis lanceolatis, concavis, longitudine inæqualibus, externe tomentoſis, erectis.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, inferne obſolete pentagonus, erectus, longitudine calycis. Limbus quinquefidus: laciniis ſubrotundis, planis, obtuſis, tubo duplo brevioribus, patentiſſimis. Faux leviter anguſtata.

Nectarium corpuſcula quinque, minima, erecta, contigua, germen cingentia, apice inſtructa ſquamula cucullata, biloculari, in dorſo aucta gibbo convexo & magno.

STAM. Filamenta decem, capillariâ, brevia, orta bina ſimul ex eodem puncto inter ſquamulas. Antheræ obovatæ, compreſſo-planæ, erectæ, reconditæ in cucullis.

PIST. Germina duo, ovata, hinc convexa, illinc plana, intra nectarium. Stylus unicus, erectus, craſſus, breviſſimus. Stigma maximum, planum, ſubpentagonum, puncto umbilicatum.

PER. Folliculi duo, ovati, ventricoſi, in acumen obtuſum deſinentes, maximi, uniloculares, univalves, longitudinaliter dehiſcentes.

SEM. plurima, oblonga, imbricata, coronata pappo. Receptaculum oblongum, ſubteres, liberum.

Planta lacteſcens, fruticoſa, perennis, arbores ad quinquaginta pedum altitudinem ſcandit. *Caules* volubiles, teretes; *ſeniores* lignoſi, glabri, cinerei,

TAB. CLIV.



Jacquin del.

154

Elaterium carthagenense

TAB. CLV.

Jacquin del.

TAB. CLVI.

156.

Jacquin del.

Anguria trilobata

TAB. CLVII.

Jacquin deb.

TAB. CLVIII.

Jacquin del.

158

# TAB. CLIX.

Jacquin del.

TAB. CLX.



Jacquin deb.

TAB. CLXI.

Jacquin del.

161

Acalypha corensis
= Bernaidia corensis

# TAB CLXII.




Figs

Jacquin del.

id2

TAB. CLXIII.



Jacquin del.

rei, aphylli; *juniores* virides, tomentoſi, folioſi. *Folia* cordata, acuminata, integerrima, craſſiuſcula, utrinque tomento molliſſimo at vix conſpicuo obſita, petiolata, oppoſita, quotannis decidua, primum bipollicaria, tandem vel ſemipedalia. *Umbellæ* laterales, ſolitariæ, denſæ, hemiſphæricæ; *pedunculo communi* craſſiſſimo, tereti, tomentoſo, vix petiolorum longitudine; *involucro* polyphyllo, inæquali. Hæ ſimul prodeunt cum foliis; vel etiam in plantæ aphyllæ ramis interdum ſenioribus, e nodis ortæ. *Flores* craſſi, rigidi, inodori; calycibus e cinereo virentibus; corollis ſordide purpureis. Nectarii ſquamæ in hac ſpecie, uti etiam in paucis aliis, dici poſſent trilocularres, eo quod diſſepimentum in illis ſit duplex; verum quum hæ duplicaturæ conniveant, locenturque antheræ ad earumdem externa latera, loculamentum intermedium nullius inſtar habui. *Folliculus* alteruter matureſcere conſuevit, abortante altero.

Habitat paſſim Carthagenæ in ſylvaticis. Floret imprimis Majo & Junio.

5. CYNANCHUM (*undulatum*) caule volubili; foliis ſubovatis, utrinque acuminatis, glabris; floribus umbellatis. TAB. LVIII.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis ovatis, concavis, patulis.

COR. monopetala. Tubus depreſſo-globoſus, calyce paulo longior. Limbus quinquefidus: laciniis planis, obtuſiſſimis, patentiſſimis, tubo duplo brevioribus. Faux patentiſſima. Nectarium, & reliqua; ut in præcedente.

Planta lacteſcens & tota glabra *caules* habet volubiles teretesque. *Folia* ſunt ſubovata, utrinque acuminata, integerrima, glabra, ad tactum pinguia, valde undulata, petiolis donata breviſſimis, oppoſita, quadripollicaria. *Pedunculo communi* tereti, craſſiuſculo, laterali, & petiolis fere longiori inſidet *umbella* ſolitaria, ſubgloboſa, denſa, & parva. *Flores* ſunt parvi, inodori, rigidi; calycibus cinereis; corollis externe ſubcinereis, interne ſordide purpureis.

Habitat Carthagenæ in monte de la Popa. Floret Julio.

6. CYNANCHUM (*longiflorum*) caule volubili; foliis obovato-oblongis, villoſis; floribus umbellatis. TAB. LIX.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis, planis, acuminatis, erectis, laxis, coloratis.

COR. monopetala, longiſſima. Tubus erectus, calyce duplo longior, interne omnium piloſiſſimus, a baſi ad usque calycis altitudinem paulo amplior & obſolete pentagonus, ſupra calycem ſubteres & ex oblongo infundibuliformis. Limbus quinquefidus: laciniis lanceolatis, planis, acutis, interne piloſis, reflexis, tubo triplo brevioribus.

TAB. CLXIV.

Jacquin del. 164

TAB. CLXV.

Jacquin del.



Jacquin del.

TAB. CLXVII.

Jacquin del.

TAB. CLXVIII.



Jacq: del.

168


Jacquin del.

TAB. CLXX



Jacquin del.

170

TAB. CLXXI.

Jacquin del.

Jacquin del.

TAB. CLXXIII.

i

ii

46

54

Triplaris

F

23

17

7

Calliandra aegiphila

3

4

63

Bauhinia glabra

Jacquin. del.

173

Nectarium duplicaturæ adinſtar adnatum toti parieti interiori baſeos pentagonæ petali, ad cujus finem introrſum a corolla ſecedit in limbum, qui format ſtellulam quinquefidam conniventem & apertam: inferne autem baſi producta verſus corollæ centrum aſſurgens in corpuſcula quinque, ſubrotunda, compreſſa, aucta cuculla membranacea biloculari.

STAM. Filamenta decem, capillaria, breviſſima, orta bina ſimul ex eodem puncto inter nectarii cucullas. Antheræ obovatæ, obtuſæ, compreſſæ, erectæ, reconditæ intra cucullas nectarii.

PIST. Germina duo, ovata, illinc plana, hinc convexa, in centro nectarii. Styli duo, erecti. Stigma ſimplex, maximum, pentagonum, convexum, puncto umbilicatum, longitudine nectarii.

PER. . . .

SEM. . . .

Planta lacteſcens, *caulibus* volubilibus teretibus & piloſis arbores ad quindecim pedum altitudinem ſcandit. *Folia* habet obverſe ſubovata, baſi cordata, integerrima, acuta, craſſiuſcula, villoſa, venis nervisque piloſis, oppoſita, ſemipedalia, petiolis donata brevibus piloſisque. *Umbellæ* ſunt laterales, ſolitariæ, ut plurimum ſeptemfloræ; *pedunculo communi* piloſo, craſſo, tereti, longitudine petioli; involucro polyphyllo, inæquali. *Flores* inodori, inamœni, bipollicares; calycibus e virenti pallidis; petalis externe pallentibus, interne fuligineis pilisque argenteis numeroſis veſtitis. Flos unus alterve in umbella jam in principio, ante explicationem ſæpe, cum pedunculo proprio abortat, cujus remanet cicatrix. *Fructum* non vidi.

Carthagenæ habitat in ſylvis denſis. Floret Auguſto.

7. CYNANCHUM (*filiforme*) caule volubili; foliis ovato-acuminatis, nitidis; umbellis globoſis. TAB. LX. Fig. 1.

CAL. Perianthium monophyllum, ultra medium quinquepartitum: laciniis lanceolatis, concavis, acuminatis, erectis.

COR. monopetala, calyce duplo longior. Tubus ſubrotundo-campanulatus, brevis. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, acuminatis, planis, interne piloſiuſculis, patentiſſimis.

Nectarium corpuſcula quinque, erecta, petalo duplo breviora, contigua, germen cingentia, apice inſtructa ſquamula cucullata biloculari; ad dorſi baſin ſingula emittentia corniculum ſubulatum, cavum, erectum, apice patenti, ejusdem ſecum longitudinis.

Reliqua; ut in Cynancho altiſſimo.

Planta lacteſcens, ſcandens. *Caules* volubiles, teretes, filiformes, nitidi, ramoſi, numeroſiſſimi. *Folia* ovato-acuminata, integerrima, plana, oppoſita, petiolata, vix ſesquipollicaria. *Umbellæ* globoſæ, parvæ, erectæ, laterales,

TAB. CLXXIV.




Jacquin. del.

13

25

68

24

16

9

28

36

64

38

Jacquin. del.

TAB. CLXXVI.




Jacquin del.

TAB. CLXXVII.

Jacquin. del.

flor de
B. emarginata Mill.

TAB. CLXXVIII.

Jacquin del.

# TAB. CLXXIX.

Jacquin. del. 179

TAB. CLXXX.

55

58

29

62

79

45

18

Anisoptyllum pinnatum

Elvetia spinosa

32

43

57

Jacquin del

180

82



96



97



65





69



35

15



14



51



Jacquin del.

TAB. CLXXXII.

84

85

6

86

10

Cissus alatus

19

Jacquin v del.

20

182

TAB. CLXXXIII.


60


74

92


72


47


93


83


27




61




59


39

rales, alternæ; *pedunculo communi* filiformi, petiolis duplo longiori. *Flores* inodori, exigui, petalis nectarioque niveis. *Folliculus* ut plurimum uterque matureſcit.

Habitat paſſim Carthagenæ in ſylvaticis & fruticoſis.

8. CYNANCHUM (*clauſum*) caule volubili; foliis lanceolato-oblongis, revolutis; floribus umbellatis. TAB. LX. Fig. 2.

CAL. Perianthium profunde quinquepartitum: laciniis lanceolatis, concavis, acuminatis, erectis.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, calyce paulo brevior. Limbus quinquefidus: laciniis ovato-acuminatis, planis, patentiſſimis, tubo duplo longioribus.

Nectarium corpuſcula quinque, erecta, contigua, petalo duplo breviora, ſtylos cingentia, ad apicem aucta ſquamula cucullata biloculari, orta e margine ſuperiori tubi corollæ, ſingula externe ad baſin oblique emittentia corniculum obovatum magnum cavum clauſumque.

PIST. Germina duo, in fundo tubi intra nectarium. Styli duo, filiformes, erecti, longitudine nectarii, apice in unum confluentes, hinc abeuntes in Stigma magnum, ſubpentagonum, utrinque planum.

PER. . . .

SEM. . . .

Planta lacteſcens, ſcandens. *Caules* volubiles, teretes, glabri, numeroſi. *Folia* lanceolato-oblonga, acuminata, integerrima, venoſa, nitida, lateribus revoluta, breviſſime petiolata, oppoſita, duos tresve pollices longa. *Umbellæ* laterales, ſolitariæ. *Flores* inodori, corollis nectariisque niveis.

Habitat Carthagenæ in fruticoſis.

## GENTIANA.

1. GENTIANA (*aphylla*) corolla quinquefida, hypocrateriformi; caule aphyllo. TAB. LX. Fig. 3.
Helleborine aphyllos, flore luteo. *Plum. ſpec.* 9?

CAL. Perianthium monophyllum, tubuloſum, oblongum, teres, erectum, coloratum, apice quinquefido & acuto, perſiſtens.

COR. monopetala, hypocrateriformis. Tubus cylindraceus, erectus, longiſſimus, baſi & apice leviter ampliatus. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, obtuſis, patentiſſimis, planis, parvis.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ quinque, ſubrotundæ, didymæ, affixæ ſuperiori parti tubi corollæ.

PIST.

PIST. Germen oblongum, calyce longius. Stylus filiformis, longitudine tubi corollæ. Stigma ſimplex, capitatum, obtuſum.

PER. Capſula oblonga, teres, obtuſa, calyce duplo longior, unilocularis, bivalvis; valvulis baſi & apice cohærentibus.

SEM. numeroſa, ſcobiformia.

Plantula omnino aphylla, tenella, erecta. *Radices* teretes, albidæ, tenellæ, craſſæ, faſciculatæ. *Caules* ſimplices, quadripollicares, nitidi, uniflori, coloris ſtraminei, inſtructi *ſtipulis* oppoſitis breviſſimis remotisque, per quas genicula diſtinguuntur. *Flos* terminalis, ſolitarius, pollicaris, erectus, inodorus, flaveſcens. *Corolla* marceſcit. *Semina*, qualia in Orchide. Incolit cryptas truncorum lumini vix pervias, in quibus tractu temporis humi aliqua portio fuit collecta; quo poſſet ſenſu arborum paraſitica vocari. Ego alibi non offendi plantulam, quæ omnino etiam rariſſime occurrit. Cum Gentianis in multis convenit; nihil tamen renuo, ſi quis proprium genus cenſeat.

Habitat in Martinicæ ſylvis montoſis vaſtis & humentibus. Vidi florentem Majo & Decembri.

## GOMPHRÆNA.

1. GOMPHRÆNA (*ficoidea*) caule repente; capitulis rotundis, ſeſſilibus; foliis lanceolato-obovatis. TAB. LX. Fig. 4. *Linn. ſp. pl.* 8. *p.* 225. Gomphræna caule diffuſo repente, capitulis ſeſſilibus. *Roy. Lugdb.* 418. Amaranthoides marina repens, polygoni folio, capitulis argenteis. *Plum. ſpec.* 20. an varietas *Plum. ic.* 21. *fig.* 2?

CAL. Perianthium triphyllum, aridum, perſiſtens: foliolo exteriori ovato, acuminato, concavo, erecto; duobus lateralibus ſubulatis, falcatis, acutis, erectis.

COR. Petala quinque, acuta, erecta, arida, calyce duplo longiora, perſiſtentia; quorum exteriora duo ſunt lanceolato-ovata, concava; tria interiora lanceolata, convexa, medio latiori.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, erecta, longitudine germinis. Antheræ ſubrotundæ, ſimplices.

PIST. Germen ſubrotundum, compreſſum. Stylus omnium breviſſimus, unicus. Stigma obtuſum, villoſum.

PER. Capſula cordato-orbiculata, compreſſa, inſtructa ſtylo & ſtigmate, unilocularis.

SEM. unicum, orbiculare, compreſſum.

Planta repens, ad ſingula genicula radices terræ immittit. *Folia* cuneiformi-obovata, acuta, ſeſſilia. *Capitula* ſubrotunda, ſeſſilia, numeroſa. Character ad Celoſiam accedit propius.

Habitat copioſe in Martinicæ pratis, quæ peſſumdat; hinc ruricolis inviſa.

PENTA-

# PENTAGYNIA.

## ARALIA.

1. ARALIA (*arborea*) caule arboreo; foliis ſimplicibus; floribus umbellatis.

Aralia caule arboreo, foliis ſimplicibus, umbellæ univerſalis radiis uniglanduloſis. *Linn. ſyſt. A. p.* 967.

Aralia arborea foliis nitidis, oblongo-ovatis, umbella laxa, radiis ſingulis glandula notatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 189.

Hedera arbor, foliis haſtatis. *Plum. ic.* 148.

Arbor erecta, inelegans, quindecimpedalis, odorem ſpirans ingratum. *Rami* pauci, fragiles. *Folia* ovalia, acuminata, leviſſime ſerrata, utrinque nitidiſſima, alterna, plerumque ſex vel ſeptem pollices longa, interdum etiam breviora vel contra pedem ſuperantia; *petiolo* duplo circiter breviori ipſa pagina. *Racemi* erecti & terminales conſtant *pedunculis communibus* bipollicaribus, lateralibus alternis plus minus ſeptem, terminalibus ex eodem centro circiter ſex, omnibus baſi ad ortum ſuffultis ſtipula lanceolata, apice vero terminatis in receptaculum, quod involucri inſtar monophylli colligit *pedunculos proprios* quadrilineares, unifloros, in umbellam diſpoſitos, circiter quaraginta. *Flores* ſunt parvi, ſordide albeſcentes, omnino ſtructura Araliæ; ſed in quibus conſtanter unicum in medio ſtylum eumque breviſſimum obſervavi. An itaque planta mea diverſa eſt a Browneana & Plumeriana? Vix credo. An vero varietas ſtylorum iſta variis in locis obtinet? Id etiam ignoro; at examinaſſe me hos flores de induſtria, probe memini. *Fructum* non vidi.

Habitat Havanæ in montibus ſylveſtribus; ubi vidi florentem Decembri.

2. ARALIA (*capitata*) caule arboreo; foliis ſimplicibus; floribus in capitula congeſtis. TAB. LXI.

Arbor eſt ramoſa, altitudine valde varia. *Folia* habet e rhombeo ovata vel obovata, acuminata, baſi attenuata, integerrima, nitida, coriacea, ad ramuſculorum extremitates alternatim ſparſa, magnitudine admodum variantia; *petiolis* fere longitudine paginarum. *Panicula* terminalis, erecta; in qua *pedunculi communes* omnes ſuffulciuntur ſtipula acuminata & amplexicauli; ultimi terminantur floribus in capitulum globoſum collectis. *Receptaculum* fructificationis commune eſt paleaceum. *Antheræ* ovales incumbunt. *Stylum* in flore unicum perpetuo obſervavi; in germinibus vero poſt corollæ lapſum jam adoleſcentibus eundem inveni ad baſin fere usque diviſum in plures lacinias (plerumque octo, novem, vel decem) ceu totidem ſtylos ſingulares, eosque reflexos & rigidos. *Fructum* perfecte maturum non offendi. Stylus

igitur in flore ſimplex, poſteane multifariam diſpeſcitur? An vero flores in eodem racemo alii monogyni, polygyni alii, etſi id attentionem meam præterfugerit? Alterutrum ſi in utraque hac ſpecie obtinet, cur non ad Hederæ pertineant genus? Loculamenta plura, ſi quidem vere adſint illa, vix mihi videntur ad diſtinctionem ſufficere. Credo, ni fallat memoria, paraſiticam arbori vaſtæ increſcentem me illam aliquando reperiſſe.

Habitat in ſylvis Martinicæ.

# HEXANDRIA.
# MONOGYNIA.

## BROMELIA.

1. BROMELIA (*Karatas*) acaulis; foliis erectis. TAB. CLXXVIII. Fig. 26.
Karatas foliis altiſſimis anguſtiſſimis & aculeatis. *Plum. gen.* 10.
Caraguata-acanga. *Pis. bras. l.* 4. *c.* 82.

Planta acaulis, elegans. *Folia* numeroſa, radicalia omnia, ſubulato-linearia, mucronata, ciliato-ſpinoſa, erecta, minus rigida quam in congeneribus, hinc ſuperne plerumque reflexa, humanam ſæpius altitudinem ſuperantia. *Flores* inodori, fere tripollicares, calyce germineque lanugine ferruginea adſperſis, corolla roſea. *Fructus* ovales, tripollicares, plurimi (du-centi vel trecenti) ſimul ſeſſiles in ſinu centrali paleaceo foliorum tunc magis patentium, componunt diſcum hemisphæricum diametri ſemipedalis. Hi ſub cortice coriaceo & flaveſcente carnem continent albidam, ſucculentam, ſapore acido & dulci; in qua *ſemina* nidulantur plurima, glabra, ſubrotunda, & fuſca. Decorticata caro palato non diſplicet, modo abunde maturi fructus ſint; tunc enim levis ſolummodo acor percipitur, quem facile obtundit juncta dulcedo mellea; at, quod fatendum itidem eſt, raro iſtiusmodi reperiuntur. Immaturi ſtuporem dentibus inducunt, ſauciantque interdum comedentis palatum & gingivas, ut recte jam olim notavit Piſo. Quod vero ait ille de procurando prægnantibus abortu, quæ ſucco horum copioſius utuntur, id videtur mihi quotidianæ apud Martinicenſes experientiæ eſſe contrarium. Quamcunque tamen maturitatem acquiſiverint, immoderatius comeſtos affeciſſe dolore linguam aliquo, crebris obſervationibus mihi conſtitit. In horto Cæſareo jam fructus maturos ſæpius planta dedit. Proles novæ e radice ad latera matris naſcuntur. Incolis vocabulo Caribæo

appel-

appellatur *Karatas*. Loca montoſa ſylvatica incolit, plerumque ad truncum arbuſculæ, cujus umbra fruatur.

Habitat in Martinica & Cuba.

2. BROMELIA (*Pinguin*) foliis ciliato-ſpinoſis, mucronatis; racemo terminali. *Linn. ſp. pl.* 2. *p.* 285. *Brown. jam.* 4. *p.* 193.

Bromelia foliis aculeatis, racemo laxo terminali. *Roy. lugdb.* 25.

Ananas americana ſylveſtris altera minor. *Pluk. mant.* 29. *t.* 258. *f.* 4.

Pinguin. *Dill. elth.* 320. *t.* 240. *f.* 311.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde trifidum, externe ſubvilloſum, germini inſidens, deciduum: laciniis lanceolato-linearibus, acuminatis, carinatis, erectis, longiſſimis.

COR. Petala tria, lineari-oblonga, acuta, concava, calycem leviter ſuperantia, baſi tubo calycis accreta, apicibus patulis, cæterum erecta & amplexantia.

Nectarium nullum.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, calyce duplo breviora, baſibus latis inter ſe & cum tubo calycis petalisque connata. Antheræ lineares, baſi ſagittatæ, erectæ, longitudine calycis.

PIST. Germen oblongum, obtuſe & obſolete trigonum, magnum, tomentoſum, inferum. Stylus ſubulatus, triquetrus, craſſus, longitudine filamentorum, erectus. Stigma trifidum, obtuſum.

PER. Bacca ſubovata, carnoſa, cortice coriaceo, unilocularis.

SEM. pauca, ſubovata, obtuſa, nidulantia.

Planta elegans habitu congenerum; *foliis* rigidiſſimis, & ciliis ſpinoſis valdeque pungentibus armatis, ſex vel quinque pedes longis. Hæc magis expanduntur, læteque in centro omnia rubere incipiunt, quo tempore in medio egreditur *ſcapus* racemoſus, pyramidalis, duos tresve pedes longus, ſpecioſus, tomento albido veſtitus, ſuſtinens *flores* numeroſos, circiter bipollicares, quorum germen & calyx colorem ſcapi habent, petala autem pulchre roſeum. His ſuccedunt fere totidem *fructus* flaveſcentes, pollicares vel paulo majores, ſapore acidulo vellicante nec grato prædíti, qui *ſemina* ſubfuſca continent pauca, interdum nulla. Ad ſcapi usque interitum perſtant, & plerumque exeſi vacuique reperiuntur; quum muribus ſint in deliciis, qui ſub his plantis tuta incolere domicilia conſueverunt. Nihil hac Bromelia elegantius florente; cum ob ipſum habitum ſuum, tum ob varios gratosque in diverſis partibus colores. Poſt florum productionem ex ipſa radice ſtolonem vel caulem protrudit aphyllum, diametro ſesquipollicari, rectaque horizontaliter pergentem; qui a planta matre congruenter remotus, ad angulum rectum erigitur, ibidemque hinc radices novas terræ immittens, illinc in folia expanſus, novam plantam conſtituit. Ex his igitur ſtirpibus Jamaicenſes

cenſes ſepes ſuas inſtruunt, quibus prata, agros, hortosque circumvallant, & quas bene firmatas tranſcendere aut ſuperare nec homo valet, nec bos, nec equus. Poſſent etiam illæ tueri urbium munimenta contra hoſtium inopinatos impetus, haud ſecus atque in eundem finem utuntur Cacto Tuna inſulæ ſancti Euſtachii incolæ.

Habitat in Jamaica & Carthagenæ.

## TILLANDSIA.

1. TILLANDSIA (*lingulata*) foliis lineari-lingulatis, integerrimis, baſi ventricoſis. TAB. LXII. *Linn. ſp. pl. 3. p. 286.*

Viſcum caryophylloides maximum, capitulis in ſummitate conglomeratis. *Sloan. hiſt. jam.* 1. *p.* 198. *t.* 120.

Caraguata latifolia & clavata. *Plum. gen.* 10. *ic.* 74.

CAL. Perianthium monophyllum, baſi obſolete trigona receptaculo circumnatum, ſupra idemque tripartitum, perſiſtens: laciniis lineari-lanceolatis, canaliculato-concavis, acutis, erectis, coloratis, corolla duplo brevioribus.

COR. Petalum unicum, tubuloſum, erectum, ſemitrifidum: laciniis oblongis, obtuſis, concavis, erectis.

STAM. Filamenta ſex, tubo paulo longiora, eidemque per totam longitudinem adnata. Antheræ oblongæ, acutæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, obtuſum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma trifidum, obtuſum.

PER. Capſula oblonga, acuta, obtuſe trigona, nitida, triſocularis, trivalvis.

SEM. plurima, minima, pappo capillari longiſſimo inſtructa.

Planta hæc arboribus vaſtis paraſitica innaſcitur. *Culmus* folioſus, ſimplex, erectus, ſolitarius, apice flores fert conglomeratos. *Folia radicalia* ſunt ex lineari lingulata, acuminata, nitida, integerrima, pedalia, numeroſa, baſi concava pluviarum tempeſtate aquam plurimam aſſervantia. *Flores* lutei, inodori, tripollicares. *Capſulæ* fuſcæ. Incolis dicitur *Ananas de bois* ſeu Bromelia ſylvatica. Loca umbroſa & humentia ſylvarum vaſtarum incolit.

Habitat in Martinica.

2. TILLANDSIA (*tenuifolia*) foliis lineari-ſubulatis, integerrimis, imbricatis; ſpica ſimplici, laxa. TAB. LXIII. *Linn. ſp. pl.* 4. *p.* 286?

Caraguata tenuifolia, paucioribus ſpicis. *Plum. gen.* 10?

CAL. Perianthium monophyllum, baſi obſolete trigona receptaculo circumnatum, ſupra idemque tripartitum, perſiſtens: laciniis oblongis, obtuſis, concavis, conniventibus, corollam ſtricte amplexantibus, eademque duplo brevioribus, coloratis.

COR. Petala tria, linearia, concava, obtuſa, erecta, lateribus ſibi invicem incum-

Arbor ſycophora jamaicenſis, foliis minoribus. *Pluk. phyt. t.* 266. *f.* 2.

Frutex erectus, totus lacteſcens, pro ſoli locique varietate variam a pedali ad octopedalem acquirit altitudinem, reſpondente partium reliquarum magnitudine. *Rami juniores* ſunt ſubhirſuti. *Folia* ſunt quaterna, obovata, baſi attenuata, acuta, rugoſa, hirſuta, integerrima; quorum duo proxima reliquis longiora. *Petioli* hirſuti, teretes. *Pedunculi communes* ramoſi, terminales, quaterni. *Flores* ſubrubentes, parvi, inodori, in planta pedali valde exigui. Calycis pentaphylli foliola lanceolata. Petali laciniæ quadratæ, emarginatæ, vix obliquæ. Faucis villi absque ordine. *Drupa* obſolete bifida, primo rubra, tandem atra. *Nuces* duæ, rugoſæ, hinc planæ, illinc convexæ, biloculares. *Nuclei* ſolitarii; raro plures in unica nuce, obſoleſcente loculamento altero. Cætera, ut in priore.

Habitat in campis ſiccioribus & in fruticetis apricis Caribæarum & vicinæ Continentis.

3. RAUVOLFIA (*tomentoſa*) tomentoſa.

Frutex lacteſcens, erectus, tripedalis. *Folia* quaterna, lanceolata, acuta, craſſiuſcula, integerrima, utrinque tomentoſa, ſubtus vero quam maxime; quorum duo proxima reliquis longiora. *Pedunculi communes* racemoſi, terminales & axillares. *Flores* parvi, inodori; calycis pentaphylli foliolis, petalique candidi laciniis ovatis: ſtigmate globoſo. *Fructus* magnitudine piſi, primo rubri, tandem nigri. Reliqua reſpondent characteri Rauvolfiæ nitidæ.

Habitat Carthagenæ in rupeſtribus; nunc vel in ipſis mœnibus lapideis portisque urbis copioſe.

## CERBERA.

1. CERBERA (*Thevetia*) foliis linearibus, longiſſimis, confertis. TAB. XXXIV. *Linn. ſp. pl.* 3. *p.* 209.

Thevetia. *Linn. hort. Cliff.* 75.

Nerio affinis anguſtifolia lacteſcens, flore luteo. *Pluk. alm.* 253. *t.* 207. *f.* 3.

Ahouai. *Pis. bras. l.* 3. *ad finem.*

Ahouai nerii folio, flore luteo. *Plum. ic.* 18.

Ycotli. *Hern. mex. p.* 443.

CAL. Perianthium pentaphyllum, perſiſtens: foliolis ovato-lanceolatis, acuminatis, patentibus.

COR. monopetala, infundibuliformis. Tubus erectus, calyce longior, deſinens in faucem campanulatam. Limbus quinquepartitus: laciniis oblongis, apice lateſcentibus, obtuſis, ſemireflexis, obliquis, tandem revolutis.

Necta-

incumbentibus tubum longum cylindraceum monophyllum mentientia, ſupra germen introrſum plicata in collum, apicibus planis reflexisque.

STAM. Filamenta ſex, filiformia, receptaculo inſerta, erecta, alterna breviora, apicibus declinata, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus, paulo ſtaminibus longior. Stigma trifidum: laciniis oblongis, obtuſis, patentibus.

PER. Capſula oblonga, obſolete trigona, acuminata, nitidiſſima, unilocularis, trivalvis.

SEM. numeroſa, minima, pappo capillari longiſſimo inſtructa.

Planta haud inelegans & magnitudine valde varia arborum ramis paraſitica increſcit, radicibus fibroſis affixa. *Folia* habet lineari-ſubulata, baſi venticoſa & lateſcentia, integerrima, acuminata, canaliculata, imbricata, ſpiraliter aſſurgentia, externe ſine nitore virentia & notata lineis transverſis albicantibus. *Culmus* ſæpius ſimplex, interdum etiam in duos tresve ramos diviſus, ſpica laxiſſima terminatus, veſtitur *ſpathis* monophyllis, vagis, concavis, oblongis, obtuſis, ſtricte amplexantibus, rubentibus. *Flores* nitidi, inodori, diſtichi, toti coccinei, includuntur inferne ſpathæ calyce breviori. *Capſulæ* ſunt fuſcæ.

Habitat Carthagenæ in arboribus & arbuſculis ſenioribus; præſertim in Mimoſis arboreis ad inundata maritima creſcentibus ſatis frequens. Floret præcipue Junio & Julio.

## RENEALMIA.

1. RENEALMIA (*polyſtachia*) ſcapo ſpicis imbricatis, lateralibus. *Linn. ſp. pl. 2. p. 286?*

CAL. Perianthium monophyllum, hinc planum, illinc convexum, perſiſtens. Tubus breviſſimus, receptaculo circumnatus. Limbus erectus, longiſſimus, connivens, bifidus: lacinia exteriore lanceolato-oblonga, canaliculato-concava, acuminata; interiore oblonga, acuminata, poſtice lateribus conniventibus canaliculata, antice plana, ſuperne bifida.

COR. Petala tria, linearia, canaliculato-concava, acuta, erecta, lateribus ſibi invicem incumbentibus, calyce fere duplo longiora.

STAM. Filamenta ſex, filiformia, erecta, receptaculo inſerta, corollam ſuperantia. Antheræ oblongæ, obtuſæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, obſolete trigonum, abiens in Stylum filiformem, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigmata tria, ſubrotunda, patentia.

PER. . . .

SEM. . . .

Planta parasitica rupibus fruticosis & arboribus innascitur. *Culmus* est folioſus, erectus, tripedalis. *Folia* sunt lineari-subulata, acuminata, integerrima, canaliculata, basi lata & ventricosa, numerosa, inferiora bipedalia. *Spicæ* laterales, circiter decem, pedales, coccineæ, alternæ in culmo. *Spathæ* coccineæ, superne imbricatæ, totas spicas obtegentes. *Flores* sessiles, solitarii, inodori, corollis cæruleis. *Fructum* non contigit videre.

Habitat Havanæ in collibus rupestribus, alibique. Inveni florentem Januario.

Hujus generis vel præcedentis aliam speciem etiam Havanæ in fruticetis maritimis rupestribus parasiticam offendi, cujus flores ignoro. Est *foliis* lineari-subulatis, integerrimis, imbricatis, habitu foliorum Tillandsiæ tenuifoliæ, at nec maculatis, nec situ spiralibus. *Culmus* dividitur in *spicam* compositam compressam, cujus *partiales* alternæ sunt circiter quinque, compresso-planæ, distichæ, erectæ, ex *capsulis* utrinque tribus vel quatuor suberectis & alternatim imbricatis. Istiusmodi spicam partialem exhibet figura 27. tabulæ CLXXXIII.

## TRADESCANTIA.

1. TRADESCANTIA (*geniculata*) caule geniculato, basi repente. TAB. LXIV.

Ranunculus aut Damasonium repens, parnassiæ foliis villosis. *Plum. ic.* 116. *f.* 2.

Planta tenella; *caulibus* herbaceis, teretibus, geniculatis, inferne repentibus, cæterum erectiusculis. *Folia* sunt cordata, acuminata, amplexicaulia, vaginantia, integerrima, alterna, hirsuta præcipue ad margines. *Paniculæ* dichotomæ, terminalis & axillares, erectæ. *Flores* parvi, corollis albis, omnino charactere congeneris sui. In Plumieri icone ultra justum pubescit planta, quod est iconibus suis vitium commune. Gaudet crescere inter Commelinas & Hapalanthos.

Habitat in Martinica ad sepes umbrosas atque humidiusculas.

## BURSERIA.

1. BURSERIA (*gummifera*) TAB. LXV.

Pistacia foliis pinnatis, deciduis: foliolis ovatis. *Linn. sp. pl.* 6. *p.* 1026.

Terebinthus maior, betulæ cortice, fructu triangulari. *Sloan. hist. jam.* 2. *p.* 89. *t.* 199. *Cutesb. car.* 1. *p.* 30. *t.* 30.

Terebinthus foliis cordato-ovatis pinnatis, cortice levi rufescente, floribus masculinis spicatis. *Brown. jam.* 1. *p.* 345.

Betula arbor americana, seminibus lithospermi frumentacei æmulis. *Pluk. alm.* 67. *t.* 151. *f.* 1.

CAL.

CAL. Perianthium triphyllum: foliolis ſubrotundis, concavis, parvis, patulis, deciduis.

COR. Petala tria, ovata, acuminata, plana, patentiſſima.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, longitudine calycis. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, obtuſe trigonum, longitudine ſtaminum. Stylus breviſſimus. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Capſula ovata, obtuſa, obſolete triangularis, unilocularis, trivalvis: valvulis carnoſis, ſucculentis.

SEM. unicum, cordato-ovatum, compreſſum; circumdatum pellicula pulpoſa, hinc convexa, inde angulata.

Arbor hæc ramoſa comoſaque ſæpius procera valde evadit. *Trunco* gaudet erecto & interdum altiſſimo; qui *materiem* continet albidam *cortice* veſtitam lævi, tenui, rufeſcente, & fruſtatim abſcedente. Tota ſcatet *ſucco* aqueo, glutinoſo, balſamico, copioſo, odore terebinthinam haud male referente, foras egreſſo in gummi inſpiſſando. *Folia* habet quotannis decidua, pinnata cum impari, interdum ternata vel ſimplicia: *foliolis* ovatis, acutis, nitidis, integerrimis, petiolatis, ſesquipollicaribus, ut plurimum utrinque tribus vel duobus. *Flores* exigui, inodori, petalis albicantibus, in *racemis* axillaribus variiſque ordinantur. *Fructus* ſunt virentes, purpurei, vel ex his miſti, nunquam a me viſi cærulei, quales in Catesbæi icone depinguntur, præ cæteris partibus balſamo imprægnati. *Semina* interdum triquetra, nitida, coloris ſubcarnei. Seminum pellicula rubra. Vidi in Curaçao arbores floribus ſimul & fructibus ferme maturis onuſtas; in quibus calyx erat quinquepartitus, petala quinque, ſtamina octo, germen immerſum receptaculo, ſtylus nullus, ſtigma ſubtrifidum. Arbores Carthagenæ obſervavi, quæ in racemis longis flores modo dictis ſimillimos gerebant; ſed hi abortabant conſtanter omnes, nec fructus mihi veſtigium ullum exhibuerunt. Hiſce intermixtæ arbores creſcebant aliæ, quibus omnes flores erant, quales in charactere deſcripſi, in racemis breviſſimis, atque abibant in fructum pariter omnes. Eſtne igitur dicenda hæc arbor dicœca? an polygama? Neque iſtud cenſeo: erant enim hermaphroditi flores illi, qui neſcio quem ob defectum ubique abortabant. Reperi itaque hexandram fertilem; octandram ſterilem: hexandram puto fertilem & octandros flores ſteriles una gerentem. Decandros flores, quos vidiſſe ſe, aſſerit Browneus; & pentandros, quales poſtulat, præter requiſita hic deſiderata alia, apud Linnæum Piſtacia; nunquam mihi, etſi de induſtria quæſiverim utrosque, offendere licuit. Exigit igitur hæc arbor novum genus, cujusmodi poſuit quidem clariſſimus Browneus, in *Enumeratione* etiam mea ſervatum, ſed cujus nomen, cum alia notiſſima arbuſcula idem quum ſit, ambiguitatis vitandæ gratia, admonitus mutavi; dixique

xique *Burſeriam* *) in memoriam Joachimi Burſeri, viri ob peregrinationes ſuas rei herbariæ amore peractas omnibus Botanicis notiſſimi. Ferunt aliqui, radicem hujus arboris ſuppeditare corticem, qui Europæis ſub Simarubæ nomine innotuit; negant alii; & adhuc ſub judice lis verſatur, quam componere nec ego autopta potui, nec potuere alii. Quod autem certum eſt, in iſtis terris, quas ego adivi, etiamſi paſſim obvia arbor ſit, cortex ille non colligitur; inſtitutaque ibidem experimenta vim quidem probavere in ipſo eandem, at multo debiliorem. Incolæ e putatis plantatisque ramis ſepes conſtruunt. Hiſpanis vocatur *Almacigo* ſeu Lentiſcus, Anglis *Birch-tree* ſive Betula, & Gallis *Gommier* ſeu Gummifera.

Habitat in Cuba, Domingo, Jamaica, Curaçao, & Continente adjacenti.

## HILLIA.

1. HILLIA (*paraſitica.*) TAB. LXVI.

CAL. Perianthium hexaphyllum, germini inſidens: foliolis oblongis, acutis, planis, erectis, fere longitudine germinis.

COR. monopetala. Tubus cylindraceus, ſexſulcatus, incurvus, apice parum ampliatus, omnium longiſſimus. Limbus ſexfidus: laciniis lanceolato-oblongis, obtuſis, planis, patentiſſimis, tubo triplo brevioribus.

STAM. Filamenta vix ulla. Antheræ ſex, oblongæ, erectæ, in parte ampliata tubi, quo paulo breviores.

PIST. Germen oblongum, obſolete hexagonum, inferum. Stylus filiformis, longitudine tubi. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. oblongum, compreſſiuſculum, biloculare, . . .

SEM. numeroſa, minima.

Planta hæc fruticoſa arboribus & muris vetuſtis inhabitat. *Caules* teretes, glabri, baſi procumbentes, cæterum erecti, e quovis loco *radices* emittunt teretes & fibroſas. *Folia* ſunt ovalia, utrinque acuminata, glabra, integerrima, petiolata, oppoſita, tripollicaria. *Flos* terminalis, ſolitarius, ſemipedalis, & ſeſſilis, calycem habet intra foliola floralia quædam abſconditum, petaloque eſt ex albido flaveſcenti. Maturum *fructum* non inveni, qui forte capſula fuiſſet futurus. Hanc plantam genere diſtinctam novamque nominavi in honorem Joannis Hill, viri operibus ſuis Botanicis clari.

Habitat

*) Nam planta, quam pro nova penitusque incognita nobis dedit Læflingius *hiſp. pag.* 194. ſub Burſeriæ genere, eſt omnino Verbena lappacea Linnæi. Qua in re deceptum fuiſſe illum, nihil eſt, quod mirer, quum a congeneribus tantopere diſcrepet. Deſcriptio hujus verbenæ Læflingiana eſt optima: characteri autem pauca addere liceat. Stamina duo reliquis longiora quidem non ſunt, ſed altiora; nam duplo altius tubo inſeruntur. Stigma obtuſum reflectitur. Semina ſingula ſunt bilocularia & nucleos binos continent; hinc fructus dici poſſet quoque capſula quadrilocularis & bipartibilis, nec dehiſcens. Creſcit imprimis inter arundines ſaccharinas in Caribæis.

Habitat in ſylvis denſis humidisque montis Calebaſſe in Martinica. Floret Aprili.

## LORANTHUS.

CAL. Perianthium ſubduplex. Fructus monophyllum, parvum, perſiſtens. Floris margo integer, exiguus, coronans germen.

COR. Petala ſex, oblonga, plana, germini impoſita, caduca.

STAM. Filamenta ſex, ſubulata, erecta, alterna breviora, adnata baſibus petalorum. Antheræ oblongæ.

PIST. Germen oblongum, inter utrumque calycem. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Bacca oblonga, obtuſa, unilocularis.

SEM. unicum, apice glutine multo tectum, in quod appendiculi ſpecie futuræ rudimentum radicis penetrat.

1. LORANTHUS (*americanus*) cymis ramoſis. TAB. LXVII.

Loranthus. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 331.

Lonicera flore coccineo, baccis nigris. *Plum. ic.* 166. *fig.* 1. *gen.* 17.

Planta fruticoſa, ramoſa, diffuſa, fragilis, ramis altiſſimarum arborum præprimis Coccolobæ grandifoliæ innaſcitur, radice viſci in modum cortici arboris firmiſſime adhærente. Amputato autem prope truncum ramo etiam maximo, cujus ſummitati increſcit, altero jam die tota flacceſcit planta, bremaximo, cujus ſummitati increſcit, altero jam die tota flacceſcit planta, brevique perit; indicio, ni fallor, evidenti, ex ipſis illam motis per vivam hanc arborem liquoribus nutrimentum ſuum haurire. *Folia* ſunt ſubovata, craſſa, coriacea, avenia, integra, nitida, petiolata, oppoſita, rarius alterna; plerumque præmorſa & difformia ferme omnia; puto, quia in cacuminibus creſcentem altiſſimarum arborum, ventorum oportet violentiæ valde eſſe obnoxiam. Corymbi ramoſi, inæquales, axillares & terminales; ramuſculis ultimis ſæpius trifloris. *Flores* numeroſi, inodori, coccinei, elegantes, pedunculati, ſesquipollicares, penduli; in quibus calyx fructus eſt concavus & ore inæquali; calyx floris margo inæqualis. Petala acuta & omnium longiſſima ultra medietatem corollam mentiuntur monopetalam tubuloſam hexagonam incurvamque; ſuperne patent in limbum ſubſecundum. Staminа corollam æquant, quibus antheræ obtuſæ incumbunt. Linnæus in *Syſt. nat. pag.* 988. hanc plantam confudit cum Scurrula prima Brownei & cum Læflingiana Stelide etiam prima; quæ, etiamſi ejusdem ſint generis, ſpecie a Plumeriana evidenter differunt; ut patebit conferenti deſcriptiones.

Habitat in ſylvis montoſis Martinicæ.

2. LORANTHUS (*ſpicatus*) ſpicis quadrangularibus. TAB. LXVIII.

Planta fruticosa, ramosa, parasitica arbuscularum, *radici* innititur, quæ mox bifariam divisa ambit ramulum, cui increscit, postea in unam rursus ita confluens, ac si divisa nunquam fuisset; tuncque fibrillis ubique emissis, trans ramum ad magnam persæpe longitudinem decurrit. *Rami* sunt lignosi, diffusi, & fragiles. *Folia* habet integerrima, obtusa, glabra, coriacea, ad tactum pinguia, petiolata, opposita, notata venis adscendentibus atque a basi ortum communem ducentibus ferme omnibus; figura valde inconstanti ovata, ovalia, obovata, vel subrotunda. *Spicæ* oblongæ, crassæ, tetragonæ, quadrisulcatæ, axillares, solitariæ, folia non superantes. *Flores* sunt exigui, inodori, rubri, plurimi, serie longitudinali quadruplici in spica profunde sessiles. In his calyx fructus dumtaxat est squamula ore inæquali. Petala semierecta basi corollam monopetalam mentiuntur, superne æqualiter patentissima, longiora duplo staminibus. Germen parvum spicæ immergitur. *Bacca* ex ovato oblonga viresçit cum apice rubro, gluten lacteum continente.

Habitat Carthagenæ passim in fruticetis & sylvis circa arcem sancti Lazari. Floret Aprili & Majo.

3. LORANTHUS (*uniflorus*) racemis simplicissimis. TAB. LXIX.

Planta fruticosa & parasitica *radicibus ramis*que prædita est, quales descripsi in præcedente. *Folia* sunt subovalia, obtusa cum exiguo acumine, integra, glaberrima, coriacea, notata venis lateralibus e medio nervo ortis, petiolata, opposita, sæpe læsa & difformia. *Racemi* simplicissimi, axillares, & terminales, solitarii; *pedunculis partialibus* unifloris. *Flores* parvi & inodori. *Calyx fructus* trifidus in lacinias dividitur ovatas, concavas, acutas, atque erectas. *Petala* purpurea, obtusa, & patentissima, longitudine sunt eadem, qua germen. *Filamenta* petalis duplo breviora sunt: quorum longiora tria alterna plerumque antheris carent, sed harum loco gerunt corpusculum quoddam, antheræ simile quidem, sed decolor nullumque continens pollinem. *Bacca* cylindracea, utrinque depressa, cortice atro, pulpa glutinosa & lactea.

Habitat in sylvaticis & fruticosis Domingo. Floret Novembri & Decembri.

4. LORANTHUS (*pedunculatus*) racemis simplicibus, solitariis; floribus ternis, pedunculatis.

Planta fruticosa, parasitica. *Radix*, ut in spicato. *Rami* nitidi, longi, reclinati; in locis, quibus alios tangunt ramos, iisdemve prope adjacent, radiculas emittunt crassas teretesque. *Folia* habet cordato-ovata, integerrima, acumine brevi instructa, nitida, coriacea, petiolata, opposita, bipollicaria, venis a nervo medio ortis. *Racemi* axillares, foliis breviores, solitarii, simplices, flores circiter viginti & unum sustinent: *pedunculo principali* compresso-plano, latoque; *partialibus* trifloris; *propriis* unifloris. *Flores* inodori,

odori, parvi, calyce fructus gaudent ovato, concavo, integro: petalis albis, cæterum ut in præcedente. Filamenta ſunt duplo petalis breviora, quorum tria alterna augentur ſuperne duobus appendiculis ſubrotundis. Antheræ ſæpe omnino abſunt, quarum tunc occupant loca corpora cuſpidata erectaque: hinc flores in hac ſpecie abortant frequentiſſime. *Fructum* maturum non vidi.

Habitat Carthagenæ in ſylvaticis, præſertim ad inundata maritima.

5. LORANTHUS (*ſeſſilis*) racemis ſimplicibus, ſolitariis; floribus terniis, ſeſſilibus.

Planta fruticoſa & paraſitica, habitu omnino præcedentis. At *rami*, ut in ſpicato. *Folia* ovata, & ſesquipollicaria. *Flores* absque *pedunculis propriis* inſident *pedunculi partialis* incraſſato apici. Filamenta ſemper omnia antherifera. *Baccæ* e rubro ſordide virent.

Habitat Carthagenæ in ſylvis.

## PANCRATIUM.

1. PANCRATIUM (*littorale*) ſpatha multiflora; ſcapo compreſſo, ancipiti; corollæ laciniis tubo duplo brevioribus; foliis enſiformibus. TAB. CLXXIX. fig. 94.

*Radix* bulboſa, pugni magnitudine. *Folia* enſiformia, integerrima, acuta, nitida, patentia, ſaturate virentia, tres quatuorve pedes longa, vix ſesquipollicem lata, ad baſin imbricata & diſtiche mutuo amplexantia. *Scapus* bipedalis, valde compreſſus, hinc pollicem latus, anceps, nitidus, viridis, rore glauco tectus, axillaris, erectus vel interdum declinatus. *Spatha* circiter decemflora. *Flores* ſpecioſi, patuli, ſeſſiles in apice ſcapi, odorem ſpirant gratum & aromaticum. Corollæ tubus pallide viret; eſtque teres, tenuis, baſi leviter ampliatus, octopollicaris. Limbus candidus in lacinias dividitur lineares, canaliculatas, integerrimas, patentiſſimas, tripollicares, apicibus magis minusve incraſſatis & ſolidis. Nectarium eſt campanulatum, eroſo-emarginatum, corollæ laciniis triplo brevius, patens, candidum. Filamenta ſubulata, patula, viridia, nitentia, limbum corollæ non excedunt. Antheræ ſunt aurantiæ.

Habitat copioſe in littoribus arenoſis maritimis inſulæ Tierra Bomba prope Carthagenam.

2. PANCRATIUM (*declinatum*) ſpatha multiflora; ſcapo compreſſo, ancipiti; corollæ laciniis tubum ſubexcedentibus; foliis lingulatis.

*Folia* lingulata, utrinque acuta, integerrima, nitida, erecta, tripedalia, tres quatuorve pollices lata. *Scapus* longitudine foliorum, valde compreſſus, anceps, ſesquipollicem latus, viridis, totus ſemper a me obſervatus eſt

in terram dejectus. *Spatha* circiter duodecimflora. *Flores* odorati, candidi, ſeſſiles, fere ſemipedales, laciniis tubum leviter ſuperantibus, nectario pollicari, filamentis longitudine corollæ.

Hoſpitatur cultum in Martinicæ hortis, e Cayenna fortaſſe allatum.

## AGAVE.

1. AGAVE (*cubenſis*) corollis hexapetalis; foliis ciliato-ſpinoſis. TAB. CLXXV. Fig. 28.

Nequametl. *Marcgr. bras. l.* 2. 16.

CAL. nullus.

COR. Petala ſex, ovalia, obtuſa, planiuſcula, patula, germini inſidentia; quorum tria exteriora paulo anguſtiora.

STAM. Filamenta ſex, patula, petalis duplo breviora, inferiore media parte obovata compreſſa omniumque craſſiſſima, deſinentia in ſuperiorem partem ſubulatam & acuminatam. Antheræ oblongæ, maximæ, verſatiles.

PIST. Germen oblongum, obſolete triquetrum, leviter incurvum, longitudine fere corollæ, inferum. Stylus triquetrus, triſulcatus, erectus, baſeos omnium craſſiſſimæ angulis applanatis marginatisque, ſuperne ſubulatus & tenuior, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, obſolete trifidum.

PER. Capſula oblonga, triſulca, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, angulata.

Planta elegantiſſima. *Folia* enſiformia, acuminata, ciliato-ſpinoſa, craſſa, erecta, pallide virentia, tres quatuorve pedes longa. *Scapus* erectus, quindecimpedalis, pulcherrimus, paniculatus. *Flores* numeroſiſſimi, penduli, externe ſordide albentes, interne virentes ſordide, odorem ſpirantes gratiorem Tagetis. Planta eſt vivipara, cujus novæ ſoboles mentiuntur bulbos, compoſitos ex ſquamis ſubrotundis integerrimis ſibique mutuo incumbentibus, & plantulas producunt ubique ramulis paniculæ inhærentes. Foliis saponis loco in lotionibus utuntur incolæ, apud quos *Maguei* audit.

Habitat frequens in Cuba. Floret Novembri & Decembri.

## PEPLIS.

1. PEPLIS (*tetrandra*) floribus monopetalis, tetrandris. TAB. CLXXXII. Fig. 29.

Ammannia hirta, foliis parvis orbiculatis, floribus ſingularibus ad alas. *Brown. jam.* 1. *p.* 145.

CAL.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, tubo inferne germini circumnato: limbo circiter octofido; laciniis lanceolatis, concavis, acutis, erectis, perſiſtentibus.

COR. monopetala. Tubus infundibuliformis, erectus, calyce longior. Limbus quadrifidus: laciniis ſemiovatis, acutis, planis, patentiſſimis.

STAM. Filamenta quatuor, omnium breviſſima, in ipſo fundo tubi corollæ. Antheræ ſimplices.

PIST. Germen ſubrotundum, compreſſum, depreſſum, tubo calycis adnatum. Stylus filiformis, erectus, tubo corollæ brevior. Stigmata duo, ſubulata, patentia.

PER. Capſula compreſſa, utrinque in latus producta, laciniis coronata calycinis, bilocularis, bivalvis.

SEM. plura, ſubrotunda.

Plantula tenella, annua. *Radix* fibroſa tubera diſtincta profert. *Caules* teretes, glabri, bipollicares, ramuſculis alternis rarisque aucti, procumbunt. *Folia* ſunt ovato-ſubcordata, obtuſa, integerrima, glabriuſcula, petiolata, oppoſita. Petiolos utrinque connectunt *ſtipulæ* parvæ & ſolitariæ. *Pedunculi* uniflori, breves, ſolitarii, axillares & terminales. *Florum* corolla candida.

Habitat paſſim circa Havanam in foveis rupeſtribus maritimis. Florentem vidi Decembri.

# TETRAGYNIA.

## PETIVERIA.

1. PETIVERIA (*octandra*) floribus octandris.

Planta fruticoſa, tripedalis, odoris alliacei; Petiveriæ alliaceæ, nunc in hortis Botanicis ſatis vulgari, adeo ſimilis, ut nihil, quod addam, habeam; ſi non, eſſe flores octandros omnes ſtaminibus inæqualibus; & corpus penicilliforme, quod germini adſidet, in hac eſſe rubrum, in alia album.

Habitat frequens in Martinica, aliisque Caribæis. Floret fere integrum annum.

# OCTANDRIA.
# MONOGYNIA.

## TRIGONIS.

1. TRIGONIS (*tomentoſa.*)

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis oblongis, concavis, obtuſis, erectis.

COR. Petala quinque, triangularia, baſi acuminata, plana, erecta, interne hirſuta, longitudine calycis, apice villoſa.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, erecta, baſi hirſuta, petalis duplo longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ovatum, hirſutum, ſuperum. Stylus nullus. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. . . .

SEM. . . .

Arbuſcula duodecimpedalis, erecta. *Rami* juniores & foliorum *coſtæ* leviter tomentoſa. *Folia* pinnata, alterna, ſemipedalia: *foliolis* utrinque ut plurimum tribus ſine impari, oblongis, baſi attenuatis, emarginatis, ſerratis, facie glabris, dorſo tomentoſis, alternatim ſitis; exterioribus majoribus, & ſæpe vel ſemipedalibus coſtaque longioribus. *Racemi* ſimplices, erecti, axillares, ſeptempollicares; *pedunculis propriis* brevibus. *Flores* parvi, numeroſi, petalis ſubflaveſcentibus. *Fructus* mihi deeſt anatome. Ob petala inverſum triangulum iſoſceles formantia plantam hanc, quam putavi ſolo flore novum genus exigere, *Trigonida* appellavi.

Habitat in Domingo in ſylvaticis.

## OENOTHERA.

1. OENOTHERA (*octovalvis*) foliis lanceolato-oblongis, acuminatis, planis, glabris. TAB. LXX.

Oenothera aſſurgens glabra, foliis lanceolatis alternis integerrimis, floribus ſolitariis alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 208.

Oenothera foliis perſicariæ anguſtioribus, flore magno luteo. *Plum. ic.* 175. *f.* 1.

CAL. Perianthium tetraphyllum: foliolis ovatis, acuminatis, planis, vix coloratis, patentibus, germini inſidentibus, tandem deciduis.

COR.

Nectarium quinquedentatum, ſtellatum, lanuginoſum, conniven-
do os tubi claudens.

STAM. Filamenta quinque, breviſſima, infra nectarium. Antheræ oblon-
gæ, erectæ.

PIST. Germen ſubrotundum, ſubbifidum. Stylus filiformis, compreſſus,
longitudine ſtaminum. Stigma ſubovatum, capitatum, magnum,
apice bifido.

PER. Drupa ſubrotunda, depreſſiuſcula, nitida, in apice notata punctis
duobus umbilicatis ſulcoque transverſo in eadem terminato, hunc de-
cuſſante ſulco altero obſoleto, carnoſa, lacteſcens.

SEM. Nux depreſſa, utrinque producta in latera, obtuſe & obſolete tetra-
gona, ſulcis decuſſantibus notata, bilocularis, quadrivalvis. Nuclei
ſolitarii.

Arbuſcula elegans, tota lacte copioſo candido & venenato ſcatens, erecta, duodecimpedalis. *Rami* teretes, infirmi, cicatricibus a foliorum lapſu remanentibus pleni. *Folia* linearia, acuminata, integerrima, glabra, petiolata, ſparſa, numeroſa, plus minus quadripollicaria, in extremitatibus ramulorum. *Pedunculi* ſæpius uniflori, interdum pauciflori, axillares. *Flores* ſpecioſi, odoratiſſimi, magni, lutei. *Fructus* virides, diametro ſemipollicari.

Habitat in Cuba & Martinica rarius.

## SOLANUM.

1. SOLANUM (*bombenſe*) caule inermi, fruteſcente; foliis ovalibus, utrinque attenuatis, integerrimis; racemis cymoſis.

Arbuſcula erecta, comoſa, duodecimpedalis. *Folia* in planta juniore ſæpe pedalia. *Flores* parvi, corollis albis, in *racemis* foliis duplo brevioribus.

Habitat in fruticetis inſulæ Tierra Bomba circa Carthagenam.

2. SOLANUM (*havanenſe*) caule inermi, fruteſcente; foliis ovali-lanceolatis, nitidis, integerrimis; pedunculis ſubbifloris. TAB. XXXV.

Frutex erectus, quinquepedalis. *Rami* pauci. *Folia* obtuſiuſcula, plana, alterna, petiolata. *Pedunculi* biflori vel triflori, laterales, rari. *Flores* pulchelli, inodori, diametro fere pollicari. *Calyx* pentaphyllus: *foliolis* oblongis, obtuſis, aliquot interdum membrana tenui conjunctis. *Petalum* cæruleum, amplum, patentiſſimum totum, tuboque vix ullo donatum: *limbo* diviſo in lacinias latas, breviſſimas, cumque acumine emarginatas. *Antheræ* craſſæ, utrinque obtuſæ, non contiguæ. *Bacca* ovata, nitidiſſima, ſaturate cærulea, ſucco pauco aquoſo rigua, pulpam continet vix ullam. *Semina* reniformia, compreſſa, affixa *receptaculo* carnoſo-pulpoſo, quod utrinque longitudinaliter medio diſſepimento adnaſcitur. Reliqua ſunt, ut in

COR. Petala quatuor, obcordata, plana, emarginata, patentiſſima, calyce longiora.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, incurva, fere longitudine ſtyli. Antheræ ovales, incumbentes.

PIST. Germen cylindraceum, longum, octoſtriatum, inferum. Stylus craſſus, erectus, calyce duplo brevior. Stigma capitatum, magnum.

PER. Capſula cylindracea, longiſſima, octoſtriata, unilocularis, octovalvis.

SEM. numeroſa, angulata, minima, pappo deſtituta. Receptaculum columnare, tetragonum, liberum.

Videtur hæc planta cum Epilobiis conjungere Oenotheras; ita cum utrisque charactere convenit, pariterque diſcrepat ab iisdem.

Habitat in Caribæis plerisque.

## COMBRETUM.

CAL. Perianthium monophyllum, ſubcampanulatum, quadridentatum, acutum, germini inſidens, deciduum.

COR. Petala quatuor, ex inciſuris calycis.

STAM. Filamenta octo, capillaria, corollam ſuperantia. Antheræ incumbentes.

PIST. Germen lineare, quadriſulcatum, inferum. Stylus capillaris, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, acutiuſculum.

PER. Capſula linearis, abiens in alas membranaceas quatuor fere ſemicirculares magnasque, unilocularis, non dehiſcens.

SEM. unicum, oblongum.

1. COMBRETUM (*ſecundum*) foliis oppoſitis; ſpicis ſecundis. TAB. CLXXVI. Fig. 30.

CAL. Perianthii colorati tubus ad ortum ſtaminum villis conniventibus claditur. Limbi laciniæ ſunt ſemiovatæ, planæ, patulæ, tubo paulo breviores.

COR. Petala ovata, plana, acuminata, patula, laciniis calycinis duplo breviora minoraque.

STAM. Filamenta longiſſima, patenti-erecta, orta in media parte tubi calycis. Antheræ oblongæ.

PER. Capſulæ alæ rigidæ.

SEM. teres.

Arbuſcula duodecimpedalis, *ramis* teretibus longiſſimis & ſubſarmentoſis, arboribus vicinis ſe ſuſtentat, incumbitque. *Folia* habet ex ovato oblonga, acuminata, integerrima, glabra, venoſa, diſticha, petiolata, oppoſita, quadripollicaria, in ramuſculis florentibus ſuperiora minora. *Spica* pinnata

ta ex oppoſitis diſtichis numero incerto pluribus unaque terminali, cum ipſa rami extremitate, ex qua oritur, horizontaliter protenditur: *pedunculis propriis* unifloris, omnium breviſſimis, denſiſſimeque poſitis. *Flores* numeroſiſſimi, fere inodori, e viridi flaveſcente toti, antheris dumtaxat rubris, omnes ſurſum vertuntur atque eriguntur; unde ſpicularum filamenta confectam e filis vitreis criſtam eleganter imitantur. Rami fracti, tritaque manu folia, odorem ſpirant fœtidum & valde ingratum. *Semina* inveni plerumque eroſa ab inſectis. In hoc genere facile imponit incauto germen, ac ſi eſſet pedunculi pars; ſed prævia pericarpii cognitio, atque in hac quidem ſpecie majus calycis volumen periculum erroris tollunt.

Habitat Carthagenæ in arbuſtis & fruticetis. Floret Novembri. Semina collegi Martio & Aprili.

2. COMBRETUM (*laxum*) foliis oppoſitis; ſpicis laxis, ſimplicibus.

CAL. Perianthium leviſſime quadridentatum.

COR. Petala ſubrotunda, concava, obtuſa, patentiſſima, calyce duplo breviora.

STAM. Filamenta longiſſima, patentia, orta in fundo tubi calycis. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

SEM. quadriſulcatum, rugoſum.

Frutex *ramis* teretibus, ſcandentibus, junioribus brachiatis. *Folia* ovata, acuminata, interdum obtuſa ſimpliciter vel cum acumine, integerrima, glabra, petiolata, oppoſita, tripollicaria. *Spicæ* laxæ, erectæ, tripollicares, axillares & terminales; *pedunculis propriis* breviſſimis. *Flores* exigui, albicantes; quorum petala etſi ratione floris totius ſint exigua, ad dentes tamen calycis ſunt maxima.

Habitat in Domingo in fruticoſis. Floret Decembri.

3. COMBRETUM (*decandrum*) foliis alternis; floribus decandris.

CAL. Perianthium quinquefidum: laciniis ſemiovatis, planis, tubo duplo brevioribus.

COR. Petala quinque, oblonga, obtuſa, plana, patentiſſima, laciniis calycis duplo longiora.

STAM. Filamenta decem, inferne erecta, ſuperne circinata. Antheræ oblongæ, didymæ.

PIST. Germen quinqueſulcatum.

PER. Capſulæ alæ quinque, non rigidæ.

SEM. teres.

Frutex infirmus, ramoſus, vicinis ſe ſuſtentat, ſcanditque ad viginti pedum altitudinem. *Rami* lenti, longiſſimi, tenues, lignoſi, ſubviminei. *Aculei* ſubulati, obtuſi, leviter recurvi, ſemipollicares, rari, ſparſi, præcipue

in

in ramis ſenioribus. *Folia* ex ovali oblonga, integerrima, nitida, petiolata, alterna, duos tresve pollices longa, quotannis decidua, deſinentia in acumen obtuſum ſubcanaliculatum cartilagineumque. *Spicæ* laxæ & ſemipedales plus minus decem in pedunculo communi etiam ſemipedali locantur: cujusmodi pedunculi ſive *ſpicæ compoſitæ* numero inconſtanti plures oriuntur ad extremitates ramulorum, qui eodem ſimul tempore, ſpectaculo ſingulari, ultra flores elongantur ad ſex ſæpe pedes, aphylli debilesque. *Pedunculi proprii* ſunt breviſſimi. *Flores* numeroſiſſimi parvique totas hinc albedine ſua ſepes inſigniunt; prodeuntque ut plurimum ante folia. *Fructus* ſubfuſci, volumine præcedentium.

Habitat Carthagenæ in ſepibus, ſylvaticis, & fruticetis. Floret Majo & Junio. Fert fructum Julio & Auguſto.

## ELAPHRIUM.

CAL. Perianthium quadripartitum, deciduum: foliolis lanceolatis, acutis, erectis.

COR. Petala quatuor, ovata, plana, acuta, patula, calyce paulo longiora.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, erecta, alterna longiora, calycem non ſuperantia. Antheræ oblongæ, obtuſæ.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus brevis, erectus. Stigma bifidum, acutum.

PER. Capſula ſubgloboſa, ſulco longitudinali notata, glabra, unilocularis, bivalvis: valvulis coriaceis, craſſis, ſucco balſamico ſcatentibus.

SEM. unicum, ſubrotundum, compreſſum, oſſeum, margine ſuperiori acuto, inferiori obtuſo, baſi & lateribus pulpa molli veſtitum.

1. ELAPHRIUM (*tomentoſum*) foliis tomentoſis. TAB. LXXI. Fig. 1. 2. 3.

Arbor hæc inelegans viginti altitudinem pedum non raro excedit; totaque ſcatet ſucco odorato, balſamico, glutinoſo, ad Burſeriæ ſucci indolem multum accedente. *Materiem* præbet albam & leviſſimam; e qua inſularum Bonayres & Arubæ incolæ barbari ephippia perficiunt, ex una eademque trunci parte elaborata ſolida; quibus nudis absque pulvinari, ovino dumtaxat vellere ſuperimpoſito, ad equitandum utuntur; unde Batavis dicitur *Zaedelhout*, hoc eſt, Lignum ephippiorum. In *ramos* diſpeſcitur craſſos, paucos, longos, irregulares, ſæpe fulcratos. *Folia* habet pinnata, utrinque tomentoſa, alata, quotannis decidua, ex apicibus ramulorum cum ipſis una floribus aut paulo poſt eosdem prodeuntia: *foliolis* utrinque quatuor cum impari, ovatis, obtuſis, crenatis, venoſis, vix pollicaribus. *Racemi* ſimplices, pollicem vel ſesquipollicem longi, plures in ramuſculorum extremitatibus enaſcuntur. *Flores* ſunt exigui, calycibus albidis, corollis ſubflaveſcentibus.

Ex his plurimi germen habent minimum receptaculoque immersum, cum stigmate duplici & obtuso, stylo intermediante nullo: quos abortare observavi. *Fructus* pisi magnitudine viresçunt; quorum ruptæ valvulæ guttatim balsamum exstillant. *Semen* in parte nuda nigresçit, in tecta albicat. Pulpa vero ipsa, qua firmiter circumdatur, est coccinea, a capsulæque caducis valvulis prorsum libera. A ligni levitate (ἐλαφρία) novo huic generi nomen imposui.

Habitat in Curaçao vicinisque insulis; locis saxosis vel glareosis. Floret Julio & Augusto.

2. ELAPHRIUM (*glabrum*) foliis glaberrimis. TAB. LXXI. Fig. 4.

Arbuscula habitu præcedentis; at ramosa magis, neque a me visa tam alte excresçere. *Folia* pinnata, alata, glaberrima: *foliolis* lanceolato-ovatis, crenatis inæqualiter. *Flores* & *fructus* iidem.

Carthagenæ habitat in fruticosis maritimis proxime suburbium Xiximani. Floret Julio & Augusto. Fructum dat maturum Novembri.

## XIMENIA.

1. XIMENIA (*multiflora*) pedunculis multifloris. TAB. CLXXVII. Fig. 31.

Ximenia. *Linn. hort. Cliff.* 483.

Ximenia aculeata, flore villoso, fructu luteo. *Plum. gen.* 6. *ic.* 261. *f.* 1.

CAL. Perianthium monophyllum, minimum, campanulatum, semiquadrifidum, acuminatum, persistens.

COR. Petala quatuor, oblonga, plana, acuta, magna, interne (basi & apice exceptis) pilis numerosis rectis obsita, inferne erecta tubumque formantia, superne revoluta.

STAM. Filamenta octo, filiformia, erecta, germine paulo breviora. Antheræ lineares, obtusæ, erectæ, longitudine corollæ.

PIST. Germen ovato-oblongum, obtusum, petalis duplo brevius. Stylus filiformis, erectus, longitudine staminum. Stigma simplex, obtusum.

PER. Drupa subovata, magna.

SEM. Nux subrotunda, magna. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbuscula hæc erecta ramosaque quindecim vulgo pedum altitudinem adipiscitur. *Folia* habet ovato-oblonga, integerrima, emarginata, glabra, petiolata, bipollicaria, tria quatuorve simul orta ex tuberculis alternantibus armatisque ad latus *spina* subulata quadrilineari fortique, non raro tamen vel in toto quodam ramo principali absente. *Pedunculi* foliis breviores, numero inconstanti bini terni quaternive ex eodem cum illis tuberculo prodeunt, racemosi, & plus minus quinqueflori. *Flores* albidi præditi sunt odore suavissimo

viſſimo lateque per viciniam ſe diffundente, in quo mihi ſum viſus animadvertere aliquid thuris accenſi. *Fructus* ſunt lutei, nitidi, ovi magnitudine columbini; veſtiti cortice tenuiori; continentes pulpam paucam, ſubacido-dulcem, luteam, barbaris puerisque comeſtam. *Nux* glabriuſcula eſt, & ſordide albicat. *Nucleus* figura ſua haud male refert nucem myriſticam, ſubſtantiæ eſt candidæ ad guſtumque gratæ, at ignoro, utrum edulis. Apud Domingenſes nomen *Croc* ſive Dentis adunci ob ſpinas fortaſſe ſuas obtinuit. Perperam Plumierus, numeri partium negligens obſervator, in iconibus ſuis corollam delineavit tripetalam, quam perpetuo tetrapetalam inveni. Brownei Amyris tertia hujus eſſe ſpecies videtur, pedunculis unifloris diſtinguenda.

Habitat Carthagenæ paſſim in ſylvula Bosque; & in Domingo. Florentem vidi Septembri & Octobri. Collegi fructus Decembri.

## AMYRIS.

CAL. Perianthium monophyllum, parvum, campanulatum, erectum, ſemiquadrifidum, acutum, perſiſtens.

COR. Petala quatuor, ſubrotunda, concava, obtuſa, patentiſſima, caduca.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, erecta. Antheræ oblongæ, erectæ, fere longitudine corollæ.

PIST. Germen ovatum. Stylus craſſiuſculus, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitato-obtuſum.

PER. Drupa ſubrotunda.

SEM. Nux globoſa, nitida. Nucleus ejusdem figuræ.

1. AMYRIS (*ſylvatica*) foliis ternatis, acutis.

Amyris foliis ternatis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1000.

Elemifera foliis ternatis. *Linn. hort. Cliff.* 486.

Frutex trifolius reſinoſus, floribus tetrapetalis albis racemoſis. *Catesb. car.* 2. *p.* 33. *t.* 33.

Frutex erectus, folioſus, parum ramoſus, varie a bipedali ad quindecimpedalem altitudinem pro loci ſolique varietate increſcit. Totus abundat ſucco terebinthino, odoris fortis & ingrati. *Ramuſculi* teretes ad extremitatem fere usque *foliis* ornantur, quæ ſunt ternata, nitida: *foliolis* crenulatis, acutis, bipollicaribus; ovatis, lanceolatis, cordato-ovatis, vel rhombeis. *Racemi* paniculati, erecti, terminales & axillares, *flores* ſuſtinent plurimos, exiguos, petalis niveis. *Drupa* magnitudine piſi, rubra cum ſucco rubro, perſiſtens exſiccatur & veluti in pericarpium mutatur coriaceum. Reſina Elemi huic frutici ortum nullatenus debet; quæ conjectura eſt erronea.

Habitat copioſe Carthagenæ in ſylvis umbroſis maritimis. Floret Auguſto.

2. AMYRIS (*maritima*) foliis ternatis, obtuſis.

Frutex nanus, ramoſus, ſucco ſcatet haud prioris abſimili, ſed gratiori & rutæ quiddam ſpirante. *Folia* ſunt ternata & nitida: *foliolis* ovatis, crenulatis, obtuſis, vix pollicaribus. *Racemi*, quales in præcedente. *Fructus* duplo majores, nigri, ſucco purpureo. Utrum dicta diſcrimina ſoli induxerit varietas, ignoro: at Havanæ iſtiusmodi ſemper omnes inveni.

Habitat Havanæ in rupeſtribus maritimis.

## MELICOCCUS.

1. MELICOCCUS (*bijugatus.*) TAB. LXXII.

Melicoccus foliis ut plurimum bijugatis ovatis, per pennas alatas diſpoſitis. *Brown. jam.* 1. *p.* 210.

Nux americana, foliis alatis bifidis. *Comm. hort.* 1. *p.* 183. *t.* 94.

Nux americana, coſta foliorum appendiculis aucta. *Pluk. alm.* 265. *t.* 207. *f.* 4.

CAL. Perianthium tetraphyllum, perſiſtens: foliolis ovatis, obtuſis, concavis, patentibus.

COR. Petala quatuor, oblonga, concava, obtuſa, inter foliola calycis tota reflexa.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, erecta, breviſſima, in centro diſci glanduloſi plani circumſtantia germini. Antheræ oblongæ, obtuſæ, erectæ.

PIST. Germen ovatum, leviter compreſſum, longitudine, fere corollæ. Stylus breviſſimus. Stigma ſubpeltatum, magnum, umbilicatum, utrinque in latus productum, obliquum.

PER. Drupa ſubrotunda, glabriuſcula, magna, corticoſa, ſtylo obtuſe acuminata.

SEM. Nux ſubrotunda, coriacea, glabriuſcula, magna. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbor hæc eſt procera, comoſa, ramoſa, atque elegans. *Folia* habet bijugata, nitida, alterna: *coſtis* compreſſo-planis, nunc alatis, nunc nudis: *foliolis* ſubovatis, obtuſiuſculis, integerrimis, breviſſime petiolatis, interioribus alternis, exterioribus una terminalibus & majoribus. *Racemi* ſimplices, vel in paucos ramos diviſi, & terminales continent *flores* parvos & numeroſos petalis albicantibus. Varietas in his quoad odorem obtinet; dantur enim arbores, quarum flores omnes odorem ſpirant eminus gratiſſimum, & quas maſculas vocant Curaçavienſes, fructumque proferre, vulgo negant. Alias vero, in quibus omni flores deſtituuntur odore, fæminas nuncupant, easque fructiferas ſolas perhibent. Utriusque ego examinavi flores, nec vel minimum in partibus diſcrimen detexi; ulterius autem inveſtigandi defuit

mihi

mihi occaſio, quandoquidem in eodem loco mora tanta haud fuerit, ut in examinatis arboribus florigeris potuerim fructus exſpectare: maneat igitur penes incolas fides. *Fructus* ſubrotundi & diametro circiter pollicari, in quovis racemo triginta fere ſuccedunt. His *cortex* eſt viridis, glabriuſculus, ſiccior, duos ungues craſſus, interne nitidus & a pulpa liberrimus; quæ exempta, colore, magnitudine, figura, & conſiſtentia vitellum refert ovi gallinæ minoris; eſtque glutinoſa, edulis, ſapore dulci cum acidulo atque auſteriuſculo miſtis. Incolæ fructus inter dentes prehenſi corticem levi morſu in duo transverſim diſſilire hemisphæria cogunt: atque abjecto ſuperiori, ex altero pulpam, corticis fundo leviter adhærentem, una cum nuce contenta dentibus extrahunt. Hæc exſpuitur; illa ſuctione diffluit. Pro fructus maturitate perfectiore magis minusve glutinoſa eſt pulpa; ita tamen ut etiam ex maturiſſimo fructu ſemper remaneat in ore mucus aliquis, qui diſſolvi ſaliva nequeat. *Nuces* caſtanearum in modum igne aſſantur & comeduntur apud Curaçavienſes. In fructibus majoribus interdum duæ vel tres nuces continentur, ſingulæ pulpa ſua involutæ; at tunc pro numero ſituque figuram mutantes. Hiſpanis appellantur fructus *Moños*, Batavis *Knippen*.

Habitat Carthagenæ ſylveſtris; culta in hortis Curaçavienſibus vulgaris, in Jamaicenſibus rara.

## DODONÆA.

1. DODONÆA (*viſcoſa.*)

Aceri vel paliuro afficinis anguſto oblongo ſalicis folio, flore tetrapetalo herbaceo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 27. *t.* 162. *f.* 3.

Triopteris erecta fruticoſa, foliis oblongis acuminatis, ramulis gracilibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 19. *t.* 18. *f.* 1.

Triopteris Jamaicenſis, anguſto ſalicis folio, fructu minore fuſco. *Pluk. alm.* 377. *t.* 447. *f.* 5.

Staphylodendron foliis lauri anguſtis. *Plum. ſpec.* 18. *ic.* 247. *f.* 2.

Frutex innominatus primus. *Marcgr. bras. l.* 2. *c.* 13.

CAL. Perianthium tetraphyllum, deciduum: foliolis ovatis, concavis, obtuſis, patentibus, latitudine inæqualibus.

COR. nulla.

STAM. Filamenta octo, omnium breviſſima. Antheræ oblongæ, acutæ, utrinque longitudinaliter ſulcatæ, arcuatæ, hinc conniventes, longitudine calycis.

PIST. Germen triquetrum, longitudine calycis. Stylus craſſus, longiſſimus, obſolete triſulcatus, erectus. Stigma obſolete trifidum, acutiuſculum.

PER. Capſula triſulcata, inflata, aucta tribus alis ſubrotundis membranaceis & magnis, trilocularis.

SEM. in quolibet loculamento bina, ſubrotunda, affixa ſulcis profundis diſſepimenti ovalis utrinque acuminati & triſulci.

Frutex hic erectus, ramoſus, quinquepedalis, totus viſcoſus eſt & fœtidus. *Rami* juniores ſunt angulati. *Folia* habet oblonga, cum acumine obtuſiuſcula, baſi attenuata, integerrima, alterna, petiolo vix ullo; in planta tenella quæ primis menſibus prodeunt, plerumque repanda vel ſerrata. *Flores* racemoſi in iisdem ſæpe ramuſculis valde variant. Sic calycem frequenter inveni triphyllum, interdum etiam pentaphyllum. Ego tetraphyllum aſſumpſi; cum quod occurrat hujusmodi calyx frequentius; tum quod obſervabam, in triphyllo majuſculum ſemper foliolum aliquod, exaratum ſulco longitudinali, tetraphyllam originem veluti indicare. Pentaphylli vero, ut infrequentis, rationem nullam habui. In quocunque calyce non raro una tertia parte caret piſtillum; unde Sloaneus in icone ſua ſat conveniente capſulas biloculares, nec triloculares, omnes exhibuit. Neque fit hoc eo, quod obſoleſcat germinis quædam ala vel loculamentum; nam vel minimum tunc germen eſt ſubrotundo-compreſſum cum ſtylo biſulcato. Stamina interdum ſunt ſeptem, rariſſime ſex. *Semen* alterum crebro abortat, interdum utrumque; at remanent eorumdem emarcida rudimenta, numeri nativi vera indicia. Icon Browneana varietatem videtur repræſentare. Cæterum mire hanc plantam confuderunt Botanici. Haud enim recte ſuſpicatus eſt clariſſimus Linnæus in ſuis Speciebus, Sloanei plantam eſſe Triopterygem ſuam. Browneum erraviſſe inverſa ratione, patet. Triopterygem veram in Martinica examinavi ſæpius, quam perfecte cum dato a Linnæo charactere congruere cognovi. Sunt itaque ab invicem hæ plantæ diverſiſſimæ. Macula illa alba, cujus apud Marcgravium fit mentio, in ſemine a me nunquam obſervata fuit. An obvium forte Cardioſpermi ſemen Laetio impoſuit? Ego hanc plantam, a Ptelea mihi viſam diſtinctiſſimam, ad antiquum Dodoneæ genus reduxi.

Habitat in Jamaicæ & territorii Carthagenenſis littoribus arenoſis maritimis.

# TRIGYNIA.

## PAULLINIA.

1. PAULLINIA (*triternata*) foliis triternatis. TAB. CLXXX. Fig. 32.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis oblongo-ovatis, concavis, obtuſis, coloratis, patentibus; quorum duo exteriora oppoſita; interiorum trium unum paulo latius reliquis omnibus oppoſitumque duobus aliis ſibi mutuo parum incumbentibus.

COR.

COR. Petala quatuor, obovata, obtuſa, concava, baſi in unguem abeuntia, patentia, calyce paulo longiora: quorum duo cum calycis foliolo latiori alternantia ad invicem magis approximantur; altera duo, foliolorum calycis incumbentium latus claudentia, magis hinc ab invicem diſtant.

Nectaria duo; quorum alterum conſtat ex foliolis quatuor oblongis, concavis, coloratis, erectis, fere petalorum longitudine, eorundemque baſibus inſertis, ſuperne attenuatis in collum; quod abit in apicem planum & lateſcentem in triangulum obtuſe dentatum, interne vero demittit laciniam linearem planam villoſam truncatamque. Alterum componitur ex corpuſculis quatuor, glanduloſis, ſubrotundis, obtuſis, planis, parvis, decoloribus, ſitis inter petala & ſtamina, ad baſin cujusque petali unico.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, villoſa, erecta, petalis haud longiora, poſita ad baſin duorum foliolorum calycis mutuo incumbentium in loco a nectariis petalisque relicto vacuo, receptaculo germinis proprio inſerta. Antheræ ovales, incumbentes.

PIST. Germina tria, ſubrotunda, parva, a ſtaminibus cincta, impoſita receptaculo proprio villoſo. Styli tres, filiformes, erecti, ſtaminibus duplo breviores. Stigmata ſimplicia, obtuſa.

PER. . . . .

SEM. . . .

Planta fruticoſa arbores ſcandit ad viginti pedes. *Rami* ſunt teretes, glabri, ſulcati, longi, flexiles. *Folia* habet triternata, nitida, alterna, numeroſa: *coſtis* nudis, canaliculatis: *foliolis* acutis, ſeſſilibus, ſupra medium inæqualiter ſerrato-dentatis; lateralibus ſubrotundis; extimo duplo majori, baſi maxime attenuato: *petiolis* cujusque folii ternati *propriis* alatis. *Racemi* axillares, quatuor pollices longi, flores circiter quinquaginta ſuſtinent; ad bipollicarem vero usque longitudinem nudi ſunt, ubi trifariam diſpeſcuntur, emiſſis ſcilicet *cirrhis* duobus bipollicaribus glabris planisque. *Pedunculi communes* bilineares & alterni flores & ipſos breviſſime pedunculatos plerumque quatuor emittunt. *Flores* parvi ſunt; in quibus calyx ſordide albeſcit; petala albicant; nectarii primi foliorum alborum apices flaveſcunt, primoque intuitu ſtamina mentiuntur. *Fructum* non vidi.

Habitat in ſylvaticis Domingo.

## COCCOLOBA.

CAL. Perianthium monophyllum, profunde quinquefidum, coloratum, perſiſtens: laciniis ovato-oblongis, obtuſis, concavis, patentiſſimis.

COR. nulla.

STAM.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, patula, calycem non ſuperantia. Antheræ ſubrotundæ, didymæ.

PIST. Germen ovatum, triquetrum. Styli tres, breviſſimi, filiformes, patentes. Stigmata ſimplicia.

PER. nullum. Calyx incraſſatus, ſemini ad baſin accretus, ſucculentus factus, drupam magis minusve referens, ſemen integre vel partim involvit.

SEM. Nux ovata, acuta, unilocularis. Nucleus baſi lobatus.

1. COCCOLOBA (*Uvifera*) foliis ſubrotundis, integerrimis, nitidis, planis; racemis fructuum cernuis. TAB. LXXIII.

Coccoloba foliis coriaceis cordato-ſubrotundis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1007.

Coccolobis foliis craſſis orbiculatis, ſinu aperto. *Brown. jam.* 1. *p.* 209.

Polygonum foliis ſubrotundis, caule arboreo, fructibus baccatis. *Linn. ſpec. pl.* 26. *p.* 365.

Uvifera foliis ſubrotundis ampliſſimis. *Linn. Cliff.* 487.

Uvifera littorea, foliis amplioribus fere orbiculatis, craſſis, americana. *Pluk. alm.* 394. *t.* 236. *f.* 7.

Prunus maritima racemoſa, folio rotundo glabro, fructu minore purpureo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 129. *t.* 220. *Catesb. car.* 2. *p.* 96. *t.* 96.

Guajabara racemoſa, foliis coriaceis, ſubrotundis. *Plum. ic.* 145.

Arbor procera, diffuſa, ramoſa, inordinata, habitu inelegans, ſed foliis ſuis fructibusque ſpecioſam ſe reddit. *Rami* ſunt vaſti, ſæpe fulcrati. *Cortex* cinereus, tenuis, in arboribus junioribus glaber eſt, in ſenioribus rimoſus. *Materies* dura, ponderoſa, rubra, cocta aquam rubedine tingit, hinc forte tincturis idonea; cæterum textura fibroſa ſua ad opera alia vix utilis eſſe poteſt, & ad focum inſtruendum fere unice adhibetur. *Folia* ſunt ſubrotunda, baſi cordata, integerrima, in obtuſum breveque acumen abeuntia, nitidiſſima, coriacea, craſſa, magna, alterna, ſaturate virentia, nervo medio indeque ortis venis magis minusve coccineis; *petiolis* brevibus, baſique vaginantibus. *Racemi* ſimplices, teretes, craſſi, erecti, terminales, ſolitarii, longiſſimi, in fructibus penduli: *pedunculis propriis* unifloris, numeroſis, brevibusque. *Flores* parvi, albicantes, odorem ſpirant florum Ceraſi. Stylus nunc unicus eſt, nunc profunde trilaciniatus, nunc vere triplex: idemque in aliis obtinere ſpeciebus, obſervavi. Filamentorum baſis lateſcens ſæpius leviſſime connaſcitur. *Fructus* ſuccedunt purpurei, roſcidi, ſubrotundi vel obovati, magnitudine ceraſi mediocris, apice leviter umbilicati ex calycis laciniarum veſtigiis; cortice veſtiti tenuiſſimo; pulpam continentes purpuream, mollem, acido-dulcem, edulem, nec ingratam: carpti vero ex arbore, poſt unum alterumve diem odorem contrahunt fœtidum atque ingratum, ſapore interim non mutato. *Nux* eſt ſemitrilocularis. *Nucleus* trilo-

bus

charactere Linnæano. Ambigit igitur habitu æque ac fructificatione Solanum inter Capsicumque.

Habitat Havanæ in sylvis maritimis umbrosis. Flores & fructus inveni Januario.

3. SOLANUM (*triste*) caule inermi, frutescente; foliis ovato-lanceolatis, subrepandis, glabris; racemis subcymosis. TAB. XL. Fig. 2.

Frutex erectus, adspectu injucundus, octopedalis. *Folia* acuta, atrovirentia, petiolata, alterna, septem vel octo pollices longa. *Racemi* laterales, crassi, sesquipollicares, simplices vel bifidi, a dilapsis pedunculis propriis primo prodeuntibus notati cicatricibus, *flores* gerunt parvos, ferme corymbosæ dispositos, corollis albis. *Baccæ* globosæ sordide flavescunt.

Habitat in Martinica passim ad ripas fruticosas fluvii Divi Petri.

4. SOLANUM (*racemosum*) caule inermi, frutescente; foliis lanceolatis, repandis, undulatis; racemis longis, erectis. TAB. XXXVI.

Frutex ramosus, erectus, quadripedalis. *Folia* nitida, petiolata, alterna. *Racemi* simplices, laterales, erecti, longitudine foliorum; *pedunculis propriis* in flore suberectis, in fructu pendulis. *Flores* inodori. Petalum niveum, dissectum profundissime in lacinias lanceolato-oblongas. *Baccæ* rubræ pisselli magnitudine.

Habitat in declivibus fruticosis montium Martinicæ.

5. SOLANUM (*subinerme*) caule subinermi, frutescente; foliis lanceolato-ovatis, integerrimis. TAB. XL. Fig. 3.

Frutex erectus, sexpedalis. *Folia* acuta, alterna, facie glabra, dorso leviter tomentosa, petiolata, tres quatuorve aut plures pollices longa. *Racemi* laterales, duos tresve pollices longi; *pedunculis* secundis. *Florum* corolla cærulea. *Baccæ* globosæ.

Habitat Carthagenæ in fruticetis & sylvaticis.

## LYCIUM.

1. LYCIUM (*americanum*) foliis cuneiformi-oblongis; fructibus unilocularibus.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, acutum, quinquedentatum, persistens.

COR. monopetala. Tubus subinfundibuliformis, erectus, calyce duplo longior. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, obtusis, planis, patentissimis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, filiformia, erecta, basi hirsuta, orta in superiore parte tubi corollæ, qua paulo longiora. Antheræ oblongæ, didymæ, incumbentes.

PIST.

bus eſt, lobis cordatis. Poſt fœcundationem elongari incipit receptaculum, protrudereque lacinias calycis tunc conniventes atque incraſſatas; quæ ita ſimul, mutandum in nucem germen, totum quantum denique involvunt, & drupæ faciem adipiſcuntur. Hinc immaturi fructus in principio ſunt oblongi, tantoque rotundiores evadunt, quo properant magis ad maturitatis ſtatum. Perfecta hæc dignoſcitur, quando ad tactum motumve leviſſimum ſponte decidunt. In quibusdam regionibus in menſis apponuntur, veneuntque in foris pomariis. Foliis fronti intra pileum applicatis procurare ſibi refrigerium in ſolis æſtu ſolent nonnulli. Fertur hæc arbor plures a mari paſſus transplantata, ut ab illius (quod ajunt) conſpectu ſit remota, flores producere rariſſime, fructus nunquam. Quandoque mihi contigit ſimili ſatam loco conſpicere, in qua nec florem nec fructum vidi. Hiſpanis dicitur *Uvero* ſeu Uvifera, Gallis *Raiſinier du bord de la mer*, id eſt, Uvifera littoralis maritima.

Habitat in Caribæarum & vicinæ Continentis littoribus arenoſis maritimis paſſim, inque ipſis ſæpe undis.

2. COCCOLOBA (*leoganenſis*) foliis ſubrotundis, integerrimis, nitidis, planis; racemis fructuum erectis. TAB. CLXXVIII. Fig. 33.

Arbuſcula erecta, ramoſa, decempedalis. *Folia* venoſa, coriacea, figura præcedentium, at duplo minora. Ex habitu & racemis emarcidis huc retuli: flores enim fructusque non examinavi. Sed offerunt congeneres hæ ſtirpes in habitu ſingulare & proprium aliquid, quo facile dignoſcuntur.

Habitat in fruticetis maritimis ad Portum Principis & Leogane in Domingo.

3. COCCOLOBA (*grandifolia*) foliis ſubrotundis, integerrimis, rugoſis.

Arbor inelegans, erecta, ſexaginta vel octoginta pedum altitudine. *Coma* ſæpe componitur e duobus tribusve dumtaxat ramis craſſis, parum ſubdiviſis, & inordinatis. *Truncus* inæqualis, altitudine interdum quadraginta pedum, unum alterumve circa medium ramum emittit. *Cortex* eſt ſubfuſcus, & tandem lacer. *Materies* ſaturate rubra, ponderoſa, duriſſima, in fragmenta facile diſſiliens, & fere incorruptibilis, adhibetur ad conficiendos palos, ſublicas, trabesque: per ſæcula enim incorrupta perſtat; & tandem in lapidem permutatur duriſſimum iſta illius pars, quæ ſub terra recondita fuit. *Folia* ſunt ſubrotunda, baſi cordata, integerrima, venoſiſſima, valde rugoſa, ſæpe hirſutiſſima, interdum glabriuſcula, alterna, pauca, diametro bipedali; petiolo brevi vaginantique ad baſin. Neque hujus flores nec fructus vidi. Drupas edules ferre mihi dicta fuit. Incolis vocatur *Bois à grandes feuilles*, ſive Arbor grandifolia. Transmiſſa a me ante ſexennium arbuſcula nunc viget Viennæ in horto Cæſareo elegantiſſima, foliis ornata pluribus, jam vigintipedalis, quam in ſolo natali longe ſpecioſior, ejusdemque horti verum ornamentum.

Habitat paſſim in ſylvis denſis montoſis Martinicæ.

4. COCCOLOBA (*obtuſifolia*) foliis oblongis, obtuſiſſimis. TAB. LXXIV.

Arbuſcula ramoſiſſima, inordinata, duodecimpedalis; *ramis* glabris & cinereis. *Folia* ſunt oblonga, obtuſa, integerrima, nitida, coriacea, venoſa, apice ut plurimum leviter lateſcentia, plana, alterna, petiolata, numeroſa. *Racemi* ſimplices, terminales, ſolitarii, in ramuſculis junioribus alternis & diſtichis. *Flores* parvi, albi. Calycis foliola increſcunt, incraſſantur, ſucculenta evadunt, arcteque amplectuntur *nucem* atram nitidam apiceque ſæpius nudam; diſtincta autem permanent, nec connaſcuntur in drupam. Unde Polygono hæc ſpecies valde videtur affinis. *Fructus* ſapore ſunt adſtringenti.

Habitat Carthagenæ in fruticoſis & ſylvaticis. Floret Auguſto.

5. COCCOLOBA (*flaveſcens*) foliis lanceolato-oblongis, obtuſis cum acumine. TAB. LXXV.

Arbuſcula duodecimpedalis, ramoſa. *Folia* ex lanceolato oblonga, obtuſa cum acumine, integerrima, coriacea, nitida, ſubrigida, fere avenia, e flavo virentia, petiolata, alterna, numeroſa. *Racemi* ſimplices, terminales, erecti. *Drupæ* ſubrotundæ, atropurpureæ, piſi majoris magnitudine, apice a concretis calycis foliolis notato ſulcis; pulpa rubicunda; ſapore dulci; edules; at vix in uſu.

Habitat in fruticetis ad Portum Principis in Domingo.

6. COCCOLOBA (*diverſifolia*) foliis ramuſculorum ovatis; ramorum ovato-cordatis. TAB. LXXVI.

Arbuſcula decempedalis, ramoſa. *Folia* ſubcoriacea, integerrima, attenuata in apicem obtuſum, nitida, venoſa, leviter rugoſa, magnitudine varia, petiolata, alterna, numeroſa; in ramis cordata, in ramuſculis ovata. *Racemi* terminales, ſimplices, ſolitarii, erecti, tripollicares. *Drupæ* ſubrotundæ, apice a concretis perianthii foliolis umbilicato ſulcatoque, magnitudine ceraſi minoris; pellicula corticali nigricante; pulpa molli, pulchre purpurea, ſapore fere ut in Uvifera at auſteriuſculo, pueris barbarisque comeſti.

Habitat in Domingo ad vias in declivibus fruticoſis montium.

7. COCCOLOBA (*coronata*) foliis ovali-oblongis, acuminatis, planis. TAB. LXXVII.

Arbuſcula erecta, ramoſa, quindecimpedalis. *Folia* ex ovali oblonga, acuminata, integerrima, plana, ſubcoriacea, venoſa, nitida, alterna, ſemipedalia, in quolibet ramuſculo florigero plerumque duo vel tria; petiolis baſi vaginantibus. *Racemi* terminales, ſimplices, ſolitarii, erecti, vix ſesquipollicares. *Flores* albi. In hac ſpecie receptaculum ferme totum, contri-

buente

buente ad id exigua dumtaxat calycis parte, abit in *drupam* ſubrotundam, atrorubentem, & auſtero-dulcem; ita ut calycis pars ſuperſtes fructum coronet, fere immutata.

Habitat Carthagenæ in fruticetis.

8. COCCOLOBA (*nivea*) foliis ovato-oblongis, acutis, rugoſis. TAB. LXXVIII.

Arbor vigintipedalis, ramoſa, comoſa, erecta. *Folia* ovato-oblonga, integerrima, acuta, nitida, rugoſa, venoſa, petiolata, alterna, ſemipedalia. *Racemi* terminales, ſolitarii, ſimplices, ſurſum verſi. *Flores* exigui, flaveſcentes. *Calyx* concreſcit; evadit craſſus, ſucculentus, & niveus; ad medietatem ſolummodo tegit *nucem* triquetram, atram, nitidam, ſuperne nudam. *Fructus* ſapore ſunt dulci & grato, unaque ipſis cum feminibus comeduntur. Gallis audit *Raiſinier de coude*.

Habitat in Domingo & Martinica ad torrentes & rivulos; in inſula ſancti Euſtachii culta.

# ENNEANDRIA.

## MONOGYNIA.

### CASSYTHA.

1. CASSYTHA (*filiformis.*) TAB. LXXIX. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 35.

Cuſcuta baccifera Barbadenſium a maritimis. *Pluk. alm.* 126. *t.* 172. *f.* 2.

Cuſcuta altera ſeu major. *Petiv. gaz.* 77. *t.* 49. *f.* 12.

Cuſſuta. *Rumpf.* 5. *pag. tab. & fig. ultimis.*

CAL. Perianthium triphyllum, parvum, perſiſtens: foliolis ſemiovatis, concavis, acutis, erectis.

COR. Petala tria, ſubrotunda, acuta, concava, patula, perſiſtentia.

Nectarium conſtat tuberculis tribus, oblongis, truncatis, erectis, coloratis, fere longitudine germinis, cui circumſtant in alterno cum filamentis ordinis interioris ſitu.

STAM. Filamenta novem, compreſſa, erecta, obtuſa, tria in ordine interiori, ſex in exteriori. Horum tria alterna a tergo interiorum poſita paulo reliquis ſunt latiora. Antheræ adnaſcuntur parietibus internis filamentorum proxime apicem.

Glandulæ duæ, globoſæ, nectario concolores, filamento cuilibet ordinis interioris ad latera prope baſin affiguntur.

PIST. Germen ovatum, intra corollam calycemque. Stylus erectus, craſſiuſculus, fere longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum, obſolete trifidum.

PER. nullum. Receptaculum increſcens in Drupam depreſſo-globoſam, calyce corollaque conniventibus coronatam, umbilico perforatam, mollem, magnam.

SEM. Nux globoſa, ſtaminibus perſiſtentibus & conniventibus acuminata, intra receptaculum, a quo libera, unilocularis, non dehiſcens. Nucleus globoſus.

Planta aphylla, diffuſa, volubilis, nitida, filamentoſa, paraſitica fruticum; e ſeminibus mecum ex America translatis, terræque in caldariis Viennenſibus mandatis, optime germinavit; initio filamentoſum ſimplicemque cauliculum recta e terra ſurſum propellendo, dein in ramos abeundo. Hi primo, cui obviant, frutici accreſcunt; neque tunc terra diutius egent, qua nutriantur. Verrucas enim emittunt ſitu longitudinali plures, pedibus erucarum omnino ſimiles, quibus adeo adhærent tenaciter, ut, ſi a foliis abſtrahere quis illos velit, hæc dilaceret, non avellat. Etenim æque ac ramuſculis vicinis, ſic etiam & foliis, & qua ſe ipſi tangunt, verrucas affigunt. *Spicæ* ſunt laterales, laxiſſimæ, craſſæ, ad diſtantias incertas alternæ, ſtrictæ. *Flores* inodori, minimi, albi. *Fructus* pellucidi, albi, nitidi, ſapore dulci, magnitudine piſi. *Nuces*, ſive ſemina mavis, ante maturitatem, fructus parieti interno ſemper ſunt contigui; at maturæ quum exſiccantur, atque ita in minus rediguntur volumen, ſpatium vacuum ſe inter fructumque relinquunt. Sunt autem illæ nigræ, *nucleum*que continent flavum. Receptaculum in flore minimum, ſenſim increſcit, ambitque germen, quod ſuo perſtat loco: ſtamina autem ab orta hinc compreſſione coguntur circa ſtylum in conum coire, qui exſiccatus etiam in nuce perſiſtit, apicemque ejus efformat levi vi ſeparabilem. Flores non perfunctorie examinatos, bonoque etiam microſcopio uſus, characterem poſſidere ſupra expoſitum, plane habeo perſuaſum. Quanta igitur in fructificatione Caſſythæ & Laurus ſimilitudo & affinitas! Quam toto cælo utriusque diverſus habitus! Plantam totam aphyllam usque inveni; an alibi folioſam? An potius planta in horto malabarico deſcripta ab hac diverſa dicatur? Nec Pluknetius nec Rumpfius de foliis quidquam habent. Verrucas omiſit in icone Rumpfius, quas expreſſit Pluknetius. Cæterum deſcriptio Rumpfii eſt optima.

Habitat in inſula Tierra Bomba circa Carthagenam in Conocarpis erectis nanis & rupeſtribus; locis ab aqua pluviali ob rupium cavitatem aliquamdiu commorante irriguis. Florentem vidi fructusque pariter ferentem Junio.

LAU-

# LAURUS.

1. LAURUS (*Cinnamomum*) foliis triplinerviis, ovato-oblongis. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 1010.

Laurus foliis trinerviis, ovato-oblongis, nervos unientibus. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 369.

Laurus foliis oblongo-ovatis nitidis planis. *Linn. Cliff.* 154.

CAL. nullus; niſi corollam calycem dicas.

COR. Petala ſex, ovata, acuminata, concava, patula, alterna exteriora latioraque.

Nectarium conſtat tuberculis tribus acuminatis, haſtatis, germen circumſtantibus.

STAM. Filamenta novem, corolla paulo breviora, compreſſa, obtuſa, erecta, terna in quovis ordine. Antheræ margini filamentorum ſuperne utrinque adnatæ, geminæ.

Corpuſcula duo, globoſa, colorata, petiolo breviſſimo affixa ad baſin ſingulis filamentis intimi ordinis.

PIST. Germen oblongum. Stylus ſimplex, longitudine ſtaminum. Stigma capitato-depreſſum, trigonum.

PER. Drupa ſubovalis, obtuſa.

SEM. Nux ovalis, membranacea, fragilis. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbor elegans, comoſa, vigintipedalis vel altior, ramoſa; *trunco* ſexpedali, diametri ſesquipedalis, cortice exteriore glabriuſculo & coloris e fuſco cinerei. In ramuſculis numeroſis ex oppoſito *folia* enaſcuntur ex ovato oblonga plerumque, vel ex oblongo acuminata, vel ſubovata, obtuſe acuminata, integerrima, nitida, coriacea, breviter petiolata, a tribus ad quinque pollices longa, *nervis* inſignita utrinque tribus; qui ex petiolo orti, vel ſtatim in ipſa paginæ baſi ab invicem recedunt; vel ibidem veluti confluentes, ad lineæ unius alteriusve longitudinem una ſic adſcendere pergunt, ut ſupra baſin folii tunc uniti dicantur: quod utrumque promiſcue in eadem arbore obtinet. Cæterum folia lætiſſime virent facie, dorſo magis albeſcunt; nervis candicantibus. Saporem odoremque gratiſſimum Cinnamomi habent, quos jam per ſeptem annos in herbario meo aſſervata nedum perdidere. Ita porro opponuntur quælibet, ut alterum plerumque ſit altero paulo altius. In ramuſculis junioribus ex axillis oppoſitis oriuntur *pedunculi communes* tenues, pollicem unum terminales, duos tresve reliqui longi, apice triflori, vel trifidi cum partialibus trifloris. *Flores* parvi, e flavo virentes, inſipidi fere, odorem late ſpirant ſubfœtidum, qualem habet Lilium Martagon. His ſuccedunt *fructus* olivæ mediocris figura & magnitudine, inſipidi, coloris ſaturate cærulei, mollesque; qui *nucem* includunt tenuem & leucophæam, *nu-*

*cleo* fœtam candido, brevi germinante atque in arbuſculam excreſcente, poſteaquam cecidit in terram; unde maturitatis tempore ſubjecta arbori area ſylvulam alere ſtirpium noviter naſcentium conſpicitur. Cæterum ad ſationem transportari ſemina nequeunt; quum paucos intra dies nuclei corrumpantur, atque effœti evadant. *Cortex interior* colore, odore, ſapore atque figura Cinnamomum Orientale exacte refert; diſcrimen ſolum obſervo in illius compage minus ſubtili, magisque ſapore acri; quod utrumque a climate vario aliave cauſa pendere poteſt. Quantumvis certe evolvam authores, qui de Cinnamomo Orientali ſcripſerunt, vix aliud mihi perſuadere poſſum, ſi non quod arbor hæc eadem cum illo ſit, vel ſaltem aliqua ex varietatibus iſtis, quæ hunc corticem largiuntur, & quæ tam multæ numerantur. *Materies* alba, nec valde ſolida, ad aſſeres eſt idonea. *Radix* craſſa ramoſaque Camphoram exſudat copioſe, cujus etiam ſapore gaudet, adſtringendo ſimul fortiter. Binas miſeram ex America arbuſculas, quarum æquabat truncus brachium. Iter hæ ſuſtinuerunt optime; & per triennium læte viguerunt in horto Cæſareo; ubi folia produxerunt magis longa minusque lata, æque cinnamomea.

Habitat in ſylvis montoſis Martinicæ ad montem Calebaſſe. Floret Februario & Martio.

# DECANDRIA.
## MONOGYNIA.

### SOPHORA.

1. SOPHORA (*havanenſis*) foliis pinnatis: foliolis numeroſis, villoſis, oblongo-ovatis, emarginatis. TAB. CLXXIII. Fig. 1.

Frutex erectus, quadripedalis; ramis junioribus, foliis, & pedunculis villoſiſſimis. *Folia* ſunt pinnata; *foliolis* utrinque circiter duodecim cum impari, oblongo-ovatis, obtuſis, emarginatis, petiolatis, pollicaribus, lateribus revolutis. *Racemus* ſimplex, erectus, terminalis, pedalis. *Flores* erecti, vix odori: quibus eſt calyx laxus, æqualis, duplo brevior corolla flava. Vexillum oblongo-ovatum, emarginatum, lateribus conniventibus, ungue longitudine calycis. Alæ patulæ, appendiculo nullo. Carina dipetala, concava, alis conformis, marginibus poſticis contiguis. Filamenta apice adſcendunt. Germen villoſum mutatur in *legumen* acuminatum & longum. Reliqua congruunt characteri Linnæano.

Habitat Havanæ paſſim in fruticoſis apricis. Vidi florentem Januario.

BAUHI.

## BAUHINIA.

1. BAUHINIA (*aculeata*) caule aculeato. TAB. CLXXVII. Fig. 2. *Linn. ſp. pl. 2. p. 374.*

Bauhinia aculeata, folio rotundo & emarginato. *Plum. gen. 30. ic. 44. fig. 1.*

CAL. Perianthium monophyllum, ovato-oblongum, concavum, antice longitudinaliter a baſi ad apicem dehiſcens, hinc reclinatum ad poſticam partem, baſi deflexum in plicam trifariam diſciſſam, apice tridentatum, acutum, dentibus duobus plerumque coalitis, deciduum.

COR. Petala quinque, ovali-oblonga, obtuſa, leviter concava, patula, ſubæqualia, calycem ſuperantia, eodemque triplo brevioribus prædita unguibus.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, adſcendentia, petalis paulo breviora, omnia fertilia, quorum novem baſi leviſſime colita, decimum ſuperius baſi liberum; alterna longiora, ſitu exteriora, non ortu. Antheræ lineares, magnæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſo-planum, pedicellatum, tomentoſum; deſinens in Stylum ſubulatum, longitudine corollæ & ſitu ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum, bifidum.

PER. Legumen oblongum, compreſſo-planum, acuminatum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, ſubovata, compreſſo-plana.

Frutex erectus, inelegans, altitudine humana; trunco ramisque admodum aculeatis. *Folia* ſubrotunda, apice biloba; lobis ſubrotundis, obtuſis. *Flores* magni, odore levi ingratoque, petalis candidis. Calycis interdum plica eſt integra, nec fiſſa.

Habitat frequens circa Carthagenam in ſylvaticis & fruticoſis.

2. BAUHINIA (*glabra*) foliis ſubrotundo-cordatis, glabris; lobis ſemiorbiculatis. TAB. CLXXIII. Fig. 3.

CAL. Perianthium monophyllum, oblongo-campanulatum, antice non fiſſum, erectum, ſemibifidum, deciduum: laciniis labiatis, ſemiovatis, concavis, erectis, longitudine æqualibus; ſuperiore anguſtiore & bidentata; inferiore tridentata: dentibus ſubulatis, acuminatis, erectis, æqualibus; ſinubus obtuſis.

COR. Petala quinque, plana, obtuſa cum exiguo acumine, longitudine æqualia, unguibus villoſis calycem æquantibus: quorum ſuperius erectum, oblongum, apice patenti; duo inferiora & reliqua duo ad horum latera poſita obovata, patentia.

STAM.

STAM. Filamenta decem, ſoluta; quorum quinque alterna filiformia, leviter conniventia; reliqua quinque ſubulata, longiora, ſitu nec ortu exteriora, calycem æquantia, apicibus leviter conniventibus; fertilia omnia. Antheræ oblongæ, conniventes.

PIST. Germen oblongum, compreſſiuſculum, erectum, hirſutum, non pedicellatum; deſinens in Stylum ſubulatum, apice adſcendentem, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum.

PER. Legumen oblongum, compreſſo-planum, obtuſum, in parte apicis laterali acuminatum ſtylo, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, ſubovata, compreſſa.

Frutex ſcandens, humanæ altitudinis. *Rami* teretes, inermes, glabri, longiſſimi, ornati ramuſculis alternis poſtea in cirrhos mutandis; principaliores compreſſi & utrinque ſulcati. *Folia* ſubrotundo-cordata, utrinque glabra; lobis ſubrotundis, obtuſis, ſtipulaque intermedia inſtructis; figura & magnitudine Bauhiniæ tomentoſæ apud Burmannum *Zeyl. tab.* 18. *, ſed baſi utrinque ſubrotunda, qualia apud Pluknetium *Phyt. t.* 44. *f.* 6. *Pedunculi* multiflori, terminales in ramuſculis. *Florum* corolla erecto-patens, e flaveſcenti viridis, interne punctis purpureis variegatur.

Habitat Carthagenæ in ſylvis & fruticetis.

## MYROSPERMUM.

1. MYROSPERMUM (*fruteſcens.*) TAB. CLXXIV. Fig. 34.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, patens, marceſcens; limbo leviſſime quinquedentato, ſuperne introrſum protruſo.

COR. papilionacea, pentapetala, caduca.

Vexillum ſubrotundum, obtuſe emarginatum, ſuperne concavum, patentiſſimum, ungue breviſſimo latoque.

Alæ duæ, oblongæ, planæ, obtuſæ cum exiguo acumine, patentes, longitudine vexilli, unguibus brevibus, appendiculo nullo.

Carina dipetala, concava, erecta, lateribus poſticis conniventibus, anticis ſibi incumbentibus, hinc clauſa, cæterum alis conformis.

STAM. Filamenta decem, diſtincta, ſubulata, declinata, in carina recondita, longitudine corollæ, perſiſtentia, marceſcentia. Antheræ ſubovales, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, pedicellatum, planum, ſitu ſtaminum; deſinens in Stylum ſubulatum, adſcendentem, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, acutum.

PER. Capſula membranacea, oblonga, plana, obtuſa cum acumine abrupto laterali, baſi attenuata, apice unilocularis, non dehiſcens.

SEM. pauca, reniformi-oblonga, compreſſa.

Frutex

Frutex inelegans, parum ramoſus, erectus, octo decemve pedum altitudine. *Folia* habet pinnata, alterna, octopollicaria, quotannis decidua, in ramis junioribus: *foliolis* cum impari utrinque ut plurimum ſeptem, oblongis, obtuſis, integerrimis, glabris, alternis, pollicaribus, brevi petiolo donatis. *Racemi* ſunt laxi, ſubterminales, erecti, ſimplices bifidive; *pedunculis* propriis unifloris erectisque. *Flores* inodori, corollis ex albido roſeis. *Capſulæ* membrana venoſa, magna, e leucophæo fuſca. *Semen* plerumque unicum, raro bina ad maturitatem perveniunt, abortantibus paucis reliquis; ſcatent autem balſamo odoris ingrati & fortis, ſicut etiam loculamentum ipſum: unde huic plantæ nomen impoſui, ſcilicet *διὰ τὸ μύρον τῦ σπέρματος*. Flores prodeunt poſt nova folia; hæc vero ante fructuum perfectam maturitatem jam decidunt omnia, qui tum ſoli diu in frutice perſiſtunt. Videtur Hoitzi-loxitl *Hern. mex. libr. 3. cap.* 11. ad hoc genus pertinere.

Habitat copioſe in fruticetis apricis ad pedem montis de la Popa proxime Carthagenam.

## PARKINSONIA.

1. PARKINSONIA (*aculeata.*) TAB. LXXX. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 375. *Hort. Cliff.* 157. *t.* 13.

Parkinſonia aculeata; foliis minutis, uni coſtæ adnexis. *Plum. gen.* 25.

Parkinſonia aculeata, foliis minutiſſimis pinnatis, penna longiori compreſſa. *Brown. jam.* 1. *p.* 222.

CAL. Perianthium pentaphyllum, receptaculo campanulato inſidens: foliolis lanceolato-ovatis, concavis, acutis, coloratis, reflexis, æqualibus, deciduis.

COR. Petala quinque, plana, patentiſſima, calyce duplo longiora; quorum quatuor ovata, ungue breviſſimo; quintum ſuperius ovato-ſubrotundum, ungue erecto, longiſſimo.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, leviſſime declinata, ungue petali quinti paulo longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, teres, declinatum. Stylus filiformis, leviter adſurgens, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Legumen oblongum, ad ſemina toroſum, inter eademque contractum & compreſſum, longum, acuminatum, uniloculare, bivalve.

SEM. plura, oblonga, ſubteretia, obtuſa.

Arbor erecta, ramoſa, duodecimpedalis, elegantiſſima. *Cortex* æque trunci ac ramorum diu manet viridis, nitidusque; tandem in arbore ſeniore ſubfuſcus evadit & ſtriatus. *Materies* eſt candida. *Aculeos* habet ſolitarios, ſubulatos, ſubaxillares, acuminatos, leviter recurvos, quadrilineares; in ra-

mis ſenioribus ſæpe ternos, intermedio fortiſſimo & novemlineari. *Folia* ſunt pinnata, nitida, terna quaterna quinave ex eadem axilla; *coſta* pedali, lata, & compreſſo-plana; *foliolis* exiguis, oblongis, numeroſis. *Racemi* laxi, ſimplices, glabri, axillares & terminales, circiter decemflori. *Flores* ſuaveolentes, flavi, petalo ſuperiori ad baſin maculis coccineis variegato. *Legumina* ſunt e fuſco lutea; quæ *ſemina* nitida ab uno ad ſex continent. Sata e ſemine hæc arbor primo jam anno floret, celeriterque increſcit. E Parkinſoniis & Poincianis, mixte denſeque ſatis, ortas vidi in Martinica ſepes adſpectu omnium pulcherrimas. A Poinciana videtur ſolis fere calycis laciniis æqualibus vere diſtingui. Gallis nuncupatur *Genet épineux* ſive Geniſta ſpinoſa.

Habitat in Caribæis & in vicina Continente. Sæpius in anno floret, ſimulque fert maturos fructus.

## POINCIANA.

1. POINCIANA (*pulcherrima*) aculeis geminis. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 1018.
   Poinciana aculeata, foliis bipinnatis, floribus croceis pulcherrimis, pedunculis longis ſpicatis inſidentibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 225.
   Senna ſpuria, arborea, ſpinoſa, foliis alatis ramoſis ſeu decompoſitis, flore ex luteo & rubro ſpecioſo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 49.
   Criſta pavonis flore elegantiſſimo variegato. *Burm. zeyl.* 79.
   Frutex pavoninus, Criſta pavonis. *Breyn. cent.* 61. *t.* 22.
   Flos pavonis. *Merian. ſur. p.* 45. *t.* 45.
   Tſietti-mandaru. *Rheed. mal.* 6. *p.* 1. *t.* 1.

CAL. Perianthium pentaphyllum, coloratum, receptaculo campanulato inſidens, deciduum: foliolis oblongis, obtuſis, concavis, laxis, patentibus: infimo fornicato pauloque longiori.

COR. Petala quinque, ſubrotunda, plana, crenata, patentiſſima, calycem ſuperantia, deſinentia in unguem longum; quorum duo inferiora divaricata; quintum ſuperius paulo minus reliquis, magis erectum, difforme, ungue longiſſimo canaliculato.

STAM. Filamenta decem, ſetacea, baſi hirſuta, petalis duplo longiora, declinata, arcuata ſuperiora verſus, quorum ſupremum pedicellatum, margini receptaculi inſidentia. Antheræ ovales, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſum, declinatum, calyce brevius, ortum e fundo receptaculi. Stylus ſetaceus, ſitu & longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Legumen oblongum, compreſſo-planum, obtuſiuſculum, unilocullare, bivalve, diſſepimentis quaſi transverſis.

SEM. plura, ſubovata, obtuſa, compreſſo-plana.

Frutex

PIST. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum.

PER. Bacca obcordato-turbinata, nitidiſſima, calyce duplo longior, unilocularis.

SEM. plura, compreſſa.

Frutex elegans, diffuſus, humanam raro ſuperat altitudinem. *Rami* teretes, lignoſi, fragiles, tenues, leucophæi, ſæpe longiſſimi, *foliis* ornantur numeroſiſſimis. Hæc ſunt oblonga, baſi attenuata, obtuſa, integerrima, craſſiuſcula, ad tactum pinguia, ſeſſilia, vix ſemipollicaria, tria primo ex eodem loco erumpentia; quibus dein alia ſuccedunt duo, iterumque alia duo, quæ numerum ſic ſeptenum abſolvunt. Hoc tempore e medio foliorum tuberculo *ſpina* protruditur ſubulata, fortis, & acutiſſima, quæ paulatim increſcens apicem format novi ramuli, abripitque ſucceſſive ſecum ortu juniora quatuor, quæ decorent ipſum, foliola. In tuberculis aliis trifoliis vel quinquefoliis ſpinæ loco prodit *pedunculus* uniflorus, ſolitarius, raro bini. *Flos* eſt tenellus, inodorus, e purpureo albidus, & pollicaris. *Bacca* ſplendens, atra, piſello minor. Ob fructum unilocularem in *Enum. p.* 14. dixeram hunc fruticem Brunsfelſiam: maturior vero conſideratio jubet, ut reducam ad Lycia, quorum omnino habitum obtinet.

Habitat in littoribus arenoſis maritimis inſulæ Domingo; paſſim ad egreſſum oppidi Portus Principis. Pariter flores & fructus Januario carpſi.

## CHRYSOPHYLLUM.

1. CHRYSOPHYLLUM (*Cainito*) foliis ovatis, parallele ſtriatis, ſubtus tomentoſo-nitidis. TAB. XXXVII. Fig. 1.

Chryſophyllum. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 192.

Chryſophyllum foliis ovatis, ſuperne glabris, parallele ſtriatis, ſubtus tomentoſo-nitidis. *Linn. hort. Cliff.* 491.

Cainito folio ſubtus aureo, fructu maliformi. *Plum. gen.* 10. *ic.* 69.

CAL. Perianthium pentaphyllum, parvum, perſiſtens: foliolis ſubrotundis, concavis, obtuſis, patulis.

COR. monopetala. Tubus campanulatus, magnus, erectus. Limbus quinquefidus: laciniis ſubrotundis, obtuſis, planis, patentiſſimis, tubo duplo brevioribus.

STAM. Filamenta quinque, ſubulata, breviſſima, conniventia, fere in limbo corollæ ante lacinias poſita. Antheræ ſubrotundæ, didymæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum, magnitudine calycis. Stylus erectus, breviſſimus. Stigma ſubquinquefido-obtuſum.

Frutex erectus, octopedalis, pulcherrimus, caulibus e radice interdum pluribus emiſſis. *Aculei* adſunt in ramis ſenioribus, rariſſime in junioribus, ſæpe omnino abſentes in quibusdam. *Flores* ſpecioſiſſimi, e croceo & coccineo variegati, ſapore atque odore nauſeoſis. Hi, infuſi potatique theæ potionis adinſtar, vi pollent aperiente, audiuntque febrifugi. *Semina* immatura a pueris barbarisque cruda comeduntur. Gallis appellatur *Poinciade*, nec non *Fleurs de Paradis* ſeu Flores paradiſi. Vindobonæ quotannis floret. Datur varietas floribus omnibus ex croceo unicoloribus.

Habitat vulgaris in Caribæis.

2. POINCIANA (*bijugata*) aculeis ſolitariis.

CAL. Perianthium pentaphyllum, coloratum, receptaculo campanulato compreſſo inſidens, deciduum: foliolis oblongis, obtuſis; quorum quatuor plana, laxa, reflexa; quintum inferius concavum, longius, patentiſſimum.

COR. Petala quinque, obtuſa, plana, margini receptaculi inſidentia, calyce paulo longiora; quorum duo inferiora oblonga, declinata, utrinque a foliolo calycis quinto divergentia; ſequentia duo obovata, patentiſſima; quintum ſuperius ſubrotundum, reflexum.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, baſi hirſuta, inter petala inferiora declinata, margini receptaculi inſerta, longitudine corollæ; quorum ſuperius brevi inſidet pedicello. Antheræ ovatæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſum. Stylus ſubulatus, declinatus, ſtaminibus paulo longior. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Legumen oblongum, compreſſo-planum, obtuſiuſculum, unilocu-lare, bivalve, diſſepimentis quaſi transverſis.

SEM. pauca, compreſſa.

Arbuſcula erecta, ramoſa, inelegans, interdum viginti quinque altitudine pedes ſuperat. *Cortex* nigricat. *Aculei* ſubulati, validi, acuminati, axillares, ſolitarii, ſemipollicares, ſæpe abſentes. *Folia* ſunt bijugata; *coſta* pollicari; *foliolis* emarginatis, glabris, plus minus obcordatis, ſæpe difformibus. *Pedunculi* multiflori e tuberculis ramuſculorum egrediuntur. *Flores* lutei, inodori, præcedentibus duplo minores.

Habitat frequens in Curaçao, locis ſaxoſis, glareoſis, aridis.

3. POINCIANA (*coriaria*) caule inermi; racemis ſpicatis. TAB. CLXXV. Fig. 36.

Siliqua arboris Guatapanæ ex Coraçao inſula. *Breyn. cent. pag.* 58. *fig.* 5.

CAL. Perianthium pentaphyllum, receptaculo campanulato compreſſo inſidens, deciduum: foliolis oblongis, obtuſis, laxis, reflexis; quorum quatur plana; quintum infimum longius reliquis & concavum.

COR. Petala quinque, calyce vix longiora, margini receptaculi inſidentia; quorum quatuor ſubrotunda, concava, æqualia, integerrima, erecta; quintum ſuperius difforme, reflexum, lateribus conniventibus.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, inferne hirſuta, inferiora verſus leviter arcuata, petalis duplo longiora, margini receptaculi inſidentia. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen oblongum, compreſſum, ortum in fundo receptaculi. Stylus filiformis, longitudine & ſitu ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Legumen oblongum, compreſſum, obtuſiuſculum, lateraliter incurvum, latere interiori concavum, exteriori convexum, ſpongioſum, ſubmultiloculare, legumine inter ſemina connato.

SEM. ſolitaria, pauca, ſubovata, compreſſa.

Arbor elegans, comoſa, ramoſiſſima, tota perpetuo inermis, quindecim pedes alta. *Cortex* nigricat, adſpergiturque punctis ſaturate leucophæis. *Folia* ſunt duplicato-pinnata, ad ramuſculorum extremitates numeroſa: *pinna communi* ſesquipollicari; *partialibus* pollicaribus, ſex circiter paribus cum impare: *foliolis* circiter duodecimjugatis ſine impari, oblongis, obtuſis, glabris, integerrimis, bilinearibus. *Pedunculi communes* ſpicam denſam formant, prodeuntque in extremis ramuſculis; *propriis* breviſſimis, unifloris, numeroſis. *Flores* parvi ſubflaveſcunt, odore præditi leviuſculo. *Legumina* fuſca matura ab Hiſpanis & barbaris adhibentur ad condenſanda coria, iisdem nuncupata *Libidibi*.

Habitat in Curaçao & Carthagenæ frequens; in limoſis præſertim inundatisque maritimis; ad ſalinas.

## ANACARDIUM.

1. ANACARDIUM (*occidentale.*) TAB. CLXXXI. Fig. 35. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 383.

Anacardium fructu obverſe ovato, nuce reniformi, racemis terminalibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 226.

Pomifera ſeu potius prunifera indica, nuce reniformi. *Catesb. car.* 3. *p.* 9. *t.* 9.

Caſſuvium cadju. *Rumpf.* 1. *p.* 177. *t.* 69.

Acaju. *Pis. bras. l.* 4. *c.* 6.

Kapa-mava. *Rheed. mal.* 3. *p.* 65. *t.* 54.

CAL. Perianthium pentaphyllum, deciduum: foliolis ovato-acuminatis, concavis, erectis.

COR. Petala quinque, lanceolato-linearia, acuta, plana, calyce duplo longiora, inferne erecta, ſemireflexa.

STAM.

STAM. Filamenta decem, capillaria, erecta, calyce breviora; quorum unum ſterile duplo reliquis longius. Antheræ ſubrotundæ, parvæ.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus ſubulatus, incurvus, fere longitudine corollæ. Stigma obtuſum, obliquum.

PER. nullum. Receptaculum obovato-turbinatum, maximum, carnoſum, nitidum.

SEM. Nux reniformis, glabra, magna, ad apicem receptaculi poſita. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbor elegans, vigintipedalis; coma in cultis concinna, in incultis neglecta; trunco rarius ſesquipedem diametro excedente; ramis fulcratis & inæqualibus. *Folia* ſunt coriacea, ſubovata, nitida, integerrima, petiolata, alternatim ſparſa. *Paniculæ* corymboſæ, diffuſæ, terminalesque, continent *flores* numeroſos parvos & ſuaveolentes, receptaculo inſidentes oblongo vix a pedunculo diſtinguendo. *Corolla* eſt rubra. *Staminibus* gaudent plerique decem, quorum unum perpetuo antheris caret: frequenter dumtaxat ſunt octo, fertilia omnia, vel iſtiusmodi ſeptem. Quandoque etiam inveni flores mere fœmineos, in quibus omnia ſtamina deſiderabantur; unde quodammodo polygama ſtirps dicenda foret. *Stigma* ferme antheram refert. Ilico poſt floris peractam fœcundationem germen increſcit in nucem reniformem, brevi tempore volumen debitum adepturam. Tunc tandem elongari *receptaculum* augerique incipit, antea tenue adeo, ut pedunculi credi pars potuiſſet. Magnitudine autem figuraque pyri habitum mediocris acquirit; viride in principio, ſub finem coccineum aut flavum aut ex utroque belle miſtum, pro varia, opinor, ſolis irradiatione. Carnem habet albam fibroſam ſpongioſam & ſucculentam, prædítam, ſi perfecte matura, ſapore vinoſo acidulo dulci gratiſſimoque, alias auſtero dentesque hebetanti. Succus ſolet exſugi; abjiciturque, ſolvi quæ renuit ſubſtantia. Sunt tamen, qui integra devorent receptacula. *Nux* oleo ſcatet valde cauſtico & hinc venenatiſſimo; quod labia, palatum, totumque adeo os incaute guſtantis inflammat, tumefacit, & ſummo cum dolore excoriat. Hæc candelæ accenſæ proxime admota, ſpectaculo ſingulari ignes artificioſos imitatur; aëre nimirum contento, per vim caloris elaſtico reddito, ſummo impetu quaquavorſum inflammatum oleum expellente. *Nuclei* ſunt candidiſſimi, pellicula veſtiti ſubfuſca, teneri, & dulces. Incolæ nuces cultello in binos lobos ſeparant, quibus diviſos etiam nucleos eximunt, frigidæque imponunt; quo fit, ut adhærens forte olei cauſtici portio abluatur. Sic præparati impune comeduntur, ac ſapore omnibus fortaſſe nucleis præripiunt palmam. Alii nucleos leviter aſſant, interque bellaria in menſis apponunt. Poteſt etiam ex illis componi Chocolatæ dictæ potionis ſpecies, quæ ſatis arridet palato. A colore receptaculorum atque volumine variis alias atque alias numerant

Americani ſpecies, quæ mihi meræ viſæ fuerunt varietates a ſoli diſcrimine ſitusque ortæ. Gallis vocatur *Acajou* vel *Pommier d'Acajou.*

Habitat in Caribæis & in vicina Continente.

## HEISTERIA.

1. HEISTERIA (*coccinea.*) TAB. LXXXI.

Borbonia fructu oblongo nigro, calyce coccineo. *Plum. gen.* 4.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, quinquefidum, acuminatum, parvum, decolor, perſiſtens.

COR. Petala quinque, ovata, concava, acuta, patentia.

STAM. Filamenta decem, ovata, acuta, plana, erecta, alterna breviora. Antheræ ſubrotundæ.

PIST. Germen ſubrotundum, depreſſum. Stylus brevis, erectus. Stigma obtuſum, quadrifidum.

PER. Drupa oblonga, apice depreſſo, inſidens calyci colorato & maximo.

SEM. Nux ovalis, obtuſa. Nucleus ejusdem figuræ.

Arbor inelegans, ramoſa, vigintipedalis. *Folia* oblonga, integerrima, apice attenuata in acumen falcatum, nitida, breviter petiolata, alterna, ſemipedalia. *Flores* parvi, pedunculati, axillares, corollis albis. *Calyx* in flore parvus & viridis; in fructu coccineus, limbo maximo & patentiſſimo, laciniis ſubrotundis brevibus & obtuſiſſimis. Incolis vocatur *Bois* *) *perdrix* ſive Arbor turturum, ob fructus turturibus amatos. Quum Plumerianum Borboniæ genus, altera ejusdem ſpecie vere relata ad Laurum, alterius (de qua hic agimus) ignorato huc usque fido charactere, in aliam longe familiam fuerit translatum; aliunde etiam Heiſteriæ nuperum genus cum nunc ſub Polygala militet; diſtinctam hanc a cæteris plantam in eruditi hujus viri memoriam nominatam *Heiſteriam* volui.

Habitat in ſylvis denſis Martinicæ ad torrentes. Floret Februario & Martio. Fert fructum Junio.

## MELIA.

1. MELIA (*Guara*) floribus octandris. TAB. CLXXVI. Fig. 37.

CAL. Perianthium monophyllum, quadridentatum, minimum.

COR. Petala quatuor, oblonga, obtuſa, plana, patentiſſima.

Nectarium monophyllum, cylindraceum, erectum, longitudine corollæ, apice octocrenato.

STAM.

*) Nota, vocibus *Bois* & *Pois* contra Gallici idiomatis indolem a Gallis Americanis generaliorem ſignificationem tribui; ut hæc fabam ſimul piſumque denotet; lignum, arborem, & fruticem illa.

STAM. Filamenta octo, breviſſima, nectario ſub crenis inſerta. Antheræ oblongæ, utrinque obtuſæ, erectæ, nectario pauxillo breviores.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus cylindraceus, erectus, longitudine nectarii. Stigma capitato-orbiculare, depreſſum.

PER. ſubrotundum, obtuſum, quadriloculare, . . .

SEM. ſolitaria, hinc convexa, inde angulata.

Arbor erecta, comoſa, alta viginti quinque pedes. *Folia* pinnata, alterna, nitida; coſta pedali vel ſesquipedali; *foliolis* utrinque numero vario a ſeptem ad quatuordecim, oblongis, obtuſis, apice attenuatis, integerrimis, breviter petiolatis, oppoſitis. *Racemi* laxi, axillares, ſemipedales; *pedunculis communibus* lateralibus brevibusque, infimis quadrifloris, proximis trifloris, ſubſequentibus bifloris, ſummis unifloris. *Flores* pedunculati breviſſime ipſi, inodori, brevi ſordentes, petalis e viridi albentibus, nectario albo, Meliæ Azadirachtæ floribus (ſi numerum demas) perfecte ſimiles. *Fructum* immaturum dumtaxat examinare licuit. Erat hic diametro jam ſemipollicari, cortice veſtitus craſſo ſordideque virenti, evidenter quadrilocularis & tetraſpermus, utrum vero bacca evaſurus an capſula, nedum indicans. De genere itaque etiamnum dubii quid reſtat. Incolis appellatur *Guara*.

Habitat in ſylvis montoſis Cubæ. Florentem vidi Decembri & Januario.

## SWIETENIA.

1. SWIETENIA (*Mahagoni.*)

Cedrela floribus ſubcorymboſis. *Linn. ſyſt. B. p.* 940.

Cedrela foliis pinnatis, floribus ſparſis, ligno graviori. *Brown. jam.* 2. *p.* 158.

Arbor foliis pinnatis, nullo impari alam claudente, nervo ad latus unum excurrente, fructu anguloſo magno, ſemine alato inſtar pinus. *Catesb. car.* 2. *p.* 81. *t.* 81.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, obtuſum, minimum, quinquefidum, deciduum.

COR. Petala quinque, obovata, concava, obtuſa, patentia.

Nectarium monophyllum, cylindraceum, erectum, longitudine corollæ, ore decemdentato acutoque.

STAM. Filamenta decem, vix conſpicua, nectario infra dentium diviſuras inſerta. Antheræ oblongæ, erectæ, non ſuperantes nectarium.

PIST. Germen ovatum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine nectarii. Stigma capitatum, depreſſo-planum.

PER. Capſula ovata, maxima, obtuſa, quinquelocularis, quinquevalvis; valvulis ligneis, craſſiſſimis, a baſi dehiſcentibus.

SEM.

SEM. plurima, compreſſa, imbricata; aucta ala membranacea, oblonga, obtuſaque. Receptaculum oblongum, obtuſum, maximum, quinquangulare, quinqueſulcatum.

Arbor hæc procera & ramoſiſſima *coma* ampla nitidaque ſpectabilem ſe reddit. *Materies* ejus rubra, dura, ponderoſa, polirique perquam idonea, ſupellectilem præbet Americanis, præprimis vero Anglis, pulcherrimam ſatisque omnibus notam. *Folia* habet pinnata, reclinata, alterna, nitida, octopollicaria, in ramis junioribus numeroſa; *foliolis* ſine impari utrinque ut plurimum quatuor, ſæpe tribus, rarius quinque, falcato-lanceolatis, integerrimis, acuminatis, retrorſum inflexis, petiolatis, oppoſitis, ſesquipollicaribus. *Racemi* ſubcorymboſi, plus minus octoflori, axillares, ſolitarii, bipollicares, *flores* albicantes parvosque gerunt. *Capſulæ* cortex eſt coloris ferruginei. Flos itaque Meliæ, & fructus Cedrelæ a baſi dehiſcens, diſtinctum genus poſcunt. Hoc in honorem Viri illuſtriſſimi Gerardi L. B. a Swieten dixi *Swieteniam:* hujus enim plurima ut præteream nec peritura unquam in ſcientias merita, id unum juvat commemoraſſe, quanto illi etiam ipſa Flora devincta ſit beneficio; qui apud AUGUSTISSIMAM AUSTRIÆ DOMINAM conſilio ſuo effecit, ut Botanico horto elegantiſſimo aucta ſit alma Univerſitas Vindobonenſis.

Habitat in Caribæis majoribus. Floret Decembri.

## TRICHILIA.

CAL. Perianthium monophyllum, parvum, quinquepartitum, acutum, deciduum.

COR. Petala quinque, oblonga, plana.

STAM. Filamenta decem, oblonga, plana, acuminata, erecta, petalis paulo breviora, ſimul cylindrum formantia. Antheræ oblongæ, erectæ.

PIST. Germen ſubovatum. Stylus erectus, ſtaminibus brevior. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Capſula ſubrotunda, trilocularis, trivalvis.

SEM. ſolitaria, veſtita pellicula pulpoſa.

1. TRICHILIA (*ſpondiodes*) racemis axillaribus; foliis pinnatis; foliolis intermediis majoribus.

Trichilia foliis pinnatis, ſubhirſutis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1020.

Trichilia ſubhirſuta, foliis pinnatis ovatis, racemis alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 278.

Euonymus caudice non ramoſo, folio alato; fructu rotundo tripyreno. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 103. *t.* 210. *f.* 2. & 3.

Arbuſcula decempedalis vel multo humilior, *caudice* erecto & in pauciſſimos ramos diviſo. *Folia* pinnata, glabra aut ſubhirſuta, pedalia, alternatim

tim ſparſa in extremitatibus ramorum: *foliolis* utrinque circiter decem cum impari interdum deficiente, lanceolato-ovatis, obtuſe acuminatis, integerrimis, petiolatis, bipollicaribus, intermediis gradatim majoribus. *Racemi* axillares, ſolitarii, in floribus tripollicares, in fructibus ſæpe ſemipedales; *pedunculis* ſimplicibus vel ramoſis. *Flores* inodori, parvi, triginta circiter in eodem racemo. Calyx ſemiquinquefidus, patenti-planus, minimus. Petala albicantia, patentia. Filamenta interne hirſuta. Germen villoſum, ſtylo craſſo. *Capſula* ſubfuſca, triſulcata. *Semina* in fructibus majoribus in eodem loculamento interdum bina, mutuo incumbentia, vel alterum ad latus alterius. Gallis vocatur *Mombin batard* ſive Spondias ſpuria.

Habitat in Domingo, Jamaica, & Carthagenæ. Floret præcipue Novembri.

2. TRICHILIA (*havanenſis*) foliis pinnatis; foliolis extimis majoribus. TAB. CLXXV. Fig. 38.

Arbor procera, ramoſa, comoſa, odorem ſpirat fœtidum ingratiſſimumque. Habet *folia* pinnata, nitida, alterna, & numeroſa; *coſta* tereti, utrinque leviſſime alata, quinquepollicari; *foliolis* utrinque tribus aut duobus cum impari, obovatis, baſi attenuatis, integerrimis, obtuſiſſimis, vix petiolatis, exterioribus gradatim majoribus. *Racemi* axillares, breviſſimi. *Capſulæ* globoſæ, virentes.

Habitat circa Havanam in ſylvis montoſis.

3. TRICHILIA (*trifolia*) foliis ternatis. TAB. LXXXII. *Linn. ſyſt. C. p.* 1020. *Læſl. hiſp.* 188.

Arbor quindecimpedalis, erecta, tota odore prædita levi ingratoque. *Materies* albicans. *Cortex* e leucophæo fuſcus. *Rami* numeroſi, teretes, inordinati, ex ipſo prope terram ſæpe trunco, patentes. *Folia* ternata, nitida, alterna, numeroſa, petiolo vix pollicari; *foliolis* obovatis, baſi cuneiformibus, integerrimis, obtuſiſſimis, ſeſſilibus, medio multo lateralibus longiori. *Racemi* axillares, breviſſimi, plus minus ſexflori. *Flores* parvi; calyce campanulato, erecto, quinquedentato; petalis albicantibus, erectis, calyce triplo longioribus. *Capſulæ* virides cum punctis e fuſco leucophæis, primum perfecte globoſæ, tandem triſulcatæ. *Semina* ſolitaria, hinc convexa, illinc angulata; pellicula coccinea. Servæ afræ radicibus hujus arbuſculæ in decocto utuntur, quibus abortum ſibi procurent. Curaçavienſibus vocatur *Kerſeboom* ſeu Ceraſus, etſi nihil commune cum Ceraſo habeat. Hiſpanis etiam audit *Ceraſo macho* ſeu Ceraſus mas. Magna illi eſt cum priore affinitas.

Habitat in Curaçao in locis graminis ſiccis; & in vicina Continente. Floret Aprili & Majo.

4. TRICHILIA (*terminalis*) racemis terminalibus.

Arbor vigintipedalis. *Rami* numeroſi, diffuſi, ad terram fere usque reclinati. *Folia* pinnata, nitidiſſima, novempollicaria, alterna, numeroſa: *foliolis* utrinque tribus cum impari, lanceolatis, obtuſis, integerrimis, petiolatis, bipollicaribus. *Racemi* paniculati, terminales, plures. *Flores* ſubfœtentes, numeroſiſſimi, ſtructura Meliæ flores mentientes; calycis laciniis profunde diſſectis, ovatis, concavis, acutis, patentiſſimis; filamentis primo intuitu unum conſtituere corpus viſis, revera tamen diſtinctiſſimis; germine corpori glanduloſo ſubrotundo ſemiimmerſo; ſtylo ſubulato; ſtigmate craſſo. Unicam hujusmodi arborem haud procul ab oppido Kingſton juxta viam inveni Januario florentem; quam poſtea, fructus examinandi cauſa denuo quæſitam, radice tenus amputatam ablatamque dolui.

Habitat in Jamaica.

## ZYGOPHYLLUM.

1. ZYGOPHYLLUM (*arboreum*) caule arboreo; foliis pinnatis. TAB. LXXXIII.

Arbor hæc eſt ſpecioſiſſima, quadraginta pedes alta, & *coma* denſa ampliſſima elegantique conſpicua. *Trunco* inſiſtit erecto & ſexpedali. In *ramuſculos* dividitur numeroſos, oppoſitos vel dichotomos. *Folia* habet pinnata, nitida, oppoſita, numeroſiſſima: *coſta* tripollicari, abrupta: foliolis utrinque ſex ſeptemve, oblongis, integerrimis, obtuſis, ſeſſilibus, alternis, pollicaribus. *Racemi* ſunt laxi, oppoſiti, ſæpe dichotomi, axillares & terminales. *Flores* inodori, magni, ſpecioſi; quibus calyx e viridi flaveſcit. Petala ſunt fulva, ſubrotunda, ungue longitudine calycis. Nectarii ſquamæ hirſutæ, in filamentis ſuperioribus ſenſim majores, in ſupremo maxima. Stamina connivent. Germen baſi attenuatur in pedicellum longum, craſſum, & quinqueſulcatum. *Capſula* abit in alas quinque membranaceas & maximas. Quando floret hæc arbor, adſpectum præbet jucundiſſimum; floribus videlicet numeroſiſſimis undique obtegentibus comam denſam & lætiſſime virentem. Folia ante florum eruptionem incauto imponunt facile, ac ſi forent duplicato-pinnata. Incolis dicitur *Guayacan*, quo apud illos generico nomine appellantur omnia ligna dura, materiaturæ aptiſſima. Fertur etiam ipſius truncus ſub terra ſepultus in lapidem mutari, nec unquam corrumpi.

Habitat Carthagenæ in vallibus ſylvaticis; & paſſim in ſylvis arenoſis maritimis. Floret Julio.

## MELASTOMA.

1. MELASTOMA (*diſcolor*) floribus octandris; foliis quinquenerviis. TAB. LXXXIV. *Linn. ſyſt. D. p.* 1022.

Groſſu-

Groſſulariæ fructu non ſpinoſa, malabatri foliis ſubtus niveis, fructu racemoſo in umbellæ modum diſpoſito. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *t.* 198. *f.* 1.

CAL. Perianthium monophyllum, perſiſtens, baſi ſubrotundum & germini circumnatum, hinc in collum coarctatum; deſinens in limbum quadrangulari-campanulatum, patentem, quadridentatum, angulis fornicatis.

COR. Petala quatuor, oblonga, truncata, concava, erecta, calyci inſerta, eodemque duplo longiora.

STAM. Filamenta octo, ſubulata, compreſſa, erecta, calyci inſerta, longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, extra corollam declinatæ.

PIST. Germen ſubrotundum, tomentoſum, ſubinferum. Stylus ſubulatus, erectus, ſtaminibus longior. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. Bacca ſubgloboſa, coronata limbo calycis, quadrilocularis.

SEM. numeroſa, minima, anguloſa, nidulantia.

Arbor quindecimpedalis, habitu congenerum. *Rami* ſubreclinati, cinerei, juniores tomentoſi. *Folia* ovata, acuminata, integerrima, margine interdum leviſſime crenata, facie virentia glabraque, dorſo leucophæa ac tomentoſa, quinquenervia, nervis interioribus ante baſin coadunatis, petiolata, oppoſita. *Racemi* ramoſi, ſubcymoſi, tomentoſi, terminales, bini. *Flores* parvi, inodori, petalis flavis. *Baccarum* ſuccus purpureus.

Habitat in ſylvaticis Martinicæ. Vidi florentem Martio.

2. MELASTOMA (*ſeptemnervium*) foliis ſeptemnerviis.

Arbor erecta, habitu congenerum. *Folia* ovata, acuta, ſubtus tomentoſa, venis parallelis transverſis inſignita nervisque ſeptem. *Flores* decandri.

Habitat in ſylvis montoſis Martinicæ.

## SAMYDA.

1. SAMYDA (*decandra*) floribus decandris.

CAL. Perianthium monophyllum, interne coloratum. Tubus campanulatus, decemſtriatus. Limbus quinquefidus: laciniis ovatis, planis, patentiſſimis, duabus acumine auctis, reliquis obtuſis.

COR. nulla.

Nectarium monophyllum, cono truncato æmulum, decemſtriatum, fere longitudine calycis, cujus limbo ad baſin inſertum, ore obtuſe decemdentato.

STAM. Filamenta nulla. Antheræ decem, oblongiuſculæ, erectæ, parvæ, dentibus nectarii inſidentes.

PIST. Germen ovatum, villoſum. Stylus ſubulatus, erectus, longitudine nectarii. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Capſula ſubrotunda, quadriſulcata, coriacea, craſſa, unilocularis, quadrivalvis.

SEM. plurima, ſubovata, obtuſa, baſi foraminulo notata, affixa internæ parti valvularum, obvoluta pellicula pulpoſa. Hinc receptaculum nullum.

Frutex inelegans, quinquepedalis, erectus. *Flores* interne nivei, externe virentes, odorem late ſpirantes ſuaviſſimum, floribus Citri æmulum. Menſe Junio vidi florentem, foliis omnino deſtitutum.

Habitat in inſula ſancti Martini in rupibus fruticoſis maritimis.

2. SAMYDA (*dodecandra*) floribus dodecandris.

Guidonia ulmi folio, flore niveo. *Plum. ic.* 146. *f.* 2.

Frutex erectus, tres quatuorve pedes altus. In hoc *folia* pariter adſunt cum *floribus*. Sunt hi inodori, duplo præcedentibus majores, nectario octodecim dentibus totidemque antheris inſtructo. *Capſula* ſæpius quinquevalvis. Poſſet etiam hoc genus in Monadelphia forte locari; ut nectarium haberetur pro filamentis coalitis.

Habitat in Domingo, in collibus fruticoſis. Floret Novembri.

## CASEARIA.

CAL. Perianthium pentaphyllum, deciduum: foliolis oblongis, planis, coloratis, patentiſſimis.

COR. nulla.

Nectarium e foliolis oblongis, obtuſis, hirſutis, ſuberectis, ſtaminibus duplo brevioribus, alternoque cum iisdem ſitu.

STAM. Filamenta octo vel decem, ſubulata, ſuberecta, calycem non ſuperantia. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum.

PER. Capſula ſubrotunda, obtuſa cum exiguo acumine e ſtyli parte reſidua, obtuſe trigona, unilocularis, coriacea, craſſa, trivalvis.

SEM. plura, ab invicem compreſſa, hinc angulata, valvulis affixa, in pulpa molli. Receptaculum nullum.

1. CASEARIA (*nitida*) inermis; floribus octandris.

Samyda fruticoſa, foliis nitidis cordatis, leviſſime crenatis, rudimentis mollibus rubentibus; racemis tenuioribus alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 217. *t.* 23. *f.* 3?

Arbuſcula quindecimpedalis. *Rami* numeroſi, inermes, horizontaliter patentes, jam mox ſupra terram e trunco emiſſi. *Folia* ovata, obtuſa, crenato-

PER. Bacca ſubrotunda, decemlocularis.

SEM. ſolitaria, obovata, compreſſa, obtuſa, baſi attenuata, nitida, ſcabra margine anteriori, quo baccæ adhæſerunt.

Arbor hæc procera atque elegantiſſima comam explicat ampliſſimam. Ejus *materies* eſt rufa, lenta, & fibroſa. *Cortice* veſtitur ſubrufo, rimoſo, lignoque tenaciter adhærente. *Folia* habet ovata, integerrima, acuta, ſubcoriacea, utrinque ſtriata, ſuperne nitida & ſaturate virentia, dorſo autem tomento tenui aurei fulgentis & cinnamomum imitantis coloris veſtita, alterna, breviter petiolata, quinquepollicaria. *Pedunculi* ſunt uniflori, breves, aggregati, ſparſi, interdum etiam pauciflori. *Flores* parvi, inodori, corollis albidis. *Fructus* maximi, depreſſiuſculi, coloris roſei cum levi flavedine & virore mixti, variique pro ſitu vario, quo radiis ſolaribus fuerunt expoſiti. Horum cortex tenuis eſt glaberque; caro molliuſcula, ſubglutinoſa, ante maturitatem lacteſcens, verſus ambitum colore carneo, cæterum albeſcens ſordide, ſæpius decemlocularis, edulis, ſapore dulci inſipidoque, Americanis amata, Europæis plerisque neglecta; etſi in menſis apponi ſoleant. *Semina* ſunt fuſca, ſcabro margine candida; quorum raro plura tribus vel quatuor matureſcunt. Gallis vocatur & Caribæis *Caïnito*, *Caimitier*, *Cahimitier*.

Habitat in Martinica & Domingo.

β. CHRYSOPHYLLUM (*jamaicenſe*) fructu purpureo.

Chryſophyllum fructu globoſo, majori, foliis ſubtus ferrugineis. *Brown. jam.* 1. *p.* 171. *t.* 14. *f.* 2.

Anona foliis ſubtus ferrugineis, fructu rotundo majore lævi, ſemine nigro partim, partim glabro. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 170. *t.* 229.

Hæc arbor præcedentis eſt varietas, cujus omne diſcrimen in *fructus* figura & colore abſolvitur. Eſt enim ille ſubovatus; veſtitus cortice viridi, purpureo, vel ex his miſto; carne purpurea, ſublacteſcente, ſaporis paulo melioris, quæ comedentis labia glutine obveſtit. Vocatur Jamaicenſibus *Star-apple* ſive Pomum ſtellatum, primasque apud illos vulgo cum Citro grandi obtinet inter fructus indigenas; etſi mihi ac non paucis aliis diſplicuerit uterque ſemper.

Habitat in Jamaica.

γ. CHRYSOPHYLLUM (*cæruleum*) fructu cæruleo, globoſo. TAB. XXXVII. *

Habitu hæc arbor prorſum cum præcedentibus congruit, unde varietatem eſſe, judicavi. *Fructu* vero ab iisdem differt, qui ferme eſt globoſus, totus cæruleus, triploque minor. Pulpa cærulea, mollior, lacteſcit; ſaporis fere ejusdem. In menſis apponitur; & incolis nuncupatur *Gros Bouis*.

Habitat in Martinica.

δ. CHRY-

nato-ſerrata, nitida, breviter petiolata, alterna, ſesquipollicaria, in ramuſculis dumtaxat viridibus junioribus; cæterum valde variantia, præprimis magnitudine; etenim in inſula Mango, ubi copioſe creſcit, inveni ſæpe oblonga illa, in acumen deſinentia obtuſum, & quadripollicaria: &c. *Racemi* ramoſi, corymboſi, axillares, alterni, pollicares, ſurſum verſi. *Flores* albidi, parvi. *Capſula* rubicunda aut atropurpurea pulpam continet colore cocci-neo tingentem, & *ſemina* plerumque duo, interdum unicum, rarius plura. Calycis in hac ſpecie foliola ſunt obtuſa. Plantam hanc, diſtinctum genus conſtituentem, nominavi in memoriam Joannis Caſearii in civitate Cochinenſi eccleſiæ Batavæ miniſtri, qui Horti Malabarici ſtirpium deſcriptiones adornavit, egregie hinc de Botanica meritus.*

Habitat paſſim Carthagenæ in fruticoſis.

2. CASEARIA (*aculeata*) aculeata; floribus octandris.

Guidonia aurantii foliis, aculeatis. *Plum. ic.* 147. *f.* 1.

Arbuſcula ſeptempedalis. *Rami* numeroſi, inordinate diſpoſiti, ex ipſo etiam ſupra terram orti trunco, juniores inermes, ſeniores armati *aculeis* ſolitariis ſubulatis rarisque. *Folia* ovata, utrinque acuta, leviter ſerrata, glabra, petiolata, alterna, numeroſa, ſesquipollicaria, ad diſtantias quadrilineares ab invicem remota. *Pedunculi* uniflori, breviſſimi, circiter duodeni in eadem ala. *Flores* candidi obſident totos ramos juniores. Calycis foliola obtuſa. *Capſula* e purpureo vireſcit, & pulpam continet tingentem colore aurantio. *Semina* plura, ovata, acuta. In valvularum pariete interno per ſtigmata totidem alba ſpectatur varius ſeminum numerus.

Habitat copioſe in montoſis ſuffruticoſis inſulæ Domingo.

3. CASEARIA (*decandra*) floribus decandris. TAB. LXXXV.

Arbuſcula quindecimpedalis, erecta. *Rami* diffuſi, tenues, inermes. *Folia* ovato-acuminata, obtuſa, ſerrata, glabra, petiolata, alterna, pollicaria, in ramis junioribus virentibus. *Pedunculi* uniflori, aggregati, in ramis aphyllis ſenioribus. *Flores* candidi, numeroſi. Calycis foliola acuta. Non vidi *fructum*.

Habitat in montibus ſylvaticis circa vicum Caſe Pilote in Martinica. Vidi florentem Aprili.

## COPAIVA.

1. COPAIVA (*officinalis.*) TAB. LXXXVI. *Linn. mat. med.* 513.

Copaiba. *Marcgr. bras. l.* 3. *c.* 17. *Pis. bras. l.* 4. *c.* 4.

CAL. nullus.

COR. Petala quatuor, ovato-lanceolata, concava, acuta, patentiſſima.

STAM. Filamenta decem, filiformia, arcuata verſus ſtylum, corolla paulo longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes.

PIST. Germen rotundum, compreſſo-planum, pedicellatum. Stylus filiformis, incurvus, longitudine ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum.

PER. globoſum, ſtyli parte acuminatum, . . .

SEM. . . .

Arbor hæc eſt procera, comoſa, atque elegans. *Rami* ultimi ad axillas ſunt flexuoſi, & veſtiuntur cortice glabriuſculo coloris e cinereo fuſci. *Folia* habet pinnata, alterna; *coſta* tereti & quadripollicari; foliolis absque impari utrinque tribus aut quatuor, lanceolato-ovatis, in acumen obtuſum deſinentibus, integerrimis, nitidis, ſubcoriaceis, venis plurimis oblique adſcendentibus, nervo medio ſubtus prominente ferrugineo, breviter petiolatis, duos tresve pollices longis, pagina interiore ferme duplo anguſtiore; ſupremis duobus oppoſitis, altero ex his non raro deficiente, ut tum pinnata cum impari quis crederet; reliquis alternis. *Racemi* axillares, ſolitarii, patentes, ſtricti, teretes, longitudine pinnarum; dividuntur laxe in *pedunculos* laterales *communes* alternos, ſesquipollicares, circiter octo; denſe quibus inſident *flores* albi. Germen increſcens ex applanato in globoſum convertitur. *Fructum* non vidi maturum, de quo conſulatur Marcgravius. Ex trunco inciſo effluit balſamum illud celebre, quod *Copaivæ* audit. Hujus ſolius per vitellum ovi aquæ immiſti uſu interno, una ſæpe cum ejusdem meri in urethram injectione, gonorrhœa liberare ſe aliquibus in locis Americani empirice ſolent, & plures ipſe liberatos vidi. Creſcit hæc arbor frequens circa oppidum Tolu triginta diſtans Carthagena leucis, promiſcue cum arboribus illis, quæ balſama Tolutanum, Peruvianum, aliaque fundunt. Peruvianum enim perperam tale vocatur, quod in Peruviæ regno nuspiam occurrit: ſed olim ex Terra Firma iſtuc translatum, quum tandem e Peruvia in Europam recta portaretur, creditum ab Europæis fuit naſci in Peruvia, atque exinde nomen obtinuit. Hæc ab incolis habui, penes quos ſit fides. Mihi deſideratas has ſtirpes conſpicere atque examinare, quantumvis vicino, & utcunque cupienti, ſors mea negavit.

Vidi hoſpitantem in Martinica circa vicum Carbet, e Continente olim translatam.

# TRIGYNIA.

## ERYTHROXYLUM.

1. ERYTHROXYLUM (*carthagenenſe*) foliis obovatis. TAB. LXXXVII. Fig. 1.

CAL.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, acutum, quinquepartitum, parvum, perſiſtens.

COR. Petala quinque, ovalia, obtuſa, leviter concava, patentiſſima.

Nectarii ſquamæ quinque, latæ, baſi concavæ, ad apicem inciſæ, erectæ, coloratæ, duplo breviores petalis, ad quorum baſin accretæ.

STAM. Filamenta decem, filiformia, patentia, longitudine corollæ, baſi connexa membrana campanulata & truncata. Antheræ ſubrotundæ, incumbentes.

PIST. Germen ovale, membrana filamentorum paulo longius. Styli tres, filiformes, patentes, longitudine ſtaminum. Stigmata oblongo-capitata, obtuſa.

PER. Drupa oblonga, obtuſa, obſolete trigona.

SEM. Nux oblonga, obtuſe quadrangularis, lateribus duobus proximis duplo anguſtioribus, unilocularis. Nucleus oblongus, compreſſus.

Arbor duodecimpedalis, *ramis* diffuſis, patentibus, numeroſis, ſtrictis, ſæpe vel mox ſupra terram e trunco ortis, cortice veſtitis ſaturate fuſco. *Materies* eſt e fuſco leucophæa & ſolida. *Folia* ſunt obovata, rarius ſubrotunda, emarginata, integra, nitida, facie virentia, dorſo leucophæa tribusque lineis longitudinalibus baſi & apice unitis (interdum abſentibus) inſignita, alterna, petiolata, ſesquipollicaria. *Pedunculi* uniflori, breves, in ramuſculis lignoſis aggregati. *Flores* numeroſiſſimi, integros ſæpe ramuſculos obtegentes, diametro ferme ſemipollicari, petalis candidis, odorem ſpirantes ſuaviſſimum nec multum abſimilem Narciſſo Jonquillæ, at leniorem facileque evanidum. *Fructus* mollis, ruber, nulli animali, quoad mihi viſum fuit, expetitus, ſucco rubro. Suſpicarer, eſſe hanc Brownei Erythroxylum primum, niſi color obſtaret materiæ, nunquam ad rubedinem vergentis, quam data opera pluries examinavi.

Habitat paſſim in maritimis arenoſis circa Carthagenam. Floret Aprili, Majo, & Junio.

2. ERYTHROXYLUM (*havanenſe*) foliis ovatis. TAB. LXXXVII. Fig. 2.

Frutex tripedalis, habitu omnino prioris: ſed *folia* ſunt ovata, obtuſa, integerrima, ſubtus lineis nullis notata. *Fructus* aurantii. Vix arbitror, poſſe hanc ſtirpem præcedentis varietatem eſſe.

Habitat Havanæ in rupeſtribus maritimis.

## MALPIGHIA.

1. MALPIGHIA (*linearis*) foliis lanceolato-linearibus, ſetis decumbentibus utrinque rigidis.

Frutex humanæ altitudinis; *foliis* acuminatis, oppoſitis, numeroſis; *floribus* e roſeo albentibus; *fructu* a me non viſo.

Habitat

Habitat in insulæ sancti Martini fruticetis rupestribus. Vidi florentem Junio.

2. MALPIGHIA (*martinicensis*) foliis ovatis, subtus setis decumbentibus rigidis.

Arbuscula hæc perfecte congruit habitu cum Malpighia glabra, a qua foliis setis distingui potest, & sapore fructus minus grato. Omnium vero, quæ urunt, congenerum hæc est urentissima. Edules quidem Malpighiæ omnes fructus habent; at solæ glabra urensque in usu receptos. Hujus insulsi pueris barbarisque crudi expetuntur; illius aciduli, & sapore quodam singulari præditi, in saccharo cocti in mensis apponuntur; crudi negligi solent. At ego olim per arenosa maritima Venezuelæ iter faciens, & siti pæne exhaustus, ad quam sedandam nulla aqua aderat, una cum duobus sociis copiam ingentem crudorum horum devoravi absque ulla subsecuta noxa.

Habitat in fruticetis Martinicæ.

3. MALPIGHIA (*nitida*) foliis oblongo-ovatis, utrinque nitidis; racemis axillaribus.

Arbuscula erecta; *foliis* oppositis, abeuntibus in acumen obtusum, quadripollicaribus; *stylo* in flore unico. *Semina* glabra, plerumque bina.

Habitat Carthagenæ in fruticetis apricis.

4. MALPIGHIA (*diphylla*) foliis ovalibus, glabris; racemis terminalibus.

Frutex erectus, octopedalis. *Folia* integerrima, opposita. *Racemi* simplices, bipollicares, in ramusculis diphyllis. *Flores* flavi. *Baccæ* rubræ.

Habitat Carthagenæ in sylvaticis maritimis.

5. MALPIGHIA (*odorata*) foliis ovatis, emarginatis, utrinque tomentosis; racemis axillaribus. TAB. CLXXVII. Fig. 41.

CAL. Perianthium pentaphyllum, minimum, persistens: foliolis ovatis, concavis, obtusis, conniventibus.

Glandulæ nectareæ oblongæ, utrinque obtusæ, callosæ, binæ cuilibet calycis foliolo subjectæ, quarum quatuor in binas coalitæ.

COR. Petala quinque, reniformi-subrotunda, planiuscula, crenata, unguibus longis linearibus imposita; quorum quatuor inter calycis foliola deorsum reflexa, quintum patens.

STAM. Filamenta decem, subulata, æqualia, basibus latiusculis, conniventi-erecta, calyce duplo longiora. Antheræ magnæ, subquadratæ.

PIST. Germen subrotundum. Stylus unicus, subulatus, erectus, longitudine staminum. Stigma bifidum, patens.

PER. Bacca subrotunda, sulco longitudinali circumdata, unilocularis.

SEM. duo, hinc convexa, inde plana, glabra.

Frutex

Frutex octopedalis, erectus. *Folia* obtusa, integerrima, opposita, tripollicaria. *Racemi* oppositi. *Flores* suaveolentes, odore Lupinum luteum referentes; petalis flavis; stigmate interdum trifido, cum fructu trisulcato seminibusque ternis hinc convexis illinc angulatis. *Baccæ* aurantiæ. Præter has, omnes examinavi etiam Malpighias Linnæanas, crassifolia excepta: atque inveni, magis minusve modo dato characteri convenire. Discrimen observavi in glandulis calycinis, quæ aut liberæ omnes sunt, vel numero vario coalescunt aliquæ. Stylus etiam in aliis unicus, in aliis tres adsunt; in his stigmata perpetuo sunt simplicia, in illo bifidum est vel trifidum, quem numerum sequuntur semina. Bacca in paucis subtriloba, in pluribus sulcata, continet semina vel rugosa vel glabra.

Habitat Carthagenæ in fruticosis.

6. MALPIGHIA (*grandifolia*) foliis lanceolato-oblongis; racemis corymbosis, axillaribus.

Arbuscula decempedalis, erecta, comosa. *Folia* integerrima, opposita, pedalia. *Florum* petala flava.

Habitat in sylvis apricis Martinicæ.

## HIRÆA.

1. HIRÆA (*reclinata.*) TAB. CLXXVI. Fig. 42.

CAL. Perianthium pentaphyllum, persistens: foliolis ovatis, planis, obtusis, erectis, parvis.

COR. Petala quinque, æqualia, subrotunda, concava, obtusa, patentissima, unguibus longis insidentia.

STAM. Filamenta decem, subulata, suberecta, apicibus conniventia, alterna longiora calycem ad duplum superantia. Antheræ subrotundæ, erectæ.

PIST. Germen subrotundum, villosum. Styli tres, subulati, suberecti, longitudine staminum. Stigmata bifida, obtusiuscula, patentia.

PER. Capsulæ tres, subrotundæ, dorso auctæ duabus alis membranaceis maximis subrotundis, uniloculares, non dehiscentes.

SEM. solitaria, subrotunda.

Arbuscula hæc quindecim pedes altitudine sua raro superat. In *ramos* dispescitur teretes, longos, lentos, glabros, reclinatosque; quibus vicinis se arbustis sustentat. *Cortex* est cinereus. *Folia* sunt oblonga, superne paulo latiora, utrinque obtusa, integerrima, subtus glabra, facie villis mollibus decumbentibus & vix conspicuis obsita, tres inter & sex pollices longa; *petiolo* ad basin ornato stipulis duabus erectis setosisque. *Pedunculi communes* crassi, brevissimi, numerosissimi, integros & longissimos pulcherrimo spe-

ſtaculo ramos obſident, abeuntque in apicem per *bracteas* duodecim ſemiovales & breves quadriloculárem: *pedunculis partialibus* unifloris, pollicaribus, ſolitariis, adeoque quatuor in quolibet pedunculo communi. *Flores* ſunt pulchelli, inodori, flavi, diametro pollicari. Planta hæc quum novum genus conſtituat, dicta a me fuit *Hiræa* in memoriam Nicolai de la Hire, cujus opuſcula phyſico-botanica extant in Actis regiæ Academiæ Pariſinæ, & cujus manu plantarum icones ſingulari arte factæ, & quatuor voluminibus comprehenſæ, in Bibliotheca Cæſarea aſſervantur.

Habitat Carthagenæ in ſylvis. Floret Junio. Matureſcunt ſemina Septembri.

# PENTAGYNIA.

## SPONDIAS.

CAL. Perianthium monophyllum, ſubcampanulatum, parvum, patentiuſculum, corollæ concolor, quinquefidum, deciduum.

COR. Petala quinque, oblonga, plana, patentia.

STAM. Filamenta decem, ſubulata, erecta, alternatim longiora, corolla breviora. Antheræ oblongæ.

PIST. Germen oblongum, receptaculo immerſum. Styli quinque, breves, erecti, orti e circumferentia laterali ſuperiore germinis. Stigmata obtuſa.

PER. Drupa oblonga, obtuſa, magna, quinque punctis a caſu ſtylorum notata.

SEM. Nux ovata, lignoſa, oſſea, magna, extus fibroſa, ſubquinquangularis, quinquelocularis. Nuclei ſolitarii.

1. SPONDIAS (*Mombin*) racemis paniculatis, terminalibus, longitudine folia æquantibus.

Spondias. *Linn. ſp. pl.* 1. *p.* 371. *Læſl. hiſp.* 209.

Spondias foliis petiolo communi compreſſo. *Linn. ſyſt.* 1. *p.* 1036.

Spondias foliis paucioribus pinnatis ovatis nitidis, racemis terminalibus. *Brown. jam.* 2. *p.* 229.

Prunus braſileenſis, fructu racemoſo, ligno intus pro officulo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 126.

Prunus americana. *Merian. ſurin.* 13. *t.* 13.

Prunifera arbor americana, fructu luteo ovali, officulo majore. *Pluk. alm.* 307.

Arbor nuci juglandi ſimilis quinta ſeu Hobos. *Bauh. pin.* 417.

Mombin arbor, folio fraxini, fructu luteo racemoſo. *Plum. gen.* 44.

Acaja & Ibametara. *Pis. bras. l.* 4. *c.* 16, *Marc. bras. l.* 3. *c.* 16.

Arbor

Arbor hæc procera atque elegans *comam* gerit ampliſſimam, ramoſam, & ſæpe umbroſam. *Cortex* cinereus eſt & rimoſus. *Materies* eſt albida, levis, non durabilis, ſuberibus conficiendis focoque inſtruendo dumtaxat idonea. *Folia* ſunt pinnata, alterna, ſubfrondoſa: *coſta* tereti, pedali: *foliolis* cum impari ut plurimum octo, ovato-oblongis, abeuntibus in acumen obtuſum, glabris, integerrimis, petiolatis, intermediis circiter tripollicaribus, exterioribus utrinque brevioribus. *Racemi* laxe paniculati, ſubflaveſcentes, longitudine foliorum, terminales. *Flores* numeroſiſſimi, parvi, albidi, ſeſſileſque, calycem habent quinquedentatum acuminatumque; petala ſublanceolata, acuta, & patentiſſima; antheras erectas; ſtigmata compreſſa ac bilamellata. *Fructus* in quolibet racemo floribus iſtis numeroſiſſimis pauciores ſuccedunt, expoſiti ſcilicet ob altitudinem frondis ventorum impetibus. Sunt hi flavi cum levi interdum mixta rubedine, odorati, tenui pellicula veſtiti, repleti pulpa pauca ſucculenta & acidula, at nuce prægrandi, a pueris paucisque incolis appetiti, collecti in optimum porcorum pabulum. *Rami* putati terræque commiſſi facillime vegetant; unde a nonnullis adhibentur ad inſtituendas ſepes. Una alteraque etiam apud aliquos plantari arbor ſolet in paſcuis, ut confugere in ſolis ſummo æſtu ſub gratam hujus umbram pecus poſſit. Gallis & Caribæis vocatur *Mombin*, Hiſpanis *Jobo*, Anglis *Hog-plum-tree* ſive Prunus porcina.

Habitat in Caribæis omnibus & in vicina Continente.

2. SPONDIAS (*Myrobalanus*) racemis ſparſis, foliis multo brevioribus. TAB. LXXXVIII.

Spondias foliolis nitidis. *Linn. ſyſt. A. p.* 1036.

Spondias diffuſa, foliis pluribus minoribus pinnatis, penna compreſſa ſulcata, floribus præcocibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 228.

Myrobalanus minor, folio fraxini alato, fructu purpureo, oſſiculo magno fibroſo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 126. *t.* 219. *f.* 3. 4. & 5.

Myrobalanus folio fraxini alato, fructu luteo; oſſiculo magno fibroſo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 125. *t.* 219. *f.* 1. & 2.

Prunus americana, oſſiculo magno ex filamentis lignoſis reticulatim conflato. *Pluk. alm.* 307. *t.* 218. *f.* 3.

Arbor inelegans, altitudine pro ſoli atque ætatis diſcrimine valde varia, interdum trigintapedali. *Cortex* craſſus. *Materies* albida, fragilis. *Truncus* erectus; niſi negligens aut obliqua plantatio, vel calamitas in juventute perlata, ſitum induxerint procumbentem aliove modo vitiatum. *Rami* craſſi, pauci, fulcrati, inordinati. *Folia* pinnata, alterna, nitida, plerumque in extremitatibus poſita ramorum; quotannis decidua, præcipue matureſcentibus fructibus: *foliolis* ſubovatis, integris, vel ſupra medium ſerratis, venoſis, breviſſime petiolatis, magnitudine varia, utrinque circiter decem cum impari. *Racemi* breves, ſine ordine in ipſis quibuscunque ramis idque ſæpe

ſatis denſe poſiti; quorum interdum loco prodeunt pedunculi uniflori, biflori, &c. *Flores* parvi, rubri; in quibus calycis laciniæ ſunt obtuſæ, ſubrotundæ, & concavæ; petala obtuſa, apiceque concava; ſtigmata ſimplicia. *Fructus* cortice plerumque veſtiti purpureo, vel & flavo, aut ex utrisque mixto, pulpam continent dulcem leviterque acidulam, flavam, paucam, ſapore prædítam ſingulari nec ingrato, odore ſuavi. Hi vero figura variant, quum ſint oblongi, ſubovati, apice obtuſiſſimo, aut magno illic appendice aucti. Apud Americanos in pretio ſunt, in menſisque non raro apponuntur. *Nuclei* vix unquam matureſcunt; ſed adeo facile hæc arbor e taleis propagatur, ut, ſi quis fructibus parvulis onuſtum ramum abſcindat, terræque imponat, ad perfectam ſæpe eosdem maturitatem pervenire miretur, & carpere ſe poſſe. Hinc Domingenſes e putatis ramis ſepes conſtruere ſolent, paucos poſt menſes floribus fructibusque ſpectabiles. Trunco ad altitudinem aliquam amputato, rami exſurgunt (præſertim in humidis locis) absque diviſione longiſſimi, erecti, foliisque ſparſis & numeroſis per totam longitudinem ornati; ut rei ignaro imponat, ac ſi eſſet arbor omnino diverſa. Hiſpanis appellatur *Ciruelo* ſeu Prunus; Gallis *Prunier d'Eſpagne*, & Anglis *Spanish plum-tree*, ſive Prunus Hiſpanica.

Habitat ſylveſtris in territorio Carthagenenſi; inde in Caribæas transportata, frequentiſſima jam in Domingo; frequens in Jamaica, Curaçao, & ſancti Martini inſula; rara in plerisque aliis.

## SURIANA.

1. SURIANA (*maritima.*) *Linn. ſpec. pl.* 1. *p.* 284.

Suriana foliis portulacæ anguſtis. *Plum. gen.* 37. *ic.* 249. *f.* 1.

Suriana maritima, foliolis lanceolatis, floribus ſingularibus, ſtaminibus ſubhirſutis. *Brown. jam.* 1. *p.* 190.

Thymelææ facie frutex maritimus tetraspermos, flore tetrapetalo. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 29. *t.* 162. *f.* 4.

Arbor americana ſalicis folio frondoſa. *Pluk. alm.* 44. *t.* 241. *f.* 5.

CAL. Perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolato-ovatis, acutis, planis, erectis, perſiſtentibus.

COR. Petala quinque, ovalia, obtuſa, patentia, longitudine fere calycis.

STAM. Filamenta decem, filiformia, erecta, alterna longiora, corollam non ſuperantia. Antheræ ſubrotundæ, ſulcatæ.

PIST. Germina quinque, ſubrotunda, parva. Styli quinque, filiformes, erecti, longitudine fere ſtaminum, ortus quilibet ex interiore latere ſui germinis. Stigmata obtuſa.

PER. nullum. Calyx patens in ſinu ſemina continet.

SEM. quinque, ſubrotunda, hinc convexa, inde angulata.

Frutex

Frutex tripedalis, erectus, elegans. *Lignum* rubrum, duriſſimum. *Rami* teretes, erecti. *Folia* oblonga, ſuperne latiora, acuta, integerrima, craſſiuſcula, mollia, dilute virentia, ſparſim & denſe ramorum ſummitates ornantia. *Flores* inodori; corolla flava caducaque; ſtaminibus ſæpe aliquot deficientibus, antheris ſæpiſſime, utrisque etiam caducis.

Habitat in littoribus maritimis plerarumque Caribæarum.

# DODECANDRIA.

## MONOGYNIA.

### RHIZOPHORA.

1. RHIZOPHORA (*Mangle*) pedunculis bifidis trifidisve; fructibus ſubulato-clavatis. TAB. LXXXIX.

Rhizophora foliis acutis; fructibus ſubulato-clavatis. *Linn. ſp. pl.* 4. *p.* 443.

Rhizophora utrinque brachiata; foliis elliptico-ovatis, ſummis ramis diſpoſitis. *Brown. jam.* 1. *p.* 11.

Mangles aquatica, foliis ſubrotundis & punctatis. *Plum. gen.* 13.

Mangle pyri foliis, cum ſiliquis longis, ficui indicæ affinis. *Sloan. hiſt. jam.* 2. *p.* 63.

Mangle arbor pyrifolia, fructu oblongo tereti, ſummis ramis radicoſa. *Pluk. alm.* 241. *t.* 204. *f.* 3.

Mangue Guaparaiba. *Pis. bras. l.* 4. *c.* 87.

Candela americana, foliis laurinis, flore tetrapetalo luteo, fructu anguſtiore. *Catesb. car.* 2. *p.* 63. *t.* 63.

CAL. Perianthium monophyllum, coloratum, profunde quadripartitum, perſiſtens: laciniis lanceolatis, acuminatis, coriaceis, interne longitudinaliter notatis linea protuberante, patentibus.

COR. Petala quatuor, lineari-lanceolata, acuminata, plana, interne hirſutiſſima, reflexa inter lacinias calycis, quibus paulo breviora, caduca.

STAM. Filamenta omnino nulla. Antheræ octo ſemper, lineari-lanceolatæ, acuminatæ, æquales, erectæ, corolla breviores, caducæ.

PIST. Germen ſubrotundum. Stylus ſubulatus, longitudinaliter utrinque ſulcatus, erectus, ſemibifidus, longitudine ſtaminum. Stigmata ſimplicia, acuta.

PER. ovato-oblongum, carnoſum, craſſum, verſus inferiora coronatum

calycis laciniis decoloribus reflexisque, apice perforatum pro ſemine transeunte, cujus tantum baſin continet.

SEM. unicum, omnium longiſſimum, carnoſum, teres, acuminatum, verſus apicem ſenſim craſſeſcens.

Arbor hæc quinquagintapedalem altitudinem plerumque attingit; cujus *materies* albida, in aquis macerata rubeſcens, focoque inſtruendo dumtaxat utilis, *cortice* veſtitur ferrugineo, craſſo, coriisque condenſandis aptiſſimo. *Folia* habet ovata, apice attenuata leviter, obtuſa, integerrima, nitida, coriacea, facie ſaturate virentia, dorſo e flaveſcenti viridia punctisque nigricantibus adſperſa, petiolata, oppoſita, a tribus ad ſex pollices longa; in ramuſculis junioribus, qui floribus carent, duos circiter pollices ab invicem diſtantia; in arbuſculis junioribus ſæpe vel ad ſemipedale internodium; in ramis ſenioribus & floriferis magis vicina, in valde adultis ferme frondoſa. Quælibet bina folia ante explicationem involvuntur binis *bracteis* oblongis, convolutis, erectis, poſt eorundem eruptionem marceſcentibus brevique cadentibus; relictis in ramulo cicatriculis duabus cum foliis alternantibus: unde ceu gemmifera ſpectari hæc arbor poteſt. *Pedunculi communes* axillis inſident ſolitarii, pollicares, compreſſi, ſulco longitudinali exarati, biflori, bifidi; interdum triflori & obſolete trigoni: *propriis* teretibus & ſemipollicaribus. Illi vero in fructibus ad duos pollices ultraque elongantur. *Flores* ſunt ſæpius inodori, interdum leviter ſuaveolentes; calyce flaveſcenti; petalis candidis; antheris perpetuo octonis, baſi elaſtice bifariam ſecedentibus, hinc valde caducis.

Quum vix aliud in plantarum hiſtoria mihi videtur examine & attentione dignius Botanici, quam arboris hujus, adeo in omnibus peregrinatorum itinerariis ob ſingularem creſcendi modum celebratæ, fructus; atque inde etiam conſiderans, vix ſperandam Europæo, ſi non peregre, ejusdem ocularem inſpectionem; haud abs re facturum me eſſe, arbitror, deſcriptioni & indagini hujus ſi immorer diutius.

Totus quantus apte dividi fructus poteſt in quatuor partes, re vera quidem diſtinctas, ſed mutuo cohærentes: videlicet in *Pericarpium*, *Crus*, *Calyptram*, & *Semen* proprie dicendum. *Pericarpium*, quod non receptaculum, ſed ipſa re tale eſt, propterea quod ex hoc in flore ſtylus oriatur, eſt corpus ex ovato oblongum, baſi gibboſum, carnoſum, pollice longius, externe fuſcum & ſcabriuſculum, ore utrinque ſtyli parte diviſa coronatum, interne ad baſin usque cavum. *Crus* eſt corpus ſubcylindraceum, nitidum, pallide virens, vix ſesquipollicare, pericarpio tamen ſemper longius, attenuatum ſuperne in collum, hinc terminatum in caput incurvum obtuſum & ex luteo aurantium, interne excavatum in conum acuminatum pertingentem ad collum usque, cujus eſt ſuperficies candida nitidaque. Conſtat autem e fibris albidis longitudinalibus & tenerioribus, capite excepto, in cujus ſubſtantia

fibræ

terales. *Flores* leviſſime ſuaveolentes, plurimi, ſpecioſi, ferme omnes fructiferi. *Calyx* ſcabriuſculus, inæqualiter ſexdentatus. *Corollæ* miniatæ limbus ſemiſexfidus, rarius ſemiſeptemfidus, nunquam a me viſus quinquefidus præterquam in caldariis Viennenſibus. *Stamina* ſex plerumque, rarius quinque vel ſeptem, numerum laciniarum corollæ non ſequentia, longitudine tubi; *antheris* erectis. *Germen* baſi accretum calyci. *Stylus* longitudine corollæ. *Calyx* in fructu quam maxime diſtentus mutatur in drupam niveam, craſſam, glabram, ſucculentam, inferne nuci accretam, ſuperne a vera drupa liberam, pomum Europæum odore referentem, apice conniventem. *Drupa* vera dimidiata, ſuperiorem nucis partem veſtiens, drupæ calycinæ ſimilem. Calyx igitur baſi partem veræ drupæ conſtituit, ſuperne illam ceu altera drupa involvit. *Loculamentum* ſemper aliquod in nuce obſoleſcit. Ex nucibus purgatis & ad umbram ſiccatis facillime in longinquas regiones transmitti, ibidemque propagari poteſt. Bene culta creſcit celeriter, & intra annum flores profert; quos Viennæ ſæpius jam vidi; uti etiam nuperrime fructus maturos.

Habitat Carthagenæ in fruticetis maritimis.

2. CORDIA (*juglandifolia*) foliis oblongis, ſcabris.

Arbuſcula duodecimpedalis, erecta, inelegans. *Folia* oblonga, acuta, integerrima, utrinque ſcabra, alterna, petiolata, quatuor aut quinque pollices longa. *Racemi* ſesquipollicares, pauciflori, axillares. *Flores* figura & magnitudine præcedentibus ſimillimi; ſed corollæ limbus triplo brevior eſt tubo & perpetuo ſexfidus. *Stylus* dumtaxat eſt bifidus. *Fructus* idem.

In Domingo habitat in fruticoſis ad ſinum Bayaha.

3. CORDIA (*Geraſcanthus*) foliis lanceolato-ovatis, ſcabris; panicula terminali; calycibus decemſtriatis. *Linn. ſyſt. A. p.* 936. TAB. CLXXV. Fig. 16.

Geraſcanthus foliis ovato-oblongis, utrinque productis, racemis terminalibus. *Brown. jam.* 1. *p.* 170. *t.* 29. *f.* 3.

Arbor procera, erecta. *Truncus* ſæpe ad trigeſimi pedis altitudinem tandem in ramos diſpeſcitur. *Flores* inodori. *Calyx* ſubviridis, decemſtriatus, ſemper quinquedentatus. *Corollæ* albidæ & diu perſiſtentis limbus quinquefidus; laciniis oblongis, longitudine tubi. *Stamina* conſtanter quinque, corollam æquantia. *Germen* proprio quaſi receptaculo inſidet. *Fructum* maturum ego non vidi. Materies in pretio habetur apud incolas, diciturque Gallis *Bois de Chypre* ſive Lignum cyprium.

Habitat in Caribæarum ſylvis montoſis.